6.

PRINCIPIA PHILOSOPHICA THEOLOGIÆ, ATQUE RELIGIONIS NATURALIS.

SEU

PHILOSOPHIA RATIONALIS

DE DEO PRIMA CAUSSA RERUM, ANIMA HUMANA, RERUM INTELLIGIBILIUM NOTIONIBUS, DE PRIMITIVIS RERUM LEGIBUS PHYSICIS, ATQUE MORALIBUS,

METAPHYSICA

Vulgo nuncupata, & secundum Eclecticæ Philosophiæ regulas pertractata.

AUCTORE

IGNATIO MONTEIRO.

PARS PRIMA.

EDITIO SECUNDA VENETA AB AUCTORE CORRECTA, NOVIS ADDITIONIBUS AUCTA, ET ILLUSTRATA.






VENETIIS MDCCLXXVIII.

TYPIS ANTONII ZATTA

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.



PRÆFATIO.

P*Ræcipuam totius philosophiæ partem aggredimur*, Principia philosophica Theologiæ atque Religionis Naturalis *nuncupatam: in qua materialem tandem hunc mundum mente veluti transgressi caussam caussarum quærimus, primam rerum omnium originem, constantes leges, atque finem rimamur. Argumentum habes dicendarum rerum utilitate, magnitudine, sublimitate, non modo philosophis, sed & homine quocumque cogitante dignissimum, hoc etiam tempore jucundum, amœnum, humanæ* Societati *necessarium, hisceque omnibus nominibus inter cultiores hujusce ætatis scientias, atque hominum studia celebre. Nullus sane est in re litteraria non plane hospes, qui hæc in dubium vocare possit, si, quæ hujusce temporis, ætatis, & fluentis modo humanæ generationis studia, scientiæ amor, ac religio sint, non ignorat. Satis ego in rei ipsius limine præfari existimem; si singula illa capita demonstrem, & meum etiam in gravissimo argumento tractando consilium exponam.* Metaphysicam *vulgo nuncupant, usurpato a Græcis vocabulo, hujusmodi philosophiæ partem, quæ neque de rebus sensibilibus, & materialibus, ut* Physica, *neque de actionibus moralibus, ut* Ethica, *seu scientia morum, neque tandem de mente dirigenda, proprio* Logicæ *argumento, agit; sed de primis, & universalibus rerum omnium caussis, notionibus, legibus intelligibilibus, de spiritibus, incorporeis objectis disserit.*

Quod scientiæ utilitatem spectat, maximam illam

 esse

esse, ex levissima etiam hac argumenti propositione constat. Nostrane omnium maxime non interest, exploratam in primis habere humanarum animarum naturam, conditionem, immortalitatem, futuram sortem, æternam scilicet felicitatem, aut infelicitatem? Mortalium ne aliquis, si sapit, si se amat, si vel tantillo rationis lumine polleat, illa tanti momenti capita non curare, profunde non meditari? Quis hæc indifferenti animo audire potest, quin in magnam illum sollicitudinem, & curam adducant, easque in animo semper acuant? De rerum scilicet summa, de nobis ipsis, de æterna nostrimet infelicitate, aut beatitudine agitur. Quis mortalium sanæ mentis est, quem hæc omnia non tangant, qui ad iram sese commoveri non sentiat, si sese bestiis annumerari audiat? Si ad brutorum animantium ordinem, atque conditionem detrudimur, ut a non paucis hac tempestate fieri videmus, antiquam Epicuræorum, atque Saducæorum doctrinam hac in parte instaurantibus, & propriis calculis probantibus; si perfectior tantummodo animantium species sumus, modico discrimine ab aliis speciebus differentes; si communis eorum post mortem sors humanam etiam naturam manet; qui tandem constare in hominibus posset libertas, omnium humanarum actionum honestatis, aut turpitudinis principium? Fac enimvero, parumper id cogitare liceat, homines una cum bestiis inter machinas automatas recenseri, aut anima quidem præditos communem aliis animantibus sortem, conditionem, & fortunam non superare, purumque materialismum eo pacto in mundo adstrui: quænam ex hac hypothesi humana monstra non germinarent? Si quis oppositas iis erroribus veritates demonstrare, rem maximi momenti, atque utilitatis esse non existimat; is sane est, qui puro automato, aut brutis animantibus merito annumerandus existimetur.

Quod si argumenti, tantarumque rerum utilitate prætermissa, veritatum solummodo, quæ in Metaphysica expenduntur, sublimitatem, ac magnitudinem consideremus; nihil est in tota, qua late patet, scientiarum naturalium provincia, quæ cum ea, quam modo versamus, conferri possit. In hac scilicet philo-

lo,o-

losophiæ parte sensibilem, materialemque mundum mente prætervolantes, & intelligibili mundo, profundissimæ intelligibilium rerum abysso, aut pelago commissi, in Dei ipsius, æternæ rerum omnium originis, caussarum omnium caussæ, universarum rerum principii, atque finis, contemplationem conscendimus. Dei, inquam, existentiam, infinitatem, omnipotentiam, pluraque alia attributa solo rationis lumine ducti inquirimus, invenimus, demonstramus. A supremi Numinis idea infinita alia æternarum veritatum capita deducimus: in religionem cum naturalem, tum etiam revelatam ab idea Dei, atque ab humani generis conditione profluentem descendimus. Quænam exinde Mundi, & Creaturarum omnium fuerit origo, quisnam futurus finis, quid æternitas, quid infinitum, quænam utriusque proprietates cogitanti philosopho, atque argumenta funditus meditanti sese expendenda offerunt. Neque fieri potest, quin uberrima hæc, atque abditissima rerum, ac veritatum principia, & fontes ad eam, quæ Numinis est, in rerum omnium creatione, atque conservatione Providentiam agnoscendam, atque asserendam manuducant. Inde etiam universa religionis naturalis dogmata, rationis lumine ducante (quæ ut naturalis veritatum revelatio spectari debet) nullo negotio deducimus. Atque ad tantum hujusmodi veritatum splendorem, quidquid de materialismo commenti sunt Epicuræi, quidquid etiam de fato, aliisque ejusdem naturæ argumentis affirmarunt antiqui, & tenent adhuc recentiores, examinandum, ac explicandum accedit.

Summa vero hæc sublimium adeo rerum capita si attente consideremus, nihil philosophi hominis contemplatione dignius offendimus. Non otiosæ hic, atque lascivienti imaginationi campus, aut theatrum aperitur: eam provinciam poetarum studiis, atque vigiliis colendam relinquimus, qui animum potius delectare, quam mentem instruere pro scopo sibi statuentes, non rerum veritatem, neque ea, quæ sunt, objecta quærunt, sed pulcris, & amœnis rerum imaginibus nova sibi objecta creant parum de rerum veritate solliciti. De rerum summa, de supremis veritatibus agitur: quidquid est in rerum universi-

 tate,

tate, & veritatum omnium provincia augustum magis, aut sacrum, ad examen vocatur, philosophi contemplationibus objectum statuitur. Non sensu, non experientia hac in parte procedimus: humilior hæc est, atque inferior philosophandi ratio; quam ut in ea hominis nil nisi sublime quærentis acumen exerceatur. Ab hisce omnibus sensilibus rebus mente abstrahimur; mundum corporeum transvehimur; nosmetipsos corpore, atque sensibus spoliatos parumper concipimus, & ut puras mentes spectamus. Inferioribus hisce, materialibusque rebus omnibus aliquamdiu despectis, spirituum more cogitandum est, atque in sublimia evolandum: pura ratione, lumine naturali agere, argumentari, atque philosophari oportet: idearum tantummodo claritate, & connexione ducti a veritate ad veritatem progredimur, & cogitata nostra alii aliis communicamus. Præterea vero eo magis philosophi hominis est hujusmodi argumenta tractare, quod ad hæc meditandum, disserendum, atque statuendum, tota, quanta est, humani ingenii perspicacia, atque acumen requiratur, & impar quandoque existat. Qui magno ingenii, & mentis acumine pollent, in aliquot sublimium earum veritatum contemplatione, & lumine cæcutiunt, neque fundum, quo anchoras demittant, atque consistant, neque stellam, qua cursus suos dirigant, sæpe inveniunt: hac illac perspicaciora ingenia fluctuant, divagantur, oberrant. Quod si in hujusmodi scopulos, atque pericula sublimiora ingenia, & peritiores nautæ sæpissime offendunt; quid communibus ingeniis non timendum, nisi vastissimi hujusce Oceani littora semper legant, aut parum ab iis removeantur? Assidua etiam hujusmodi veritatum meditatione hominis ingenium, si quod sit, expeditur: non contemnendum sane ab harum rerum meditationibus proventum.

Ad hæc etiam argumenti jucunditatem, atque rerum, idearumque amœnitatem adjungere opus est. Mirum id videri posset, atque vix credibile, quod metaphysicæ studium amœnitatis etiam nomine commendemus. Mirari tamen desines, si animadvertas, non eas a nobis chimæras, entia rationis, inanes, futilesque quæstiones agitari, quæ olim in

Scho-

Scholis toto ingeniorum conatu, vocum strepitu, atque contentionibus disputabantur. Mundum nos intelligibilem mente explorandum proponimus, & aggredimur; mundum, inquam, non materialem quidem, atque sensu percipiendum, sed neque etiam inanem, fictum, atque chimæricum, sed verum solis ideis, ratione, mente perlustrandum, vastissimum Oceanum nullis littoribus circumscriptum, cujus fundum explorare humani ingenii non est. Metaphysicos philosophos hujusce intelligibilis mundi, atque vastissimi Oceani explorationi sese committentes, ut puras mentes ab omni sensu, atque sensuum illecebris, & functionibus abstractas, sola ratione duce, immensum hoc mare sulcantes, & ideale Universum explorantes animo concipere oportet. Non injucundum esset, si novus aliquis Gabriel Daniel *in medium prodiret, qui, sicut olim ad Cartesianum, ita ad intelligibilem nos modo mundum etiam manuduceret; & institutum a se iter eleganter nobis exponeret; quid passim iter agens, quid ad itineris metam appulsus observaverit, accurate, & sincere referret.*

Argumenti hujusce, atque scientiæ necessitatem, & hoc potissimum tempore celebritatem cum ipsum per se se, tum præsentis temporis, & viventis modo generationis mores, ac studia demonstrant. Maxima opinandi licentia ab integro jam, & amplius sæculo in cultioribus aliquot Europæ nationibus admissa, patriis, antiquisque legibus innixa profundissimas in animis radices egit, & per alias sensim nationes serpit. Illa vero sensuum libidini, & oblectamentis confirmata, corruptissimis inductis moribus, quibus, tamquam perniciosa lue, omnis pene jam Europa fœdatur, litterarium quemdam phanatismum in hominum animos induxit, incredibilem erga Religionem incuriam, atque inertiam, loquendi, sentiendi, atque cogitandi libertatem genuit. Inde vero maximo ætatis nostræ opprobrio monstrosa Sectarum, atque religionum varietas, animorum impietas, Scepticismus, Pyrrhonismus, Deismus, Atheismus, Materialismus, *similiaque alia monstra pullularunt. Non late adeo serperet, minusque homines inficeret commune hoc hujus sæculi malum, si in-*

si inter incultas tantum nationes germinans patronos haberet, neque eruditione, neque nominis celebritate illustres: dandum id esset hominum ignorantiæ, agrestibusque moribus. Sed alia longe est præsentis mali conditio: in sapientiori ætate, in cultis nationibus plures numerantur prædictarum Sectarum, atque errorum fautores, fortuna, amicis, nominis celebritate, ingenii amœnitate commendati. Ceteris nationibus Angli præcellunt; quorum exemplum alias etiam gentes secum trahit. Sit tamen id in illius nationis commendationem dictum, nullibi terrarum, atque gentium est; quo metaphysicæ studium magis, aut æque florescat, atque in Anglia. In maxima illa opinandi, loquendi, scribendi, sectarumque libertate id litterarum beneficium a tot errorum monstris provenit: inter homines & ingenio præditos, & litterarum studiosos, & eruditionis amantes mirum non est, si a plurimis acri ingenio, atque doctrina præditis acerrime pro veritate decertetur: ubicumque geritur semper bellum, strenui reperiuntur milites: in instantem semper hostem, & qua fieri potest a imi contentione pugnantem omnes educuntur copiæ, & quidquid ingenii, atque virium est, producitur. Ea propter inter omnes Europæ nationes præcipua Metaphysicæ capita penitius, atque enucleatius pertractarunt Scriptores Angli.

Hæc cum ita sint, nullus, credo, mirabitur, si Naturalis Theologiæ, & Religionis studium hac nostra ætate maxime floreat, atque litteratorum hominum gustum, ut dicitur, dominantem constituat, & peculiare hujus sæculi studium habeatur. Inde vero est, quod Metaphysicam, aut aliqua saltem ejus capita a quamplurimis recentioribus, & diversa quidem methodo tractata invenies. Inutilia multa, atque inania Scholastici prosequuti sunt, præcipua, atque gravissima aut penitus omisere, aut jejune admodum disputarunt. Nisi tempus perdere amas, & memoriam inanibus rebus obruere; eos omnes parum volvas. Apud Recentiores metaphysicos meliorem generatim argumentorum delectum animadvertes: inanibus Scholasticorum veterum quæstionibus, atque inutili argumentorum farragine, & cor-

cortice omissis, rei totius medullam, atque potissima capita aggrediuntur. Maxima nihilominus eorum pars unam, aut alteram metaphysicæ quæstionem sibi pro dignitate tractandam assumserunt: idque vernaculis potissimum linguis, atque familiari dicendi stilo exponunt. Qui & fuse, &, ut rei dignitas postulabat, integram hactenus tradiderit, vix unum, aut alterum reperies. Ad postremam hanc classem referendus est Wolfius, *qui geometrica methodo metaphysicam aggressus, minutissima etiam fusissime ita prosequitur, ut omnem vel avidissimi lectoris patientiam superet. Præter aridam Geometriæ methodum, qua est usus, multa etiam in homine desideres, quæ vel præscripti operis fines, vel peculiaris illius methodi ratio non patiebantur. In tanto igitur scientiarum lumine, eaque ætate, qua litteræ potissimum florent, metaphysicæ studium colitur, amatur, promovetur; post mille litterarias lites, dissertationum, atque librorum editiones, quibus Theologiæ, & Religionis naturalium principia, & veritates præcipuæ illustrantur, librorum adhuc penuria laboramus, quibus integram metaphysicam ad studentium tyronum captum compositam ediscere omnes possint. Rei ipsius difficultas, spinosissimæ quæstiones, quibus enodandis profundissimæ opus sunt meditationes, ut alia, modo impedimenta omittam, præcipua illius penuriæ caussa existunt. Illud etiam accedit, quod vernaculo potissimum idiomate scribendi consuetudo hoc tempore apud omnes fere nationes invaluit. Multa quidem prostant Anglico idiomate conscripta metaphysica argumenta; non pauca etiam gallice, aliisque recentioribus linguis edita invenies: interim tamen qui earum gentium linguas ignorant, maxima procul dubio non modo juvenum, sed hominum etiam litteratorum pars, fide potius credit, quam scientia, atque intelligendo cognoscat. Metaphysicæ argumenta accuratius, atque enucleatius hisce temporibus tractarunt quamplurimi Scriptores Angli, Galli, Germani: in his vero primas tenent* Johannes Locke, Samuel Clark, Cudvvort, Malebranche, Leibnitius, Wolfius, *ut plurimos alios omittam, qui paucas tantum quæstiones sibi sumsere tractandas.*

Hæc

Hæc cum ita sint, cumque alias jam Philosophiæ partes tractaverim, alea etiam tentanda est: ne Eclecticæ nostræ philosophiæ nobilissima hæc ejusdem scientiæ pars desit: quod ea, qua vivimus, ætate excusari facile non posset. Lectorem, qui mea hæc meditari non dedignetur, iis instructum esse vellem, quæ in Logica, & naturali philosophia docuimus; ea saltem non summis labiis attigisse, argumenti hujusce sublimitas exigit. Præterea enim quod in rebus metaphysicis explicandis quamplurima sæpe indicantur, aut tamquam nota ponuntur, quæ in Logica, & Physica tradimus; recondita adeo sunt, sublimia, atque profunda, quæ in hac intelligibilium scientia traduntur, ut mentem non modo jam in logicis, atque physicis notionibus instructam, verum etiam cogitandi, atque meditandi usu contritam requirant: unde prudens ea in Scholis consuetudo invaluit, ut post Logicam, & Physicam ad intelligibilem hunc mundum perlustrandum tirones admittantur. Cum in tironum potissimum gratiam philosophiam nostram conscripserimus, a fundamentis interposito consequentiarum ordine gradatim procedimus: ne prætermissis primis ratiocinationum datis, *atque necessariis elementis passim offendant. Neque tamen solos tirones, hæc scribendo, cogitabam: aliis etiam commentari aggressus, penitius, fusius, atque enucleatius, quam tironibus opus esset, argumenta explanare adnitor: ut neque primi rerum obscuritate deterreantur, neque ceteris penitior argumentorum enucleatio, & quidquid in hac litterariæ provinciæ parte momenti alicujus est, merito desideretur. Elementa in istiusmodi argumento scribere, inutile, atque periculosum esse existimo: eo scribendi genere neque lectoris mentem ita instruis, ut opposita rejicere per sese valeat, neque, ut oppositas difficultates non videat, assequeris. Errores, atque opposita argumenta raptim, etiam, atque transcursu legenti translucent: interimque in lectoris animum identidem subit, homines esse & numero, & ingenio, & doctrina commendabiles, quibus contraria omnia probentur: quænam inde tironis mentem, atque animum non invadent periculosæ ideæ,*

atque

*atque dubia? Sciendi pruritus legendo intenditur; op-
posili auctores quæruntur, eorum argumenta toto lu-
mine mens ipsa proponit: hostium arma, inimica
castra vides, propriis interim non satis ad defensio-
nem instructus. Difficultatibus undique premimur:
gravissima hæc argumenta summatim, atque leviter
attingendo, male de lectoribus mererer, quos levi-
ter tantummodo instruerem. Rem fusissime, atque
luculentissime prosequi, ut argumenti dignitas postu-
lare videtur, neque lectorum utilitas, neque præscri-
pti mihi ad scribendum fines patiuntur: omnia ita pau-
cis comprehendere, ut in illud Horatii non pecce-
tur,* Brevis esse laboro, obscurus fio, *dicen-
darum rerum amplitudo, & mille difficultatum nodi
vix sperare permittunt: tentanda tamen res est, & u-
trumque scopulum devitare adnitemur.*

*Mathematicam methodum, ut jam indicavi, me-
taphysico in tractatu multis de capitibus probare nun-
quam potui: quantumvis alias geometrico illi scri-
bendi stilo a prima adolescentia assuetus, & quo-
tidiana mathematicorum lectione contritus, illum &
amem, & promoveam, & in rebus quampluri-
mis desiderem. Neque me aliunde latet, geome-
tricam synthesim quantitatis scientiæ aptissimam, re-
rum etiam moralium, atque metaphysicarum ideis,
atque ratiocinationibus non inepte adhiberi. Nibilo-
minus, cum arida per se sit illa scribendi methodus
Geometris familiaris; si intelligibilium rerum ideis,
non sensu, aut experientia, sed pura ratione per-
ceptis, adhibeatur; argumentum per sese difficile,
multorumque animos sublimitate sua parum alliciens,
stili etiam ariditate difficilius evadet. Intelligibile,
atque ideale argumentum, nisi qua fieri potest amœ-
nitate, sensibilium rerum imaginibus, & stili ju-
cunditate perfundas, tibi, aut blattis scripsisse pu-
ta; aut cum iis solum misanthropis agere existi-
ma, qui præter communem humanitatis conditionem
solo idearum ariditate delectantur. Contra vero ma-
gnitudinis ideas sensus etiam, atque imaginatio ad-
juvat, earumque imaginum beneficio totam stili ari-
ditatem compensat. Atque hoc in caussa est, cur*
VVolfii *metaphysicam ferre vix possim; quantumvis
plurima in auctore probem, hominique doctrinam,*

& a

& alia scripta non parvi faciam. Alia igitur ratione metaphysicam hanc nostram proponemus: ita in intelligibilem mundum penetrare adnitemur, ut tamen homines nos esse, hominibus scribere, humanitate, imaginatione, sensu ubique circumduci semper meminerimus. Quem in physicis tractatibus exponendis tenuimus ordinem, in metaphysicis etiam servabimus, quantum dispar argumentorum ratio, & intelligibilis Mundi natura permittunt: neque enim ulla hic caussarum naturalium physica, & mechanica phænomena, ut in physicis passim, occurrunt, quæ explicare oporteat: nullæ sunt præmittendæ observationes; experimenta instituere, aut ab aliis peracta referre non possumus: cetera præter hæc semper retinere studebimus. Physicam observando, experimenta instituendo, conferendo, in calculum subducendo edifcimus: metaphysicam cogitando, & cogitationum nostrarum analysim instituendo edocemur. Quod igitur Physico sunt experimenta, instrumentorum Musæum, calculus, id Metaphysico est cogitare, suarumque idearum claritatem, atque ordinem pone sequi. Proprium philosophantis metaphysici de physicis rebus alioquin instructi Musæum est mens humana, atque idearum mundus intra ipsam comprehensus. Amplissimam hanc idearum nostrarum supellectilem accuratissime versemus: proprias hasce mentis nostræ opes a Deo datas, commercio corporum acquisitas, aut ex proprio fundo fabricatas cogitemus, meditemur, &, quo nos ipsos deduxerint, sequamur. Metaphysicum lectorem mihi ego velim viatorem philosophum, qui materiali mundo perlustrato, per idealem, & intelligibilem mundum philosophico more, & instituto peregrinetur. Individuos hujusce itineris duces semper habere opus esset meditationem, & observationem: quarum postrema hominem philosopho exhiberet, non qualis a Platone in Republica constituitur, sed qualem in nostro mundo natura effinxit: res propterea humanas, hominis animum, & mentem scire, physicam noscere, historiam legisse oportet, ne chimæricum potius fabricet, quam intelligibilem perlustret mundum. Meditationi vero primas in hujusmodi studiis, atque itinere deberi partes, demonstrare superflueret.

Suus Lockio, atque Peripateticis, suus etiam Malebran-

lebranchio, & Platonicis est in intelligibilem hanc scientiam aditus, & rem ipsam tractandi ratio. Johannes Locke, & Peripatetici a sensu, atque ideis per sensus acquisitis philosophandi initium ducunt. Omnes nostras ideas ope sensuum acquisitas esse ponunt: humanam mentem, cum in corpus infunditur, velut nudam tabulam spectant, nullo adhuc colore, aut lineamentis distinctam. Eorum judicio tum solum mens humana cogitare incipit, cum per sensus tandem objecta in animam agant. Ea propter a sensibus, ab ideis sensu comparatis philosophari incipiunt; ab aliis ad aliarum examen gradatim progrediendo in objectorum tandem metaphysicorum ideas deveniunt. Platonici ex adverso, atque Malebranche, cum plurimas ideas, in primis vero illam, quæ Dei est, in anima nostra innatas esse existiment; cum in Deo præterea, atque ejus natura omnium rerum ideas, seu intelligibilem mundum contineri mèrito statuant; cum peculiaris tandem eorum opinio sit, innatam illam Dei ideam, lumen, & intelligibilem mundum, qui in natura Dei est, a nobis participari, animasque nostras naturæ Dei, atque æterno illi lumini, mundoque intelligibili unitas esse autument; cum hoc, inquam, sit illorum philosophorum opinamentum, ab idea Dei rem totam aggrediuntur. Quidquid tamen sit de diversis hisce philosophandi methodis; ea nos ratione metaphysicam aggrediemur, ut post generales aliquot rerum notiones, communia, atque evidentia axiomata metaphysicis disputationibus præmittenda, a mei ipsius cogitantis existentia incipiam. Primum hoc mihi est fixum, immobile, atque certum philosophandi fundamentum, & totius scalæ gradus, a quo sensim, & gradatim ad mei ipsius caussam primam, caussæ primæ notionem conscendo. Quicumque tandem sis, te esse, & cogitare, dum cogitas, tibi ipsi non negabis: a te ergo, a me, a se unusquisque incipiat. Idearum ordini, atque claritati semper insistendo, caussæ primæ, seu Entis a se notio in alia, & alia Numinis attributa philosophantem deducit. Iter agentes, ab idea in ideam gradum facientes transversos in via offendimus Atheismum, Polytheismum, Diismum, Materialismum, Fatalistas, Optimismum, Manichæismum, & similia alia

mon-

monstra, quæ e medio tollenda sunt. Idearum evidentiam universale, & unicum esse humanarum cognitionum criterium, in quod omnis tandem naturalis humana veritas, atque certitudo resolvatur, in quarta Logicæ parte demonstravi. Hac una idearum claritate ductus, illique semper insistens, generales illas rerum notiones statuo, quæ rei totius tractationi præmittuntur, & Ontologia *a recentioribus nuncupantur. Pauca ex iis attingimus, quia pauca etiam idearum evidentia novimus, & pauca habentur necessaria. Eadem idearum claritas me deinde cogitantem existere demonstrat, & ad alia deinceps demonstranda deducit: in hanc unam idearum evidentiam tota metaphysica, omnis nostra certitudo, atque scientia resolvitur. Habes, quam ego teneam, philosophandi methodum; habes etiam tractandi argumenti partem. Reliqua totius operis lectio edocebit. Nihil pensi habeo, quo tandem nomine hæc omnia nuncupes; quid rei aggrediamur, exposui parum de nomine sollicitus.*



POM-

POMPEJUS DE MANIAGO

E SOCIETATE JESU

In provincia Veneta Præpositus Provincialis.

CUm librum, cui titulus: *Philosophia libera, seu Eclectica rationalis, & mechanica sensuum*: Auctore P. *Ignatio Monteiro societatis nostræ*, aliquot ejusdem societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: Potestate nobis a R. P. *Laurentio Ricci* Præposito generali, ad id tradita facultatem concedimus, ut Typis mandetur; si ita iis ad quos pertinet videbitur: cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus.

Pompejus de Maniago.

Bononiæ 20. Januarii 1769.

Loco ✠ Sigilli.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed approvazione del P. *F. Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Philosophia Rationalis Eclectica ad studiosæ Juventutis institutiones accomodata &c. Auctore P. Jg. Monteiro S. J. &c. MS.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza ad *Antonio Zatta* Stampator *di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 7. Marzo 1770.

(Angelo Contarini Pr. Rif.
(Andrea Tron K. Rif.
(Sebastian Foscarini K. Rif.

Registrato in Libro a Carte 30. al Num. 225.

Davidde Marchesini Segr.

PRIN-

PRINCIPIA PHILOSOPHICA

THEOLOGIÆ, ATQUE RELIGIONIS NATURALIS.

Generales Rerum notiones, & Axiomata Metaphysicæ Propria.

DEFINITIO I.

1. 

Etaphysica est *intelligibilium, atque primitivarum rerum, caussarum, effectuum universalis scientia solo rationis lumine parta. Distinctius hæc notio explicanda*: ut & quid sit Metaphysica, & quænam illius ab aliis philosophiæ partibus differentia sit, innotescat. Mens humana vel, regulas ad recte semper ratiocinandum quærendo, inveniendo, in usum deducendo, se ipsam in scientiarum quarumcumque, & artium studio dirigit; vel materialem hunc universum mundum contemplans, physicas rerum caussas, effectus, phœnomena quærit, edíscit, statuit; vel ab hisce sensibilibus rebus sese elevando, non jam sensu, sed sola ratione agendo, intelligibilem mundum sub sensum non cadentem, generalem rerum omnium caussam, originem, principia, leges, & notiones considerat; vel tandem, prima jam rerum caussa inventa, quæ nostra hominum sit ad illam relatio, officia, quænam naturalis erga illam caussam religio, atque mores, statuit. Primum quidem est *Logica*, secundum *Physica*, seu *philosophia naturalis*, quæ latissime patet, & multiplices artes, aut scientias complectitur; tertium *Metaphysica*, quartum *Ethica*, seu *Philosophia morum*. Quodnam earum sit discrimen, datæ notiones ostendunt. Intelligibilium caussarum, & effectuum nomine Spiritus, rerum notiones, universales leges, a sensu longe remotas intelligo: Deus igitur, prima & universalis rerum omnium caussa, Anima huma-

na, universales rerum leges, notiones, Metaphysicæ objectum existunt. Primum atque potissimum inter hæc locum habet Deus: ejus idcirco existentiam demonstramus, notionem veram, naturam, attributa quærimus, & statuimus. A prima hac universali intelligibili caussa intelligibiles etiam effectus, rerum originem, leges deducimus; prout diversa hæc rerum capita diversis primæ caussæ attributis respondent. Quodnam tamen inter Theologiam, & Metaphysicam discrimen, cum de Deo utraque potissimum agat? De Deo agit quidem ex *revelatione* Theologia, solo rationis lumine Metaphysica: unde & *naturalis Theologia* est, & nuncupatur. De intelligibilibus etiam rebus, magnitudine scilicet ideali, pura agit Mathesis: sed præterquamquod de sola quantitate, seu magnitudine illa agit, quæ imaginationis etiam opus est; proportionem tantum, & mensuram quærit: caussas, effectus, rerumque origines, & ideas intelligibiles non considerat, quod unum est Metaphysicæ argumentum.

HYPOTHESIS.

2. Id ego in totius Metaphysicæ limine, tamquam verum, ab omnibus concessum, aut a me alias probatum pono, primo: *Simplicium, atque clarissimarum idearum definitiones afferri non posse, & quæri non debere.*

Secundum: *Idearum, seu humanarum cognitionum evidentiam, primum illud esse veritatis criterium, quo semel in humanis cognitionibus animadverso, de iis amplius dubitare non debeamus, neque possimus.*

Tertium: *Rationis evidentiam primum illud esse, & ultimum humanæ scientiæ principium, a quo tota humanæ rationis certitudo derivatur, in ipsamque resolvitur.*

Singula hæc in Logica nostra fuse probavimus. Primum quidem nemo inficiatur, & inter definitionis leges statuitur. Rem igitur ab omnibus admissam, a nobis præterea citato in loco probatam, atque ad modo dicenda inservientem posuisse satis. Quod secundo loco posuimus, a nemine in dubium vertitur, qui pyrrhonicus non existat. Cum iis jam philosophis in Arte critica disputavimus, ex ibi demonstratis merito

rito inpræsentiarum ponimus, esse in humana mente certitudinem, & certitudinis criterium; postremumque hoc in idearum evidentia consistere. Si criterium admittis; una mecum convenis: si negas, alio in loco id nos argumentum versamus. Tertium hypothesis caput luculenter a nobis fuit citato in loco demonstratum Ne ullam modo litem moveamus circa sterile illud axioma, *impossibile est, idem simul esse, & non esse*, quod ab omni fere humano genere ignoratur, quo sine omnes humanæ scientiæ edificuntur, & demonstrantur, quod ipsum tandem ob unicam idearum evidentiam constat, & verissimum esse pronuntiatur; id unum nobis inpræsentiarum ponere sufficiat, idearum evidentiam ultimam illam esse rationem, ob quam humanas cognitiones statuimus certas. Qualisnam nobis sit hujus hypothesis usus, statim patebit.

DEFINITIO II.

Entis, Existentiæ, Entis Realis, Nihili.

3. Nihil magis in Metaphysica familiare, quam generales hæ voces, & ideæ iis significatæ *Ens*, *Aliquid*, *Nihil*, *Natura*, *Essentia*, *Existentia* & quamplurima alia statim danda. Ne igitur in methodi leges peccemus; ab hujusmodi vocabulorum, idearum, rerum definitionibus accipiendum, &, quid hisce intelligatur, statuamus. *Res*, *Ens*, *Aliquid* duplicem in re præsenti significatum habent, primum quidem latissimum, contractiorem & rigorosum alterum: priori illo sensu accepta, sunt, & significant *quidquid est, fuit, erit, potest esse, concipitur*: idem omnino mihi significant tria hæc vocabula: omnia, & eodem modo exprimunt. Quidquid aliquo tandem modo, aut statu, re, aut idea, est, aut concipitur, vel substantia sit, vel modus, idea, aut ideæ objectum; id omne est *aliquid, res aliqua, ens aliquod*. Communis hic est loquendi modus inter homines; atque hæ sunt universalissimæ voces, quibus omnia latine exprimimus strictiori tamen sensu accepta *Res*, *Ens*, *Aliquid* illa omnia, & sola significant, quæ realem habere possunt existentiam.

In utraque hac universali notione significatur, at-

que intelligitur *esse*, & *cognosci*, seu *existentia realis*, *& intellectualis*. Generales igitur, & primas Metaphysicæ notiones per ideam existentiæ damus: quid ergo sit *esse*, *existere*, *existentia*, nisi notum per se ponatur, prius dari debuisset, ne rectas definitionum regulas invertamus: ad pleniorem igitur harum idearum expositionem, atque divisionem, ab existentiæ notione initium ducamus.

4. Quid sit *existere*, *existens*, *existentia*, clare omnes intelligimus, & cum præterea sit simplex idea, neque definiri, neque explicari amplius potest. Quocumque modo illa definias, obscurius semper loqueris. Quid enim? *Existere* dices *rem esse*, *esse realiter*, *esse in rerum natura*: Vera hæc sunt; non tamen clariora. Quod si illam, quam habes, existentiæ ideam cum vulgaribus illius definitionibus conferas; has omnes notione tua obscuriores deprehendes. Quæ vulgo afferuntur existentiæ definitiones sunt sequentes. *Existentia*, inquiunt, *est actus essentiæ*: Secundum alios est *sistentia rei extra caussas, & nihilum*: est *ultima essendi actualitas*: est *id, quo respondetur ad quæstionem, an sit*: *id, per quod res est actu*. Barbaris hisce definitionibus prolatis obscuratur potius, quam illustratur, quæ in omnibus est existentiæ idea.

Existentia nihilominus, existens, existere duplici sensu accipiuntur, omnibus quidem notissimo, neque tamen omittendo: prior quidem latissimus, atque improprius; strictior, atque proprius alter. Objecta quæcumque vel mente solum cognoscuntur, vel reapse etiam existunt: primum est *existentia intellectualis*, *seu idealis*, secundum *realis*: existentia ergo absolute usurpata utrumque illum sensum complectitur. Existentia idealis multo latius extenditur, & impropria nuncupatur: Existentia realis illud est, quod eo nomine proprie significamus. Utriusque idea clara nobis est, atque simplex: eam proinde per alias ideas definire neque debemus, neque possumus: cæteras potius rerum notiones per illam existentiæ recte exponemus.

5. *Ens* igitur, *aliquid*, *res aliqua* latissime accepta sunt quidquid aut ideali existentia gaudet, aut realem habere potest. Quamplurima sunt idealia humanarum mentium opera, atque factitiæ ideæ, quas rea-

reapse existere non posse, clarissime videmus: hæc ergo omnia ideali solum existentia gaudent, & *rationis entia* nuncupantur. Ens igitur latissime acceptum in duo primum amplissima genera dividitur, *Ens rationis*, seu pure ideale, & ens reale. Quid ens illud rationis sit, paucis hisce verbis indicavi, & latius in Logica exposui: illud deinceps semper omittemus, ne in futilibus rebus tempus male collocemus.

Ens reale, quod nomine *entis* proprie intelligitur, illud est, quod realis existentiæ capax est: illa igitur omnia hac notione comprehenduntur, in quibus est physice existendi pro aliquo tempore capacitas.

6. Tribus hisce vocabulis, communique eorum significatui opponitur generalis etiam vox *Nihil*; cujus significatio definiri amplius vix potest, quam per se ipsam explicetur. *Nihil* omnis *rei*, & *entis* negationem exprimit, omnia tollit, & tollendo, objecta sublata aliquo modo indicat. *Nihili* igitur, si stricte loquamur, nulla est idea propria: eam tantum notionem nobis comparamus, dum objecta quæcumque mente removemus: ea rerum omnium remotio dici forsan potest idea *nihili*. *Nihil* in vulgari sensu spectatum enti reali tantum opponitur, omnia, quæ ens reale non sunt, quæ existere nequeunt, *nihil* esse dicimus.

DEFINITIO III.

Possibilis, Futuri, pure Possibilis.

7. *Ens reale*, contractior scilicet *entis* notio, quam per ideam existentiæ per se manifestam, & simplicem habemus, dividitur in *existens*, *futurum*, *possibile*. Quid sit *existere*, *existens*, *existentia*, non definivimus, sed clare a nobis intelligi, annotavimus, & in duplicem modum divisimus.

Futurum nuncupatur *ens illud reale*, *quod non existit*, *aliquando tamen existet*: qualis est uniuscujusque nostrum mors. Futura in duplici sunt differentia, *absoluta*, & *conditionata*; priora sunt, quæ ob veram, & positam jam causam, aut constitutionem aliquam Physicam, aut Moralem certo erunt: eo pacto futurum est, ut singulis annis arbores floreant; ut qui Dei amicitia præditi decesserint, æternam beati-

titudinem conſequantur. *Futura conditionalia* ſub data aliqua hypotheſi erunt, aut eſſent, ſi dicta exiſteret conditio; hujuſmodi eſt Evangelica illa Servatoris noſtri propoſitio, *ſi in Tyro, & Sidone prædicatum fuiſſet Evangelium hoc; olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent*. Conditionata hæc poſſibilia, quæ in quæſtionibus de Divina Gratia, & libero arbitrio ad abſtruſiſſimas difficultates enodandas ſuſiſſime diſputantur, ſunt veritates neceſſariæ, aut liberæ, pro neceſſariæ, aut liberæ conditionis ratione, a Deo pro aliqua differentia temporis, & pro quibuſcumque circumſtantiis prævisæ. Conditionalium propoſitionum, aut veritatum indolem in Logica explicavimus; tradita modo notio philoſophanti metaphyſico ſufficit.

8. *Poſſibile* duplici ſenſu dicitur, primo & generali quidquid exiſtere poteſt; Secundo ſtrictiori *pure poſſibile* eſt illud, quod exiſtere poteſt, nondum tamen exiſtit, neque certo extiturum ſcimus, & numquam forſan exiſtet: ita aliud hominum genus ab alio Adamo deſcendens poſſibile eſt, & nuncupatur. *Poſſibile* in priori illo, atque univerſali ſenſu acceptum cum *ente reali* confundi poteſt: eamdemque notionem iis nominibus intelligimus. Omne ens reale eſt poſſibile: omne ſimiliter poſſibile eſt ens reale: utrumque in pure *poſſibile*, *futurum*, *exiſtens* dividitur: *poſſibile* primo ſenſu acceptum, *futurum*, *exiſtens* ſe ſe ordine excipiunt, & ſuperant: *futurum* eſt poſſibile, & aliquid addit ſupra poſſibile, conſtitutionem ſcilicet phyſicam, aut moralem, qua res pro aliquo tempore exiſtet: *Exiſtentia* creaturarum præter poſſe eſſe, & conſtitutionem ut ut ſit, ipſum exiſtendi actum complectitur. Ex hiſce notionibus rerum tritiſſima illa proloquia neminem latentia profluunt, I. *Ab actu ad potentiam argumentatio valet; non tamen viciſſim*: II. *De futuris quibuſcumque recte affirmatur poſſibilitas; non tamen ex adverſo*. Utrumque rerum notiones per ſe demonſtrant: utrumque de abſoluta poſſibilitate ſolum intelligitur.

9. *Poſſibile purum*, ſeu *pure poſſibile*, quod poſſibilis nomine ſæpius intelligitur, neque in futuri, neque in exiſtentiæ idea comprehenditur, ut ex definitione patet. *Poſſibile*, ſeu *poſſibilitas* alia eſt *intrinſeca*, alia *extrinſeca*: Poſſibilitas intrinſeca eſt ipſamet rei notio,

tio, seu ipsummet rei esse, in quo nulla est ad existendum oppositio. Hoc modo cum hominum alterius generis, atque formæ ideam, & naturam contemplamur, nullamque in eorum idea oppositionem cum claro rationis lumine animadvertimus; possibiles illos esse dicimus. Eam idearum oppositionem ex ipsamet earum inspectione, & clara perceptione dignoscimus: ita enim a Deo sumus comparati, ut rationis nostræ lumine, & idearum claritate ducamur, eaque ducti prudenter, & secundum veritatem judicemus, ut late in logicis prosequimur. Ea idearum claritas, & rationis lumen, ut iterum dicam, ultimum est criterium, & principium, ex quo rerum possibilitatem, & veritatem deducimus, & pronuntiamus. *Possibilitas extrinseca* dicitur potentia, aut caussa illa, a qua res potest produci, seu ad existentiam extrahi: ita omnipotentia Dei est hujusce, aut alterius mundi *extrinseca possibilitas*: artificis scientia authomati horologii possibilitas nuncupabitur. Porro res possibiles aliud non sunt, quam objecta intelligibilia, res ideales, idearum nostrarum objecta ab iis repræsentata, & creandarum postea rerum Archetypa; in quibus distinguere semper est puram mentis repræsentationem, seu ideam ab re repræsentata, ideæ objecto, intelligibili faciendæ rei Archetypo.

10. Si ulterius quæras, quid sit res possibilis, quando scilicet adhuc non existit: respondeo: est intelligibilis ille archetypon, & notio in mente æterna repræsentata. Eodem fere modo respondebis, si ex te quæram, quid modo sit horologium, quod faciendum mente volvis: simplices hæ sunt ideæ, aut saltem originales ab unoquoque nostrum intimo sensu perceptæ, nullis tamen verbis clarius explicandæ: difficultas quidem omnibus sensuum nostrorum ideis communis. Possibilis, futuri, existentis ideas, & quid hisce nominibus significemus, inpræsentiarum tantummodo exponimus: aliqua circa rerum possibilitatem, atque existentiam philosophi quærunt, quid rei sint possibilia, antequam existant, quid possibilibus, atque futuris existentia superaddat: istane inter se distincta habeantur: quæ aliquid utilitatis habent, inferius attingemus.

11. Possibilia etiam, quum intrinseca, tum extrin-

ſeca, ad ſe mutuo relata alia ſunt, & dici poſſunt *compoſſibilia*, alia *incompoſſibilia*. Compoſſibilia dicimus illa, quæ pro eodem ſtatu, & tempore inſimul eſſe poſſunt, puta, terram, & ſolem circa ſe ipſos mutuo convolvi, plura hominum genera in eodem, aut diverſis mundanis globis eodem tempore vivere: *incompoſſibilia* ex adverſo dicuntur, quæ ſeorſim quidem poſſibilia ſunt; inſimul tamen eſſe nunquam poterunt, ex. gr. homines ad agendum, & volendum eſſe liberos, nulla tamen facultate agendi eſſe præditos.

DEFINITIO. IV.

Impoſſibilis, *Entis Rationis*.

42. *Exiſtenti*, *Futuro*, *Poſſibili*, *Enti reali* opponitur *Impoſſibile*, *Ens rationis*, *Nihil*. *Impoſſibilis* nomine ſignificatur quidquid ad exiſtentiam extrahi non poteſt: atque hoc inane illud eſt *Ens rationis* in Peripateticis ſcholis famoſum, de quo tot vaniſſimæ quæſtiones excitabantur. Si quæras igitur, quid ſint hæc *impoſſibilia*, *entia rationis*, *chymæræ* (idem enim hæc omnia ſignificant), reſpondeo: ſunt vana illa Poetarum figmenta, *hypogryphus*, *Numina adultera*, *vitioſa*, idealia nimirum, & factitia objecta, quorum partes, ſeorſim quidem veræ, & poſſibiles, manifeſtam inter ſe habent oppoſitionem; qualis eſſet *mons ſine valle*: hæc igitur duo objecta *mons*, *planities*, ſeorſim vera, & exiſtentia, a mente noſtra in unicam complexam ideam inſimul adunata, idea quædam ſunt fictitia, *Ens puræ rationis*, *chymæra impoſſibile*. Hoc unum iis nominibus intelligimus, id unum ſignificamus, ſecundum hanc notionem loquemur, neque ullam de inutiliſſimis rebus quæſtionem nobis fieri patimur. *Impoſſibilia*, perinde ut *poſſibilia*, alia ſunt *intrinſeca*, alia *extrinſeca*: quæ voces ulteriori explicatione non indigent. Animadvertendus potius eſt triplex alius impoſſibilium ſenſus, ſeu diviſio in *Metaphyſicum*, *Phyſicum*, *Morale*. *Impoſſibile Metaphyſicum* eſt quod nullo modo, nullaque potentia fieri poteſt, ut *mons ſine valle*, *lumen tenebroſum*: *Phyſicum* nuncupamus, quod naturæ quidem legibus opponitur, & naturalium cauſſarum vires ſuperat.

Nu-

Numinis tamen potentia fieri potest, quale esset, homines per medium aerem incedere: *Morale* denique rem significat Metaphysice, & physice possibilem, magnopere tamen factu difficilem, cujusmodi esset, ab Europæis Nationibus Americam deseri, & Americanos populos in pristinam libertatem restitui. Triplex hic impossibilium gradus sese ordine superantium ex ipsamet idearum inspectione, atque oppositione dignoscitur; ut in Logica exposuimus.

DEFINITIO V.

Essentiæ Realis, Idealis, seu Notionalis; & intelligibilis.

13. Vulgatissima etiam sunt in Metaphysicis generalia hæc vocabula *Essentia*, *Natura*, *Substantia*, *Accidens*, seu *Qualitas*; quorum significationes dare oportet. *Essentia* rei cujuscumque est notio, aut illud intrinsecum, quo intellecto, aut posito, licet cætera alia mente saltem non intelligantur, res ipsa intelligitur. Eum sane sensum habet communissima inter philosophos essentiæ definitio, *quod primo de re concipitur, tamquam fons, ex quo cætera rei necessario convenentia defluere intelliguntur*. Paulo aliter Essentiam definit *VVolfius*, *id* scilicet, *quod in Ente primum concipitur, & in quo ratio sufficiens cæterorum, quæ enti conveniunt, continetur*. In rei fundo unus omnium sensus est. Unde rei simplicis essentia est illud etiam simplex, quo uno intellecto, rei ideam habemus, & ex quo cæteræ rei ipsius proprietates quasi profluunt. Si res sit composita; illius essentia erit illa idearum, seu partium unio, qua deficiente, rem amplius non concipimus. Prioris exemplum sit nostramet de objecto aliquo idea; posterioris vero automati horologii machina, quæ aliqua parte deficiente amplius stare, & intelligi non potest. Dum hæc ita statuimus, aliquam simplicitatis, & compositionis ideam haberi supponimus, aut insinuamus: Ulteriorem earum idearum expositionem inferius dabimus.

14. Essentiæ rerum dividuntur in *reales*, & *ideales*; quæ quidem divisio maxime animadvertenda est, cum in pluribus artibus, & scientiis locum habeat. Quidquid est, existit & cognoscitur: est igitur in se aliquid

quid reale, & aliqua illi in mente notio, atque idea respondet: rursus res vel a Deo ab æterno, vel ab humana mente cognoscuntur. Hoc animadverso, *Essentia realis* datæ cujuscumque rei est *verum illius esse*, existens, aut non existens, quantumvis res ipsa non cognosceretur. *Essentia idealis est notio rei in mente illi respondens*, seu res mente repræsentata; in mente Divina est, & dicitur *essentia intelligibilis* æterna, seu æternum Archetypon, & idea rerum: in mente humana nuncupatur *notio* rerum, *essentia notionalis*, aut *nominalis*. Una igitur, eademque res existens essentiam habet in sese *realem*, in humana mente *notionalem*, seu *nominalem*, in mente Divina *intelligibilem*, *Archetypam æternam*: essentia rerum *intelligibilis* est *necessaria*, *æterna*, *immutabilis*, *vera*: cum talis Deus, & mens Divina existat: Creaturarum igitur Archetypon in mente Divina est *immutabile*, *æternum*. *Essentiæ reales* fiunt, & destruuntur: id enim est omnis creaturæ proprium habere principium, & posse habere finem, neque ex illis aliquid præter intelligibilem essentiam in mente Divina superest.

15. *Essentiæ notionales*, seu *nominales* rerum sunt notiones illæ, quas de rebus habemus, & nominibus significamus: illas quidem in rebus esse ponimus, secundum illas loquimur, hoc est, res in se ipsis illud esse ponimus, quod nobis mente repræsentamus: quantum tamen interest inter *reales*, & *nominales* rerum essentias discrimen! Sunt ne secundæ prioribus conformes, illasne vere nobis repræsentamus? Suntne res naturales, quod nostræ ideæ repræsentant? humanæ cognitiones rerumne fundum attingunt? *Reales essentias* majorem partem non cognoscimus, aut nonnisi imperfectissime attingimus; si modos simplices excipiamus. Circa res alias plurimum ab essentiis realibus nominales, seu notionales differunt. Interea tamen cum de rerum essentiis loquimur, notionales tantum in mente habemus, quas realibus substituimus, & pro iis usurpamus.

16. Plurima sunt, quæ nominalem tantum, seu notionalem habent essentiam; cujusmodi sunt omnes magnitudines, de quibus agit Geometria, Arithmetica, quamplurimæ moralitatis regulæ. Neminem scilicet latet, eas omnes esse scientias ideales, quæ eatenus ni

n physicis etiam rebus veræ sunt, quoad sensum, uatenus physicæ magnitudines ad geometricas quoad ensum etiam accedunt. Plurima enimvero esse idea-a tantum objecta, quibus nihil in rebus respondet, atis in Logica confecimus. Cum id a nemine in dubium vertatur; in re certa ulterius exponenda non mmoremur. Multa igitur sunt idealia tantum objecta, notionales essentiæ, atque veritates: plurima, uæ & realem, & notionalem habent essentiam. Quæ essentiæ *reali*, *intelligibili*, & *notionali* conveniant, ulterius infra explicabuntur.

DEFINITIO VI.

Naturæ, rei naturalis, supernaturalis, seu miraculi, & rei præter naturam.

17. Naturæ nomine plurima a philosophis significantur. Et primo quidem natura, & essentia cujusumque rei idem plane sunt, promiscue usurpantur, & solo respectu differunt. Rei natura in se spectata nuncupatur *essentia*; si ad operationes, & proprietates referatur, dicitur *natura*. *Natura physica*, cujusumque rei idem est, atque illius *essentia physica*, & *realis*: essentia intelligibilis, aut nominalis dicitur jusdem rei *natura intelligibilis*, aut *nominalis*. Generali igitur hoc sensu natura rei est illudmet *esse* ei, constitutio illius intrinseca, illud principium, uo uno intellecto, aut posito, res ipsa intelligitur, ut ponitur.

2. *Natura* est indoles rei propria, & insita: hoc nodo insita illa vis, quam in flamma animadvertimus, illius Corporis natura est: generosam ferociam eoni naturalem esse dicimus. Ea propter ingenitam nimarum nostrarum indolem, & propensionem in bonum & verum naturam etiam nuncupamus.

3. Natura totum hoc universum, seu omnium creaturarum complexio nuncupatur: ita enim *naturæ auctor* universi creatorem significat.

4. Innatum illud rationis lumen, & dictamen omnibus hominibus commune, quod æterna humanarum actionum regula est, in Metaphysica, scientia morum, Theologia *Natura* appellatur; eaque propter indi-

inditas illas humanis mentibus regulas, eo dictami promulgatas, aut in ipso etiam consistentes *Natu leges* nuncupamus.

5. Naturæ tandem nomine integram virium co plexionem significamus, quæ per physicas, seu re les universi mundi partes distributæ existunt. H naturæ sensus in tertium recidit: omnium Creatur rum, atque earum virium complexio natura unive sim nuncupatur. Omnia hæc naturæ nomine mihi gnificantur: in quonam vero sensu illam singillati usurpemus, argumenti ratio docebit.

18. Explicatis modo notionibus affines sunt & quentes, *naturale*, *supernaturale*, *præter naturam* *Naturale* dicitur primo quidquid est, aut fit secu dum peculiarem genium, notionem, naturam rei cu juscumque datæ: ita naturale homini dicimus nov semper sciendi desiderium. Naturalia nuncupantu secundo effecta quæcumque, & mutationes, quæ pra sentium caussarum, seu naturæ vires non superant ab iisque proveniunt. Contra vero *supernaturale*, se alio nomine *miraculum*, appellamus quamcumque r rum mutationem, & factum, quod naturæ vires ex cedat, aut præsentes caussas omnino superet. Du *supernaturale*, seu miraculum ita definio, sequenti pono, quæ aut per totam jam Physicam probavimu aut inferius demonstrabimus. 1. Creaturis, seu d versis hujusce Universi rebus virtutem inesse, qua v re, & proprie agunt. 2. Constantes esse in natura le ges, certumque actionum, & rerum ordinem, secu dum quas creaturæ ipsæ agant. 3. Vires etiam cu universæ naturæ, tum singularum etiam Creatur rum certas esse, atque definitas, & quamdam velu finitam summam efficere, ultra quam non extendu tur. 4. Præter hanc Creaturarum Universitatem, i liusque virium summam, ens aliud esse infinitum æternum, omnipotens, liberum Universi ipsius aucto rem, qui & vires infinite majores agendi habeat, & creaturarum leges, atque vires ab ipsomet Numin datas, atque stabilitas invertere possit. Quatuor hæ capita seorsim a nobis demonstrantur; iis vero inte rim positis, facile patet, quisnam sit datæ definitio nis sensus, & quid rei *miraculi* nomine intelligam Supernaturalia ergo facta, mutationes, miracula se cundum datam a me notionem in rebus esse posse, & ali-

liquando existere, inferius demonstrabimus. Interim adnotare sufficiat, ex quatuor illis veritatibus modo positis, & alias demonstrandis duo hæc facile deducuntur. 1. falsa omnino est illa miraculi definitio, *factum, cujus caussæ nos latent*. Secundum hanc notionem infinita plane essent, atque quotidiana miracula: quænam enim passim in natura fiunt, quorum rationem penitus ignoramus! 2. Miracula alia sunt *rei*, alia vero *modi*. *Factum*, quod reapse, & in omnibus circumstantiis vires naturæ superat, *miraculum rei* nuncupatur: illud vero, quod absolute quidem vires naturæ non superat, sed in datis solummodo circumstantiis, a præsentibus caussis, eoque modo, quo factum apparet, præsentium caussarum vires excedit, *miraculum modi* nuncupamus.

DEFINITIO VII.

Entis Necessarii, Necessitatis Metaphysicæ, Physicæ, Moralis, Entis Contingentis.

19. Ens necessarium est, quod ex intrinseca natura sua ita existit, ut impossibile sit non existere: hujusmodi ens esse *solum Deum*, inferius probabimus. Quoniam *impossibilitas*, & *necessitas* ex diametro opponuntur, & triplicem agnovimus impossibilitatis gradum, *metaphysicæ*, *physicæ*, *moralis*; totidem etiam necessitatis existendi species statuimus. Necessitatem metaphysicam, quæ est summa, & intrinseca, atque solius numinis propria, in hoc opere fere semper intelligimus: definirique potest *summa ratio existendi*: vel etiam ratio existentiæ, cujus defectus est impossibilis. Necessitates *physica*, atque *moralis* in rebus etiam creatis inveniuntur. Necessitas physica est *ratio existendi ex causis physicis materialibus consequens*: seu illa est, quæ secundum præsentem naturalium rerum, caussarum, legumque physicarum ordinem deficere non potest: illud ergo factum, v. g. casus lapidis per liberum aerem, est physice necessarium, quod a physica rerum naturalium virtute, & legibus consequitur. *Necessitas moralis* est illa, cujus oppositum est maxime difficile, quin tamen sit metaphysice, aut physice impossibile. Necessitatem moralem cum morali evidentia fuse a nobis in Logicis expli-

cata

cata ne confundas, aut promiscue usurpes. *Conti gens* (necessario etiam oppositum) est, quod defice absolute potest, nullaque intrinseca naturæ necessit te existit: tales existimus homines, & quidquid æterno Numine distinguitur. Triplici igitur necess rio triplex opponitur *contingens*, *metaphysicum*, *ph ficum*, *morale*: primum est, quod absolute necess rium non existit: quidquid igitur non est Deus, qui quid est physice tantum necessarium, est *metaphysicu contingens*: creaturæ omnes hac notione comprehe duntur. *Contingens physicum* est, quod a physica n cessitate, atque impossibilitate est immune: *mora* denique, quod neque necessitate, neque impossibilit te morali donatur.

DEFINITIO. VIII.

Substantiæ, Accidentis, Modi.

20. In rebus physicis, v. gr. Compositis natural bus, plura distinguimus, ut suis jam locis diximus *subjectum*, *substantiam*, *accidens*, *modum*, *attributum* Communia hæc etiam sunt vocabula, atque notion spiritualibus rebus pariter convenientes, & frequen tissime tum in philosophia, tum aliis etiam in disci plinis usurpatæ. *Subjectum* est, cui alia inhærent innituntur, in illoque sustentantur, ut figura, co lor, aut frigus corpori illi inest, quod figuratum coloratum, aut frigidum existit: Id ergo (quodcum que tandem rei sit) quod figuram habet, frigescit aut calescit, earum qualitatum subjectum existit.

Substantia est Ens in se existens, hoc est, subjectu illud, quod taliter in sese existit, ut ad existendu ab alio subjecto, cui adhæreat, intrinsece non depe deat. Clariorem rei obscurissimæ definitionem da non possum; propterea quod claras substantiarum deas omnium philosophorum confessione non hab mus; neque melius illæ forsitan verborum, idearu que multiplicitate, quam simplici *substantiæ* vocabul intelliguntur. Imperfectissima igitur hæc est definiti seu notio nominalis, aut idealis, a reali & vera r ipsius essentia longe abludens. Cum tamen hæc ide omni, solique substantiæ reapse conveniat; neq melius aliud definitionis loco dandum habeamus; ea

reti-

retinebimus. Corpus, & animus humani, res scilicet extensa impenetrabilis, & res cogitans penetrabilis, non modo seorsim unum sine alio concipi, sed etiam existere possunt: alterum igitur alteri tamquam subjecto, a quo ad existendum dependeat, non inhæret: nihil præterea est cui inhærere debeat animus noster cogitans, aut corpus, ut existere posse intelligantur: dum interim plurima sunt, v. gr. corporis figura, motus, color, pondus, & alia similia, quæ & sine corpore stare, atque intelligi nequeunt, & corpori ipsi, tamquam modi, inhærent, illique ut subjecto adhærent, & sustinentur. Idcirco corpus, & animam nostram substantias esse dico, quorum existentia a nullo subjecto, sed a sola prima caussa dependet. Circa substantiæ notionem duo tantum hoc loco adnotamus, plura inferius daturi. Primum: longe aliam substantiæ definitionem sibi confingit *Spinosa*; ex qua maximo humanæ rationis probro impium illud suum deduxit systema inferius exponendum, quo audito humanæ horrescunt aures. Unicam esse in rebus substantiam; illam vero esse Deum; nos igitur omnes, Corpora universa Dei esse partes, aut modos, Spinosæ dogmata sunt ex sua illa substantiæ definitione descendentia, *substantia est ens independens*. De hoc tamen inferius erit disputandi locus.

21. Secundum: Substantiæ definitionem secundum *VVolfii* ideas aptatam aliqui proponunt, atque statuunt. *Substantia*, inquiunt, *est subjectum perdurabile, atque modificabile*: quam quidem definitionem claram esse, distinctamque proinde substantiæ ideam sese habere dictitant. Quo pacto homines alioqpin docti hæc sibi persuadeant, non plane video. Si illa est substantiæ notio, Deus proculdubio substantia non existit: esse enim subjectum modificabile Enti infinite perfecto repugnat. Deinde quæro, quid illud rei est, quod est *perdurabile*, atque *modificabile*? Non ego quidem quæro, quid sit esse perdurabile, & modificabile; sed quid rei illud sit, quod est perdurabile, atque modificabile. Serio, atque sincere de nobismet ipsis loquamur: notionalem substantiæ ideam, seu definitionem nobis cudere licet, rei veritatem attingere, præsentis hominum conditionis non est.

22. *Accidens* vocamus *Ens in alio*: illud scilicet, quod

quod in subjectis, seu substantiis innititur, sustentatur, ab iisque ad existendum dependet: hujusmodi sunt modi omnes atque qualitates rerum. *Qualitates* sunt illæ, quæ generari, destrui, variarique possunt citra substantiæ, cui insunt, destructionem. Sonus igitur, colores, sapores, calor, frigus Corporum qualitates existunt; neque enim, quin corporibus insint, existere ullo modo possunt, neque eorum positio, aut destructio secum fert subjectorum positionem, aut destructionem. *Modus* est peculiaris illa substantiæ affectio, atque modificatio, quæ ipsam afficit, neque a subjecto ipso reapse distinguitur, aut sine illo intelligi potest, v. gr. figura, inflexio, aut motus corporum; dubium, cogitatio relatæ ad mentem. *Accidens* in *physicum*, & *logicum*, seu *intrinsecum*, & *extrinsecum* dividitur: primum in substantia, seu subjecto reapse inest, cujusmodi sunt quæ modo retulimus: logicum vero, quod etiam *Accidens denominationis* nuncupatur, subjecto reapse, & intrinsece non inest, sed vel extrinsece tantum afficit, vel solummodo denominat: hujusmodi sunt *visio*, *cognitio*, *vestis*, si ad objectum illud referantur, quod extrinsecus attingunt, aut afficiunt illudque denominant *visum*, *cognitum*, *vestitum*. Illa igitur, quæ in se sunt substantiæ, logica, & extrinseca possunt esse accidentia.

23. Substantiam divido in *spiritualem*, *immaterialem*, *corpoream*, seu *spiritum*, *substantiam immaterialem*, *materiam*. Divisionem non probabunt. 1. Materialistæ, quibus omnia sunt materia: 2. *Pantheistæ*, qui omnia Deum esse statuunt, unicamque substantiam tenent; 3. Peripatetici, Cartesiani, cæterique omnes, quorum opinione nihil est, aut esse potest inter spiritum, & materiam medium, neque ab iis distinctum. Quæ nobis sunt cum hisce philosophis, controversias suis in locis agitamus, & fuse prosequimur; interim res alibi demonstrandas, aut jam stabilitas definimus; ideas nostras, quas hisce vocabulis significamus, exponimus.

DE-

DEFINITIO IX.

Corporis, seu Materiæ, Spiritus, Substantiæ Immaterialis, Attributi.

24. *Corpus* seu *materia* mihi est *substantia extensa impenetrabilis*: materiam, & corpus pro una eademque re usurpo, eademque mihi idea repræsento: ubicumque extensionem impenetrabilem invenio, aut hæc idea mihi obversatur, *materiam*, & *corpus* intelligo. Definitionis veritatem jam in Physica probavimus, & infra ulterius confirmamus. Si *VVolfium*, ejusque discipulos audias; *corpus*, & *materia* unum idemque non existunt; corpusque ex materia quidem componitur, sed materia non est, neque vicissim: Corpus, & compositum idem plane iis sunt: quorum neutrum substantia, aut materia dici potest. Addunt præterea, omnem substantiam rem esse simplicem, seu individuam. Si enim substantia dividi posset, in substantias, tamquam in partes divideretur: eæ ergo partes ante divisionem existerent in alio; non essent igitur substantia, sed accidens: cum igitur substantia in accidentia dividi, aut ex iis componi nequeat; unum illud superest, ut simplex omnino esse ponatur. Eos, qui contrarium adstruunt, hoc est, omnes fere philosophos præjudiciis partiumque studiis duci pronuntiant. Homines ita cogitantes, atque statuentes, sese amare, suaque sibi tenere ridendo donandum est. Longe alia mihi est cogitandi, atque statuendi ratio: materiæ, & corporis nomina idem apud me significant: Compositi notio magis est restricta, & aliquantulum diversa: Corpus, & materia sunt reapse substantia: neque in materiæ, neque in corporis, neque in substantiæ notionibus simplicitas apparet: substantiam ex partibus, seu substantialibus partibus componi, in easque dividi non posse, nulla ratio, aut argumentum probat. Quod ad id conficiendum adducitur, dignum non existimo, in quo solvendo immoremur. Philosophos *Monadum* præjudiciis imbutos ita cogitare, ita loqui, & statuere non miramur.

25. *Spiritus* est *substantia sensibilium*, & *intelligibilium rerum cogitans*. Deus, Angeli, humanus animus

ea sane cogitandi vi præditi, electionis etiam facultatem habent: quoniam tamen planum mihi non est, ideam rei cogitantis, intelligendi facultate præditæ, secum etiam ideam eligendi deferre; & ubicumque substantiæ intelligentis ideam apprehendo, spiritum agnosco; nihil amplius ad generalem Spiritus definitionem præter datam modo ideam opus esse intelligo. Spiritum cogitando agere, communis est philosophorum sententia: non esse vero agens, nisi liberum, *agens necessarium*, implicare contradictionem, quæ est *Samuelis Clark* sententia (*a*), in præsentiarum non dispuco.

26. *Immateriale*, seu *incorporeum* est substantia rerum sensibilium cogitans, easque sentiendi, atque percipiendi facultate prædita. Ad hanc mihi statuendam, atque definiendam ideam, seu substantiam, brutorum animantium consideratio inducit. Quæ a brutis viventibus fiunt, neque a puro materiæ mechanismo, neque a materia posse provenire, in Physica Viventium confeci, nisi egregie fallor: ex alia parte ea mihi *data* non suppetunt, quibus bestiarum animas spiritus esse statuam: nihilque video, quod substantiam immaterialem, quæ inter spiritum, & materiam mediet, ab utroque extremo distincta, esse non posse conficiat; plurimaque sunt, quæ bestiarum animas hujusmodi substantiam esse demonstrant.

27. *Attributa*, seu primariæ proprietates alicujus entis (idem enim illa duo significant) sunt illa, quæ licet de rei ipsius essentia non sint, aut esse non appareant, ab ea tamen necessario, consequi, & quasi fluere videntur: ita ut si attributum, aut proprietas deficeret; res ipsa etiam intelligi amplius non posset. Et hinc patet, quale inter attributa, seu proprietates primarias, & accidentia, qualitates, proprietates secundas intercedat discrimen. Attributum, seu proprietas primaria; atque rigorosa ex ipsa rei notione necessaria connexione descendit, ut a trianguli rectilinei idea, quod majus latus majori etiam angulo opponatur. Cætera ad proprietates spectantia, & non plane inutilia in Logica, & Physica generali attigimus.

DE-

(a) *Remarques sur les recherches philosophiques*.

DEFINITIO X.

Principii, Caussæ, Effectus, Actionis.

28. Passim in Metaphysicis occurrunt hæc vocabula, & ideæ, *ratio sufficiens, principium, potentia, caussa, effectus, actio*. Quid iis communiter intelligatur, & a nobis significetur, paucis definiri oportet. Quidquid in rebus fieri, factum, aut faciendum novimus, rei illico rationem quærimus, ex qua, aut propter quam effectus sit, hoc, vel alio modo producatur.

Principium rei alicujus est *id, a quo res ipsa fit, aut componitur*. Horologium. v. gr. fit ab artifice, componitur, & constat rotis, axibus, elatere &c. ille est principium, a quo fit; hæc vero principia, ex quibus fit, aut componitur, machina. Duplex igitur principiorum species, *extrinseca*, & *intrinseca*. Secunda hæc vocantur etiam rei ipsius *elementa* constituentia; cum ex ipsis res componatur; eaque potissimum sunt, quæ in Physica quærimus, cum Corporum elementa, compositionem, structuram, analysim investigamus. Quod de horologio dicimus, de rebus omnibus pariter est intelligendum. *Principium extrinsecum*, cum de rebus creatis loquimur, idem est, atque caussa. In Divinis Pater Æternus dicitur a patribus Græcis Verbi Æterni caussa, & principium; eorumque proinde sententia principium, & caussa etiam in Divinis eamdem continent notionem. Latini cum in effectu dependentiam a caussa, & consequenter imperfectionem intelligant; neque Verbum a Patre factum, seu effectum, neque Patrem Verbi caussam esse admittunt: & hinc duas has notiones in Divinis separant. Secundum hanc notionum diversitatem Principium illud esse dicimus, *unde aliquid est*, quin in hujusmodi definitione dependentia aliqua comprehendatur.

29. *Principium extrinsecum* rei, aut effectus cujuscumque creati est rei ipsius caussa: caussa autem duplici modo accipi potest: primo quidem late usurpata est *id, quo aliquid fit*: impropria hac, atque latissima significatione caussam in Scholis dividunt in *efficientem, finalem, materialem, formalem*, quibus et-

ea sane cogitandi vi præditi, electionis etiam facultatem habent: quoniam tamen planum mihi non est, ideam rei cogitantis, intelligendi facultate præditæ, secum etiam ideam eligendi deferre; & ubicumque substantiæ intelligentis ideam apprehendo, spiritum agnosco; nihil amplius ad generalem Spiritus definitionem præter datam modo ideam opus esse intelligo. Spiritum cogitando agere, communis est philosophorum sententia: non esse vero agens, nisi liberum, *agens necessarium*, implicare contradictionem, quæ est *Samuelis Clark* sententia (*a*), in præsentiarum non disputo.

26. *Immateriale*, seu *incorporeum* est substantia rerum sensibilium cogitans, easque sentiendi, atque percipiendi facultate prædita. Ad hanc mihi statuendam, atque definiendam ideam, seu substantiam, brutorum animantium consideratio inducit. Quæ a brutis viventibus fiunt, neque a puro materiæ mechanismo, neque a materia posse provenire, in Physica Viventium confeci, nisi egregie fallor: ex alia parte ea mihi *data* non suppetunt, quibus bestiarum animas spiritus esse statuam: nihilque video, quod substantiam immaterialem, quæ inter spiritum, & materiam mediet, ab utroque extremo distincta, esse non posse conficiat; plurimaque sunt, quæ bestiarum animas hujusmodi substantiam esse demonstrant.

27. *Attributa*, seu primariæ proprietates alicujus entis (idem enim illa duo significant) sunt illa, quæ licet de rei ipsius essentia non sint, aut esse non appareant, ab ea tamen necessario, consequi, & quasi fluere videntur: ita ut si attributum, aut proprietas deficeret; res ipsa etiam intelligi amplius non posset. Et hinc patet, quale inter attributa, seu proprietates primarias, & accidentia, qualitates, proprietates secundas intercedat discrimen. Attributum, seu proprietas primaria, atque rigorosa ex ipsa rei notione necessaria connexione descendit, ut a trianguli rectilinei idea, quod majus latus majori etiam angulo opponatur. Cætera ad proprietates spectantia, & non plane inutilia in Logica, & Physica generali attigimus.

DE-

(a) *Remarques sur les recherches philosophiques.*

DEFINITIO X.

Principii, Caussæ, Effectus, Actionis.

28. Passim in Metaphysicis occurrunt hæc vocabula, & ideæ, *ratio sufficiens*, *principium*, *potentia*, *caussa*, *effectus*, *actio*. Quid iis communiter intelligatur, & a nobis significetur, paucis definiri oportet. Quidquid in rebus fieri, factum, aut faciendum novimus, rei illico rationem quærimus, ex qua, aut propter quam effectus sit, hoc, vel alio modo producatur.

Principium rei alicujus est *id*, *a quo res ipsa fit*, *aut componitur*. Horologium. v. gr. fit ab artifice, componitur, & constat rotis, axibus, elatere &c. ille est principium, a quo fit; hæc vero principia, ex quibus fit, aut componitur, machina. Duplex igitur principiorum species, *extrinseca*, & *intrinseca*. Secunda hæc vocantur etiam rei ipsius *elementa* constituentia; cum ex ipsis res componatur; eaque potissimum sunt, quæ in Physica quærimus, cum Corporum elementa, compositionem, structuram, analysim investigamus. Quod de horologio dicimus, de rebus omnibus pariter est intelligendum. *Principium extrinsecum*, cum de rebus creatis loquimur, idem est, atque caussa. In Divinis Pater Æternus dicitur a patribus Græcis Verbi Æterni caussa, & principium; eorumque proinde sententia principium, & caussa etiam in Divinis eamdem continent notionem. Latini cum in effectu dependentiam a caussa, & consequenter imperfectionem intelligant; neque Verbum a Patre factum, seu effectum, neque Patrem Verbi caussam esse admittunt: & hinc duas has notiones in Divinis separant. Secundum hanc notionum diversitatem Principium illud esse dicimus, *unde aliquid est*, quin in hujusmodi definitione dependentia aliqua comprehendatur.

29. *Principium extrinsecum* rei, aut effectus cujuscumque creati est rei ipsius caussa: caussa autem duplici modo accipi potest: primo quidem late usurpata est *id*, *quo aliquid fit*: impropria hac, atque latissima significatione caussam in Scholis dividunt in *efficientem*, *finalem*, *materialem*, *formalem*, quibus et-

etiam addi debent *moralis* & *exemplaris*. Caussa efficiens, quæ sola est vera, & rigorosa caussa, est *id, a quo res producitur, seu existentiam habet*, ut mundus a Deo, actus ab anima: caussa finalis est finis ille, & (ut dicitur) *motivum*, propter quod voluntas agit, aut actionem omittit: ut martyres mortem subibant, ut juxta Divinum præceptum Christianæ Religionis veritatem sanguine testarentur.

30. *Materialis caussa* id nuncupatur, ex quo prius supposito aliquid educitur, seu potius efformatur, v. gr. horologium ex informi metallo, statua ex marmore: diversa tamen est hujusce caussæ, atque definitionis sensus apud Peripateticos, atque apud ceteros philosophos: priores enim formarum substantialium, atque absolutarum qualitatum assertores (*a*) in hac e caussa materiali, seu e subjecto eductione, aut formatione novam, veram realemque substantiam, aut qualitatem absolutam de novo productam agnoscunt: bestiarum animas, corporum formas substantiales, aut accidentales e materia educi, hoc est, vere produci autumant: ceteri omnes philosophi nihil e materia, seu subjecto præjacente nisi modificationes formari contendimus: hoc unum caussæ materialis nomine, actione, effectu significamus. *Caussam formalem*, (impropriam sane, & caussæ nomine non dignam, illam dicunt, quæ per semetipsam subjecto applicatam illud denominat; afficit & ita actus amoris, cogitatio &c. in anima recepti eam reddunt, & denominant amantem, cogitantem &c.; per colorem nuncupatur corpus *coloratum*, & ita in mille aliis effectibus, atque denominationibus, quæ aliud non sunt, quam peculiares illæ formæ aptis subjectis applicatæ. Et hæc quidem dicta sint, ut Scholasticorum etiam idioma, loquendi, scribendique ratio tum in philosophicis, tam in theologicis rebus intelligatur. Plura alia ad caussarum notiones, species, theoriam spectantia inferius dabimus.

31. Caussa physica propria, & rigorosa est extrinsecum principium, vis, aut facultas existentiæ alicujus rei. Omnis igitur rigorosa caussa est *efficiens*: tria-

(a) *Vide quæ dixi in Phys. Gen. Tom. 2. lect. 4.*

triaque hic interveniunt *caussa*, *effectus*, *actio*: caussa agit, seu producit, *effectum* nuncupamus rem productam, factam, creatam; *actionem* vero ipsummet agentis caussæ exercitium, quo effectus producitur: Omnia in Mundi creatione visuntur, Deus caussa efficiens, creatrix, Mundus hujusce caussæ effectus est, creatio, seu actio, ipsiusmet mundi a nihilo ad esse extractio.

32. Caussa efficiens multipliciter dividitur: 1. in Physicam, & Moralem: Physica est, quæ effectum physica actione ab illa exercita producit, ut Deus mundum, mens nostra nostros voluntatis actus. *Moralis* dicitur, quæ non physico influxu, sed præcepto, consilio, exemplo agit, aut physicam efficientem ad agendum movet. Caussa præterea alias divisiones sortitur, in *primam*, & *secundas*; in *proximam*, & *remotam*; in *adæquatam* & *inadæquatam*. *Caussa prima est* quæ se ipsa agit, æterna existit, a nulla alia pendet, aut movetur, cujusmodi est solus Deus. *Caussæ secundæ* sunt quæ a prima pendent, ut sint, conserventur, & agant; omnes igitur caussæ creatæ sunt caussæ secundæ.

33. *Caussa proxima* nuncupatur, quæ per se se, nullo alio mediante, effectum producit, ut Luna eclypsim terræ: *remotam* dicimus, quæ mediis tantummodo aliis caussis agit, ut aer navigationis, humana ambitio tot hominum, atque Civitatum ruinæ caussa habetur. *Adæquata* appellatur caussa, quæ sola effectum producit; *inadæquata*, si una cum aliis eumdem efficiat.

DEFINITIO. XI.

Rationis Sufficientis.

34. *Ratio sufficiens* phænomeni, aut rei cujuscumque datæ est illud, *in quo*, *aut ex quo intelligitur*, *cur data res sit*, *fuerit*, *aut futura sit*. *Ratio* igitur *sufficiens*, novum quidem antiquæ ideæ vocabulum, aliud non significat, quam principiorum, caussarum, rationum complexionem, unde res ipsa facta fuit, existit, conservatur: hæc vero complexio pro effectuum, phænomenorum, rerumque varietate, & discrimine diversa etiam existit. Res quæcumque de novo pro-

ducatur, a caussa aliqua physica, & ob finem aliquem efficitur; si a caussa libera effectus sit: atque eo quidem, & similibus casibus *ratio sufficiens* facti & caussam efficientem, & finem, seu faciendi rationem complectitur. Cum caussa est necessaria, libertatis & cognitionis expers, v. gr. pondus aeris aquam per anthlias elevans; aliud in proxima effectus productione non intervenit; quæritur, aut intelligitur, nisi physica caussa effectus; iis igitur casibus, hoc est, in tota physica rationem sufficientem effectus quærere, v. gr. elevationis aquæ per anthlias, est caussam phænomeni physicam, aeris scilicet pondus quærere. Cum effectuum moralium, qui infiniti sunt, caussam quærimus; moralem tantum intelligimus: *cur tot Europæ nationes, & hominum millia Americam a tribus jam sæculis quotannis turmatim appellunt?* cum divitiarum amorem diximus, moralem effectus caussam, atque *rationem sufficientem* dedimus. *Ratio sufficiens* multoties neque physicam, neque moralem caussam, neque finem significat, sed principium tantummodo, rationem, aut deductionem a principio, veritate, seu natura provenientem; videre id est in rerum attributis a natura deducendis, & in mille aliis opinionibus, sententiis, consequentiis probandis. Probandum assume, Omnipotentiam esse attributum Dei, omne corpus mathematice saltem in infinitum posse semper dividi; primum ab ipsamet Numinis notione, & infinita illius naturæ perfectione; secundum ab extensione corporum deduci, & quasi profluere dices; neutrius quidem caussam physicam, moralem, aut finem attulisti; utriusque tamen rei affirmandæ *rationem sufficientem* assignasti.

35. *Ratio* igitur *sufficiens* rerum pro varia ipsarum, atque effectuum indole multiplicis etiam generis est, atque ex effectus natura, & quærentis sensu definienda. Qui *Leibnitium*, *VVolfium*, & aliquos alios recentiores metaphysicos legat, rationem sufficientem fere semper crepantes; novum ab iis uberrimumque veritatum, & scientiarum principium inventum esse existimaverit: nihil tamen novo vocabulo, nisi antiqua idea elegantius significatur. *Ratio sufficiens* universim, & absolute usurpata longe latius patet, quam *caussa*: quidquid est caussa alicujus effectus, est ratio sufficiens, aut saltem ad *rationem sufficientem* ejus-

ejuſdem ſpectat: non tamen viciſſim: non omnis ratio ſufficiens cauſſæ munus agit, aut inter rigoroſas cauſſas numerari poteſt. Habes, quid ego, quid & homines communiter ejuſmodi vocabulo intelligant, & ſignificent. Circa illa, quæ ex ratione ſufficiente deducunt *Leibinitius*, *VVolfius*, eorumque ſectarii, Optimiſmum ſcilicet, & alia ejuſdem farinæ dogmata, inferius erit diſputandi locus.

36. Plures aliæ præterea ſunt generales rerum notiones, in metaphyſica ſæpe occurrentes; quas tamen commodius poſtea dabimus, cum id argumenti ratio poſtulet; ne ſpinoſa definitionum ſylva in ipſo Metaphyſicæ limine lectorem deterreamus. Apud recentiores Metaphyſicos ea invaluit conſuetudo, ut rem ipſam aggreſſi longum primo tractatum, *Ontologiam* vulgo nuncupatum, tradant, in quo Ens univerſim, & generales aliquas notiones fuſiſſime expendunt, plurima de hiſce ideis ſtatuunt, quibus poſtea, tamquam principiis ad reliqua probandum utuntur. Multa ex iis inutilia, plura nequaquam neceſſaria. Alia nobis eſt philoſophandi ratio, & methodus: aridum illum *Ontologiæ* tractatum præmittere, eoque ſtudioſæ juventutis terriculamento animos ab hiſce ſtudiis avertere non exiſtimavi. Quæ utilia ſunt, inferius ſuis quæque locis tradentur, quin in methodi leges peccare arbitremur.

Generalium Notionum, ſeu Idearum hucuſque definitarum ordo & Diviſio.

37. Ut definitæ hucuſque ideæ altius menti imprimantur, & clarius etiam inſpiciantur; eas ſecundum amplitudinis gradus diſponere, eumque univerſitatis ordinem conſiderare juvabit, quo aliæ in alias ſeriatim dividuntur, aliæ alias excipiunt; ſimpliciores, & magis univerſales in eas, quæ compoſitæ magis ſunt, & minus late patent, contrahuntur.

I. *Ens*, *Aliquid*, univerſaliſſima ſcilicet idea omnia comprehendens, dividitur in *poſſibile*, & *impoſſibile*, ſeu ens reale, & ens rationis: poſſibile univerſim acceptum cum ente reali congruit: impoſſibile, & ens rationis idem omnino ſignificant. *Impoſſibilia* cum ſint puræ ideæ fictitiæ, ens rationis, atque pure ideale, ulterius non proſequimur.

Possibile late acceptum, seu ens reale universim usurpatum in *purum possibile*, *futurum*, *existens*:

Existens in necessarium, & contingens: necessarium unum est Deus: contingens omnes creaturas existentes complectitur.

Rursus *Ens reale* alio modo consideratum in *substantiam*, & *accidens* latissima divisione dividitur.

Accidens in physicum, & logicum: physicum modos omnes, atque physicas rerum qualitates complectitur: quarum naturas per totam physicam explicavimus.

Substantia in *Spiritualem*, *materialem*, & *immaterialem* dividitur: spiritus sunt Deus, Angeli, animæ cogitantes humanæ, & infinitæ aliæ possibiles species.

Materia, seu corpus in innumeras illas Corporum classes totum hoc Universum componentes, & infinita alia, quæ creari a Deo posse intelligimus, distribuitur.

Substantias immateriales non agnosco alias præter brutorum viventium animas, quas quidem materiales non esse, gravissima argumenta conficiunt in physica Viventium a nobis proposita; ut spiritibus annumeremus, gravia argumenta non habemus; gravissima vero, ut illas spiritus non esse dicamus. Cæteras Corporum, & immaterialium substantiarum in inferiores, & inferiores gradus divisiones omittimus; propterea quod ad physicam, & historiam naturalem spectent.



PARS

PARS PRIMA

Theologiæ Naturalis, seu de primo rerum omnium Principio, Universali Caussa, & Origine,

Deo Optimo Maximo.

LECTIO PRIMA.

De Primo philosophandi principio, & deducta inde primæ Caussæ existentia, & notione.

§. I.

Primum humanæ menti philosophandi principium, *Sui ipsius, & suarum cogitationum conscientia, atque certitudo.*

38. Irum forsitan videbitur non iis tantum, qui modo vivunt, sed futuris etiam generationibus, si qui aliquando mea hæc legere non dedignentur, Europeum philosophum Christianum in media Europa, & in litterario hoc sæculo scribentem, duo hæc in primo Metaphysicæ limine serio agitare, & tamquam philosophandi principia toti Metaphysicæ præmittere, *mentem, quæ cogitandi conscia sit, certo existere: materialem etiam hunc mundum in dubium vocari non posse; atque eo pacto a sui, & materialium rerum existentia totam metaphysicam ordiri*. Quid enim? Serio ne hæc in dubium verti possunt? possint tamen: quid ab iis in metaphysicam derivabitur? Nihilominus ita ferunt tempora, hujusce ætatis mores, atque impia plurimorum philosophantium dogmata. Nostra hac ætate, si qua in alia, plurimi sunt Materialistæ, Atheistæ, Diistæ; sunt etiam Idealistæ, & tandem Sceptici, seu Pyrrhonici. Antiquæ omnes Græcorum merces una cum scientiis, & artibus in scænam iterum prodierunt: cum his omnibus agendum, disputandum, per medias eorum turmas, arma, cavillationes, sophismatum insidias philosopho incedendum est, atque deducen-

ducenda veritas. Summi, unius, atque æterni Principii existentiam, & attributa, animas nostras, earumque immortalitatem, religionem naturalem, plurimaque alia sublimium rerum capita philosophanti homini demonstranda sunt. Res summi ponderis precariis aliquot argumentis, hypothesibus, aut levibus solum rationibus conficere non licet, ne ab iis, quos impugnamus, irrisionem, aut miserationem reportemus. Ad aliquid deveniendum est constans, certumque principium, ex quo, tamquam ex immobili fundamento res omnis evidenti idearum connexione deducatur: nisi labili arenæ, ruinoso fundamento ædificium superstruere velis. Quale tamen illud? Rem tentemus: *Deum esse*, ex creaturis, a mirabili hac rerum universitate demonstramus: mundum igitur, & corpora esse, principii loco assumimus: bene quidem, si cum Christiano philosopho, cum Epicureo, cum Diista religionis naturalis cultore agamus: quorum nemo de materialis Mundi existentia dubitat. Cum multiplici tamen alia philosophantium secta res nobis est: dum ita agimus, ab Idealista, & Pyrrhonico irridemur: nihil certi a sensibus habemus, inquit primus; materialem vero Mundum solo sensu cognoscimus: illius igitur existentia statui nequit indubia: eaque propter ex precario principio demonstrationem deducitis. Quid præterea hisce hominibus reponendum, qui idealistarum errori Atheismum quandoque superaddunt, atque rerum materialium existentiam speciosis argumentis dubiam esse contendunt? Assumpti principii, rerum scilicet existentiæ veritatem demonstremus, oportet: non id tamen a Deo, quem nondum demonstravimus: Deum ii scilicet negant, aut certi de illo non existere dicunt; materialem mundum audacter pronuntiant incertum. Unum superest contra hos philosophos argumentandi principium, eorum etiam confessione certum, *propriamet illorum cogitantium existentia*, & *conscientia*, *nostramet cogitantium*, *atque idearum nostrarum existentia*, *conscientia*, *certitudo*: de hac una cum idealistis philosophis Atheis convenimus: ad veritatem aliquam, & rem tandem certam deventum est. Ab hac igitur una ad Christianum confirmandum, instruendum Diistam, Atheistam, atque Idealistam expugnandum, tamquam a principio argumentari possumus.

39. Be-

39. Bene est, quid tamen hæc adversus Scepticum, & de omnibus dubitantem Pyrrhonicum? Hosce etiam philosophos ab uno illo principio, propriæ scilicet illorum existentiæ, & cogitationum conscientia convinci, late in Logica confecimus: neque aliud est præter hujusmodi principium, quo pyrrhonismus penitus debelletur: nisi digni existimari velint, quos insanis annumeremus: aut potius *illos, qui omnia sic incerta dicunt, ut stellarum numerus par an impar sit, nescitur, quasi desperatos aliquos relinquamus*, ut cum *Tullio* loquamur (a). Ne igitur a precariis, aut dubiis principiis Metaphysicam nostram deducamus; rem omnem a nostramet philosophantium, seu cogitantium existentia, & cogitandi conscientia petamus: ea semper supponendo, quæ in Logica de veritatis criterio contra Pyrrhonicos disseruimus.

PROPOSITIO I.

Propria uniuscujusque cogitantis existentia, & existendi, cogitandique conscientia recte in Metaphysica statuitur primum philosophandi principium.

40. Morosos aliquot philosophos parum methodicos, & de hujusce ætatis sectis non satis instructos prima hæc propositio forsitan offendet; quod sterilissimas illas propositiones, *idem non potest simul esse, & non esse; res quæcumque aut est, aut non est*, diuturnis præjudiciis in principiorum numerum relatas, eo nomine non donemus: in earumque locum intimam cujusque philosophantis de suamet existentia, & cogitatione conscientiam, & certitudinem substituamus. Hisce scrupulis factum in Logica satis; quæ ibi diximus, & quæ modo adjungemus, propositionem nostram a nemine negari posse, omnesque ab uno illo dicto principio proficisci, & philosophari oportere conficient.

41. Hæc ad primum philosophandi principium opus sunt; certum esse, & evidens, ab omnibus cujuscumque.

(a) *Lucullus cap. 10.*

que sectæ philosophis, velint nolint, admitti, negarique non posse: per priora alia non probari; ab illo tandem alias ideas, seu veritates disputando deduci. Hæc sane est primi philosophandi principii apud omnes notio; quam si neges, de nomine disputas, tecum non agam. Si non est certum, & evidens; si ab aliquo vero similiter negari potest, non est principium: si per alias propositiones demonstretur; non est primum: si ab alia probandum non inservit; sterilis quidem potest esse veritas, non tamen sciendi principium, & primum nostrarum ratiocinationum fundamentum. Jam vero omnia illa in nostra philosophantium existentia, cogitatione, atque utriusque conscientia, & certitudine confluunt, nullique alii veritati conveniunt: quæ duo si probem, nihil ulterius desiderabitur. Ut ab ultimo incipiamus, morosum Peripateticum pro suo illo principio, *idem non potest simul esse, & non esse*, cum Idealista Atheo disserentem in scænam inducamus: Id scilicet axioma illud est, pro quo in primi principii locum asserendo acrius in Scholis decertetur. Age ergo, negat enimvero Deum philosophus, quocum agis: Demonstra. Creaturarum sibi ipsis ad existendum insufficientia, inquies, mundique spectaculum Dei demonstrationes sunt: qualium tamen creaturarum, & qualis mundi, quærit Atheus: naturalium corporum, visibilis mundi, respondes: bonus es, de hisce omnibus dubito, inquit. En Deum, & Corpora a philosopho in dubium vocata: rem homini, si potes, a tuo illo principio confice: unde incipies? *Idem non potest simul esse, & non esse*, dices: quid nomine *idem esse*, *non esse* intelligis? perget Idealista, aliquidne physicum? principium ergo petis, id omne dubium mihi est: si puram ideam intelliges, dabo; sed nihil inde pro Dei, & Corporum existentia probanda deduces. Interim etiam tuummet principium a pyrrhonico dicetur dubium: caussa igitur cecidisti: tuum illud principium ab uno non admittitur, ab alio sterilissimum esse demonstratur. Alia ego argumenta non adduco, quibus vulgare illud axioma *impossibile est idem simul esse, & non esse*, primum humanarum cognitionum principium non esse conficitur: neque modo indicata fusius prosequor: propterea quod rem totam in Logica lucu-

len-

lenter peregi, cum totius artis Criticæ fundamenta posui, & veritatis criterium adstruxi.

42. Sed primum jam per singula capita demonstremus. 1. Quicumque mihi ad disputandum statuatur philosophus, Theista, Epicureus, Dista, Pyrrhonicus, dum mecum agit, certo existit, neque se cogitare, & de sua cogitatione, & existentia conscium, & certum esse dubitabit. Ex omnibus diversarum sectarum philosophis unus id voce tenus dubitat Pyrrhonicus: apud cæteros omnes res est omnino certa: sed pyrrhonicum etiam, quidquid ille joco potius, quam philosophico supercilio dicat, de sua sibi existentia certum esse, neque dubitare ullo modo posse, testis ipse sibi est, & luculenter in Logica demonstravimus: quin demonstratio illa primi principii rationi officiat. Utcumque igitur Materialista, & Atheus de Deo, Idealista de rebus materialibus, Pyrrhonicus de omnibus dubitare affirment; de suamet vivunt existentia certi; eaque propter ex hoc saltem capite disputantium existentia stabile nobis esse poterit, unde disputationem ordiamur, fundamentum. Hac etiam ratione constat, quod secundo loco diximus, primo philosophandi principio convenire, id scilicet ab omnibus, cujuscumque sectæ sint, velint nolint, necessario admitti. At pyrrhonicus, dices, suammet cogitantis, philosophantis, dubitantis existentiam, & conscientiam statuit esse incertam, semet ipsum esse, se se dubitare dubitat. Erudita mendacia, respondeo: Bonus es, si hujusmodi jactatorum de se ipsis testimonio credis: ii nobis in philosophia sunt Plautini illi milites *gloriosi* uno gladii ictu plura hominum millia interfecantes, quos animi caussa bene pransus libenter audies: atque ut eamdem scænam tibi æque atque amicorum coronæ gratam prosequantur, *crescentem tumidis infla sermonibus utrem* (a).

Satis tamen in Logica illos, si sani sint, & haberi velint, de suamet existentia dubitare non posse confecimus. Id præterea addo, Pyrrhonico etiam philosopho, si quis sincerus existeret, unam suæmet existentiæ conscientiam esse posse primum philosophandi principium: cum nihil sit, de quo minus ipse possit dubi-

(a) Horatius *Satyr.* 5. *lib.* 2.

dubitare, & in quo cæteræ conditiones melius confluant.

43. 3. Jam vero nostrammet disputantium existentiam per prius aliud eo magis notum principium non probari, sed se ipso, conscientiaque nostra fieri unicuique hominum manifestum, non negabis; si quibuscum agas, non ignoras. Præterquam enim quod res tuomet experimento, & intimo conscientiæ testimonio constans per nihil aliud fieri manifestius potest, prætermisso etiam pyrrhonico se ipsum sibi dubium esse mentienti, nihil est, unde Idealistæ, Cartesiano, Atheo se ipsum existere demonstres: non quidem Deus; quem demonstrare oportet: non corporum, mundique existentia, de qua dubitat Idealista, minusque de iis, quam de propria existentia unusquisque vivit securus: non principia aliqua, aut propositiones universales, ex. gr. *idem non potest simul esse & non esse*; cum infinitæ lites circa ejusmodi propositiones moveantur, easque non principia, sed puras esse ideas universales ex aliis singularium rerum ideis ab humana mente elicitas, & abstractione, atque reflexione conceptas, in Logica conficiamus. Uno verbo, sua cuique existentia, & cogitatio adeo est intima conscientia evidens, ut neque in dubium serio vocari, neque aliter, quam ex se ipsa demonstrari possit.

44. 4. Quod tandem ex suamet cogitantis, & philosophantis existentia, conscientiæ testimonio certa, plurimas alias veritates secundum naturalem ordinem, atque idearum connexionem deducat philosophus, id nos statim re ipsa demonstrabimus; cum a nostramet existentia veram Dei existentiam, & ideam conficiemus: ab eaque plura Numinis attributa; æternitatem v. g. Unitatem, Bonitatem, Sapientiam evidenter deducamus. Ex iis enim primi Entis attributis evidenter demonstratis, corporum, Mundique existentia, origo, leges, animarum nostrarum natura, distinctio a materia, spiritualitas, immortalitas, libertas, & quidquid in tota hac Metaphysica exponemus, mira idearum catenatione consequitur, ut ipsamet rerum, & totius argumenti tractatione demonstrabo. Si ea tenes, quæ de veritatis criterio in Logica diximus, ulterior explicatio superfluit.

CO-

COROLLARIUM.

45. Quandoquidem igitur propria cujuscumque nostrum cogitantium, philosophantium, disputantium existentia, eo conscientiæ nostræ testimonio nobis constat, ut, velimus nolimus, de nostromet esse dubitare nequeamus; ratum, fixumque inter nos diversarum Sectarum philosophos communi consensu statuatur, aliquid nos esse; reale, an ideale, nondum decernamus; ne Idealistas a primo, ut dicitur, *præliminari* congressu, & articulo a proprio Idealistarum jure, atque privilegio deturbatos velimus. Ignoremus parumper, sit nec ne aliquid a nobis cogitantibus distinctum, Deus, Corpora, Mundus: de corporibus etiam nostris parum interim in Idealistarum gratiam solliciti: satis id nobis sit, nos esse de propria existentia securos. Unus est, qui communi *pacto convento* intercedat, & Polonorum more *liberum veto* pronunciet Pyrrhonicus, dignus quidem qui a Litteraria Republica ad ultimam cultissimam Ukraniam, aut Lithuaniam mittatur. Quidquid tamen hic voce tenus proferat; internum hominis sensum appello, quo sua perinde sibi, atque mea mihi rata est existentia. Eadem ii animi sinceritate loquuntur, dum suammet existentiam dubiam esse affirmant, qua Stoici, dolores non esse malum, & molestiam non creare, contendebant: quos tamen si ferires, omni statim stoica gravitate deposita, cæterorum hominum instar ob dolorum acerbitatem conqueri, contorqueri, & pedum celeritati sese committere animadverteres. Quid ergo multis inpræsentiarum cum pyrrhonicis ageremus? Si sapiunt, gloriosi quidam sunt philosophantium hypocritæ, quos animi caussa gloriose mentientes audire juvat: sin minus, cum de suæ met mentis sanitate serio dubitent, suum illi sibi habeant incertæ mentis privilegium. Satis cum iis in Logica disputavimus, eorumque sensus falsitatem demonstravimus. Contra primum hoc principium, *certum scilicet esse, mentem philosophantem existere*, seu propriæ uniuscujusque nostrum existentiæ certitudinem, omnium consensu assertam, & conscientia perceptam, nihil est, quod opponatur; si vana pyrrhonicorum argumenta excipias in loco citato diluta.

PRO-

PROPOSITIO II.

46. *Corpora etiam, materialemque mundum existere, aut certum per se est, & principiorum numero secundo loco ponendum; aut evidenti demonstratione conficitur.*

Unumquemque nostrum disputantium indubie existere, & de sua esse existentia certum, ut primum philosophandi principium jure merito potius posuimus, quam probavimus: cum de illius veritate sani omnes philosophi re conveniant, ipsum per sese constet, fiatque conscientia manifestum; neque clarius demonstratione aliqua, quam sui met evidentia pateat; ab illoque tandem quidquid est in scientiis, & artibus certum, deducatur. Bene est, existimus; at corpora ne habeamus, mundum, materialia objecta existere, neque per se esse manifestum, neque demonstrari posse, contendit *Malebranche*, & cæteri Idealistæ; contra quos luculentius modo, quam in Physica (ubi quæstionem leviter attigimus) corporum existentia est demonstranda: adversariorum enim argumenta, & auctoritas faciunt, ne corporum existentiam in *postulatorum* numero citra pulverem ponamus.

47. Duo in propositione dicimus, corporum existentiam aut esse per se certam, & inter *postulata* recensendam, aut demonstratione confici: utrumque negant Idealistæ; utrumque alii fere omnes statuunt: sunt & qui solum admittunt secundum; quodcumque eorum evincamus, satis corpora esse demonstrabimus, quod unum nobis agendum proponimus. Primum igitur probatur ex unanimi omnium nostrorum sensuum de rebus externis testimonio, & intima de ipsismet sensibus conscientia. Non solum scilicet toto vitæ cursu aliquid a nobis distinctum tangimus, audimus, olfacimus, odoramur, videmus, quod physicum sensuum argumentum est, sed intimam præterea prædictorum sensuum conscientiam habemus; aliquid enimvero, quod nos non sumus, a nobis sentiri, conscii vivimus; eoque conscientiæ testimonio ita ad corporum existentiam credendum rapimur, ut nullus hominum sit, qui de iis prudenter dubitari posse autumet:

nisi

nisi vel exercendi ingenii caussa, vel subtilitatis amore ductus. Sicut igitur intimus nostrimet sensus, & conscientia existentiam nostram nobis reddit evidentem; alia etiam a nobis distincta reapse existere, eadem ipsa conscientia innotescit. Me ipsum sentio, & aliud, nescio quid, *non me ipsum*: utriusque sensus conscientiam habeo: utraque a me assensum extorquet: velim nolim, & me & aliquid a me distinctum existere video: primum conscientiæ testimonium te tibi ad evidentiam ostendit: quidni corpora secundum? Tuum erit testimonii utriusque discrimen Idealista philosopho dignum in medium afferre.

48. 2. Quod si tamen conscientiæ sensuum diffidis, & corpora, ut postulatum non concedis; esto, rem demonstremus. Entia cogitantia existimus: quarumdam etiam rerum, quas dicimus sensibiles, seu corpora, cujusdam materialis mundi ideas in nobis habemus: rem non negabis; de mundo enim loquimur, disputamus; de re autem, cujus nullam habemus ideam, loqui ne aliquis potest? Earum idearum sua est caussa existens: illas vero ex solo mentis nostræ fundo non producimus: quod si esset, quare aliorum possibilium mundorum, planetarum, hominum ideæ nobis non essent æque familiares, ab eodem fundo pari facilitate productæ? quare eædem semper recurrunt? Idearum igitur caussæ sunt res aliæ a nostris mentibus distinctæ, quarum existentiam, perinde ut ipsæ ideæ, certam debere esse intelligimus: existunt igitur illæ nostrarum idearum de rebus materialibus, & sensibilibus caussæ: hujusmodi autem idearum caussæ sunt ipsamet earum objecta, quæ sensibilia in ideis apparent, & corpora nuncupantur. Demonstratio ad hanc summam reducitur: corporum, seu sensibilium rerum ideas in mente mea esse, de novo a me subinde acquiri, diversa mihi objecta repræsentare, mihi ipse conscius sum: ejusmodi ideas a me solo non esse, sed ab aliqua caussa externa in me provenire, clarissime intelligo: externa igitur idearum caussa, hoc est, corpora ipsa certo existunt. Dum ita argumentum promoveo, & rem totam urgeo; id semper tacitus pono, quod de evidentia, de criterio veritatis in Arte critica demonstravi.

49. Duo contra primam hanc demonstrationem opponi possunt. *Primum*: Id unum demonstramus, esse

aliquid a nobis distinctum, unde rerum in nobis ideæ acquiruntur: id autem esse corpora, seu objecta ipsismet ideis repræsentata, unde demonstrabimus? Respondeo, sensibiles rerum ideas, quibus corpora nobis repræsentamus, de eorumque existentia suademur, a Deo in nobis non produci, si corpora non existunt, statim alia demonstratione conficiemus: aliud igitur, a quo proveniant, non superest, nisi corpora: nisi velis dicere, eos a Deo creatos esse Spiritus, qui rerum sensibilium non existentium ideas producerent, & nobis semper illuderent: quod idem esset, atque ab ipso nostri, & eorum spirituum auctore nos illudi.

50. Secundo opponit *Malebranche*. Plurimarum rerum ideas aliquando in mente habemus, quando aut sensus feriantur, aut objecta jam non existunt, neque in sensus aliquid agit eis ideis respondens, ut in somniantibus, & rebus post longum tempus memoriæ mandatis visitur: possumus igitur sensibiles corporum ideas habere, quantumvis corpora non existant. 3. Forsitan hæc omnia sunt mera somnia: quoties scilicet in somniis mille nobis chymæras, & objecta clarissime repræsentamus perinde ac si ea vigiles videremus, ab iisque afficeremur? quoad igitur discrimen inter vigiliam, & somnia evidenter non intelligamus; corpora reapse existere dubium erit. Ad primum respondeo: Licet objecta tum temporis forte amplius non existant, aut in nos non agant, cum eorum ideas vel somniantes, vel absentes percipimus; conscii tamen sumus, eorum objectorum ideas generari primo in mente non posse, quin tum etiam objecta existerent, neque a solo nostro fundo nasci, ut in demonstratione diximus: stat igitur allata demonstratio, quantumvis productæ ab objectis ideæ sine objectis ipsis conservari postea, atque excitari possint, id quod in Physica Viventium explicavimus. Dico 2. latissimum a nobis discrimen percipi inter primam idearum acquisitionem, cum objectum in nos vehementer agit, atque ipsius postea memoriam, vel somnium: rem videas cum acutissimum dolorem ex inflicto vulnere sentis, atque cum ejusdem deinceps bene valens recordaris. Ad tertium jam in Logica fusissime respondimus: duo hic tantummodo addo, 1. nos non somniare, sed vere sentire, periculo nostro satis intelligimus. & probamus, cum manus ex.

grat.

grat. nostra aduritur. 2. Quod si etiam omnia hæc vocare somnia mavis; tum vero id etiam impossibile dico, de corporibus, rebusque sensibilibus te somniare, quin corpora ipsa existant, & ideas, ac phantasmata illa in somno, aut vigilia in mentem occursantia aliquo tandem modo producant. Neque enim de te, cujus nullam habueris ideam, aut ideæ, ut ita dicam, elementa, somniare unquam poteris. Illæmet chymæras in somnis repræsentatæ aliud non sunt, quam oppositarum rerum ideæ in unam compositæ; quas tamen in mente ab objectis præcessisse opus est, ut inter somnum feriantibus sensibus consocientur. Aliter si, mente nostra sensibilem mundum, ut res est, percipiente, aut, ut dicere mavis, somniante, posset nihil materiale existere; tum vero fatali quadam necessitate falleremur: cum corpora esse indole nostra credamus. Sed hoc ad secundam demonstrationem spectat.

51. *Secunda Demonstratio*. Ab Idealistis hic postulo, seu in datis refero (quod ipsi etiam admittunt) ab ideis, & existentia rerum cogitantium, de quibus mutuo convenimus, evidenter demonstrari omnium rerum auctorem, caussam primam æternam, cujus summa, ac infinita est bonitas, & sapientia. Cum hisce philosophis hoc modo agendo, circulum non committimus; mentes enim cogitantes existere, ab iisque Deum vere demonstrari, una nobiscum fatentur: demonstrationem statim dandam ponamus, ut corporum etiam existentia, de qua dubitare dicunt, conficiatur. Existit Deus summe bonus, & sapiens, qui neque ob summam bonitatem fallere, neque ob summam sapientiam falli potest: nos autem falleret, si corpora, quorum ideas, & sensus habemus, non existerent. Eam enim vero nobis indolem, naturam, & rationem dedit, ut quidquid evidenti ratione, conscientia, & omnium sensuum perceptione attingeremus, quadam naturæ necessitate verum, & certum teneamus: hanc igitur nobis dedit firmissime credendi, & pro vero habendi regulam, *ideam, seu rationem claram, conscientiam, sensum*: data hæc a Deo assentiendi regula corporum existentiam nobis demonstrat: si ergo regula est vera, certo existunt corpora: sin eorum existentia est falsa, aut dubia; falsa, aut dubiæ veritatis est regula: hujusmodi autem regu-

lam nobis a Deo dari, ita nos creare, ut illa regula necessario ducamur, qua ita ducti falsa, ut certa, teneamus, id vero esset, nobis a Deo imponi; Deus esset communis nostrorum errorum caussa: si in errores labimur, id ex eo est, quod secundum datam nobis regulam judicium feramus: in culpaque esset qui & legem dedit, & secundum legem agere, & vivere nos cogeret. Nihil in hac demonstratione assumo, quod manifestum in ideis non appareat, nisi illud sit. mentem humanam naturali quadam necessitate verum illud, certumque existimare, quod omnium sensuum testimonio, idea, & ratione clara percipitur. De hoc tamen communem ego omnium hominum, scholæ, aut Sectæ præjudiciis non laborantium sensum appello. Ecquisne in mundo est mente sanus, cui, si in ideali tantum mundo se se vivere dicas, tacitus non subrideat, & quacumque apud illum auctoritate valeas, te erudite delirare non miretur.

52. Corporum existentiam a Sacræ Scripturæ textibus demostrare supersedeo, quod philosophos agimus; de rebus intelligibilibus tantum disputamus, & cum iis tandem res nobis est, qui auctoritatem nihili faciunt. Præcipua, quæ hic ab Idealistis contra propositam demonstrationem a fallacia sensus opponi possent, luculenter in Logica diluimus, cum de Scepticismo, atque de veritatis criterio disseruimus: in quem locum lectorem remitto, ne, quin eadem repetamus, aliquid in hoc argumento desideretur.

53. Opponit præterea *Malebranche* (*a*): Omnes fallimur circa qualitates corporum, colores ex. gr., sonos, & alias similes, dum eas in corporibus reapse esse existimamus; cum tamen non sint nisi in anima, a qua per sensuum organa percipiuntur: si igitur sensus qualitates in corporibus non existentes in corporibus esse repræsentant; iidem etiam objecta nullo modo existentia repræsentare poterunt, atque sentire. 2. Opponi potest. Certitudo sensuum est tantum regula, seu criterium certitudinis physicæ: physica igitur tantummodo, seu naturali certitudine con-

(a) *Recherche de la verité tom. 4. a pag. 80.*

constare potest existentia corporum: fierique proinde potest, ut sit merum veritatis phantasma.

Resp. Quod primo loco de qualitatibus dicitur, cum in Physica Viventium, tum etiam in Logica fuse exposuimus, quae loca si relegas, tota evanescet difficultas. In qualitatum, ex. gr. soni, perceptione duo distinguere oportet, 1. actionem, & caussam aliquam externam in sensuum organa agentem, sine qua sensibilium illarum qualitatum ideas non eliceremus: 2. animae sensum, seu de caussa illa actioneque externa perceptionem. Si sentio; aliquid est, quod sentio: externum aliquid est hujusce sensus caussa: si nihil ab anima distinctum existeret; nihil fore ab anima percipiendum, nullius corporis ideam a nobis fore comparandam, superior demonstratio, & rationes citatis locis adductae demonstrant. Et hoc quidem ad primum, ad rerum existentiam spectat: nihil fit sine caussa: animae humanae singularium, & originalium, ut ita dicam, idearum de objectis ab illa distinctis, atque sensuum creatrices non existunt. Contra vero, esse aliquid in objecto externo, seu extra animam nostro;net sensui, seu qualitati intra animam simile; atque qualitatem, seu sensum ab anima perceptum extra animam ipsam in corpore existere, nulla est ad id asserendum ratio, ut citatis in locis demonstravi.

54. Ad secundum respondeo. Certitudo sensuum est physica, quae, stantibus hisce naturae legibus, deficere non potest, maxime vero, si auctoris ipsius, seu naturae leges aliquo in casu immutentur: hoc autem sufficit, ut ex bonitate Dei Corporum existentiam non modo Physica, sed Metaphysica etiam certitudine in hunc modum demonstremus. Physica certitudine humanae menti constat, corpora existere: solo igitur miraculo fieri posset, ut corpora non existerent; quantumvis ea esse omnis humana species, stantibus hisce naturae legibus, certum existimet: eo miraculo nobis illuderet Deus (quod est impossibile); cum ex una parte evidentiam sensuum, & regulam nobis donasset, qua naturae necessitate corpora esse existimaremus; ex alia vero corpora ipsa tolleret, naturaeque legem rumperet, quin aliquod de immutata lege judicium, aut argumentum nobis ostenderet, ut a data per ipsum nobis credendi necessitate ad

tempus saltem solveremur. Posita igitur & nostra de qua convenimus, & Dei etiam existentia atque Bonitate, quas ab illa nostrum cogitantium existentia, & ideis una cum Adversariis evidenti consequentiarum connexione demonstrabimus; posita denique Physica illa certitudine, qua sensus nostri, & intima sentiendi conscientia sensibilem mundum esse demonstrant, nulla ratione fieri potest, quod mundus non existat. Priora illa tria sunt communia *data*, atque *postulata*, de quibus convenimus: consequentia ex tribus datis exposito superius modo deducitur.

55. Quod si aliquis importune interloqueretur, omnes nostras ideas esse a corporibus, atque a sensibus: certiores igitur nos de nostris corporum ideis, quam de corporum ipsorum existentia esse non posse: male ille quidem præsentem caussam ageret. Distingue philosophorum classes, & sectas, quibuscum disputamus: quicumque omnes nostras ideas a sensibus repetit, ut Peripateticus, Epicureus, Materialista, Locke, & alii, de corporum existentia non dubitant: nobiscum igitur conveniunt, qui hoc argumento uti possunt: cum Idealista solummodo res nobis est, cujus sententia ideæ, & res cogitantes certo existunt, corpora omnia sunt dubia: ideas igitur omnes a corporibus, & sensibus esse non existimat. Præterea effectum sæpissime noscimus, caussam ignoramus; ideæ sese nobis manifestant: a quanam origine proveniant, certo in hac vita scire non possumus. Quid ego de iis verum existimem, in Logica indicavi, inferius propugnabo.

§. II.

Generalia aliqua ad philosophandum Axiomata a philosophandi principio, & veritatis criterio deducta.

56. Si ea, quæ in Logica de veritatis criterio, de evidentia rationis, atque intimo conscientiæ lumine, & testimonio diximus, memoria recolamus, & rationem præterea illam animadvertamus, atque meditemur, qua, velimus nolimus, neque de nostra cogitantium, neque de aliquorum saltem corporum existen-

stentia dubitare possumus; duo hæc inveniemus, 1. tam ab evidentia rationis, quam ab intimo conscientiæ sensu, testimonio, lumine mentem nostram ad firmissimum assensum trahi, duoque illa esse perfectissimam veritatis tesseram, qua objecta quæcumque, aut propositiones donentur, eas certissimas esse pronuntiamus. 2 Eamdem rationis, aut conscientiæ evidentiam unum inter alia caput esse, ex quo superiora duo philosophandi principia certissima esse statuimus. Duo in hisce propositionibus distinguimus, manifestam veritatem, seu certitudinem, atque principii philosophandi rationem, quorum primum in secundo continetur, non tamen vicissim: quidquid est philosophandi principium debet esse evidenter certum; innumera tamen sunt evidenter certa, quin principiis annumerari possint. Alias enimvero requiri ad philosophandi principium conditiones, jam superius diximus, & fusius in Logica probavimus: quæ in aliis propositionibus evidentibus desiderantur, uni illi, quod adstruximus, convenire apparent.

57. Ex earum numero sunt sequentes propositiones, in quibus axiomatum evidentiam, certissimam veritatis tesseram, agnoscimus: illas quidem principiorum nomine ob datam superius rationem non donamus: quoniam tamen & universalia, & evidentia per se sunt, & aliquam dicendis postea rebus lucem affundunt; illa hoc loco axiomatum, aut postulatorum nomine ponimus.

58. I. *Illæ omnes propositiones quæ pari, aut eadem evidentia constent, atque primum illud philosophandi principium*, nostra cogitantium existentia est omnino certa, *sunt prorsus evidentes, atque certissimæ*.

Eadem enim evidentia naturali summa, & veritatis criterio constant. Indubia idcirco habenda sunt quæcumque per totam hanc Metaphysicam evidentia hujusmodi donata deprehendamus. Omnes igitur illæ veritates, aut existentiæ rerum sunt certæ, aut evidentes, quæ veritatis criterio a nobis in Logica fuse demonstrato constant. Ubicumque in illas incidamus, aut nobis proponantur; philosophica, & rationali transactione certæ pronuntientur. Demonstratione opus non habent, quæ demonstrato alias veritatis criterio manifeste donantur.

II. *Sunt similiter omnino certa, quæ a veritate quacum-*

cumque evidenti, aut re certo existenti per evidentem connexionem consequuntur.

Res est ex Logica, atque ex ipso rationis lumine constans. Si mundi idea, atque existentia intelligi, atque stare non possit, quin Deus existat, interimque certa omnino sit realis mundi existentia; erit etiam pariter verum, æternum Numen existere.

60. III. *Contra vero impossibilitatis, seu manifestæ falsitatis nota est, rationis evidentiæ opponi. Illa igitur omnia sunt impossibilia, quæ ideis inter se manifeste pugnantibus constarent.*

61. IV. 2. *Impossibilia sunt, quæ rei certo existenti, seu veritati cuicumque evidenti certo opponerentur.*

62. V. 3. *Impossibilia sunt, ex quibus, si dentur, per necessariam, seu evidentem connexionem aliquod impossibile consequeretur.*

Propositiones ex se evidentes, & triplicem hanc impossibilitatis notam, atque manifestum falsitatis criterium exempla illustrabunt. 1. Perfecta Respublica, & perfecta Monarchia sunt ideæ inter se plane oppositæ: regimen igitur ex utraque compositum plane est impossibile. 2. Mundana corpora, & reverentia erga Deum duo sunt, quorum primum certo existit, secundum lumine rationis verum apparet: impossibilia igitur sunt duo hæc, mundum universum rem tantummodo esse idealem; Deum colere, atque amare non esse bonum, & rationis lumini conforme: quorum primum rei certo existenti, secundum propositioni per se evidenti opponitur. 3. si omnia fatali necessitate acciderent; Deus non esset liber: si non est liber, non est summe perfectus: Deum autem, hoc est, ens infinite perfectum non esse summæ perfectionis, est manifeste impossibile: est ergo impossibilis illa fatalis rerum necessitas, ex qua, si detur, per manifestam connexionem consequitur impossibile.

63. VI. *Nemo dat, quod non habet*: hoc est, quod nullo modo habet: pluribus enim modis res haberi potest, atque in dante contineri, quos infra numero 314. & seq. explicabimus. Interim quocumque modo illam continendi, aut habendi rationem intelligas; allata propositio adeo est per se clara, ut assensum penitus extorqueat, & perfectissimo veritatis criterio donetur.

64.

64. VII. *Nihil nullius rei poteſt eſſe cauſſa*: hoc eſt, *quod nihil eſt, quod non exiſtit, non poteſt agere*. Veritas hoc modo enunciata per ſe ipſam eſt manifeſta. Aliis verbis efferri etiam ſolet, *ex nihilo nihil fit*; quibus duplex continetur ſenſus, primo ſcilicet ille modo a nobis explicatus, qui ex manifeſta idearum connexione eſt evidens. Secundus ejuſdem effati ſenſus eſt, quod nulla omnino res de novo fiat, aut potuerit umquam fieri, nihil incipiat eſſe, omnia ſint æterna, neque fuerit umquam tempus, in quo res, modo exiſtens, nihil fuerit. In ſecundo hoc ſenſu effatum illud, *ex nihilo nihil fit*, antiqui Philoſophi uſurpabant, atque ſtatuebant, ex eoque mundi, aut materiæ æternitatem deducebant. De hoc ſecundo ſenſu inferius erit dicendi locus.

65. VIII. *Res non exiſtens non operatur, omniſque actio, ſeu operatio ſequitur eſſe, ſeu exiſtentiam agentis. ſeu prius eſt eſſe, quam operari.*

Si aliquid non exiſtens ageret, daret exiſtentiam, quam nullo modo habet: daret igitur, quod non habet. Hinc 1. in omni cauſſa requiritur exiſtentia: ſequitur 2. cauſſam aliqua tandem ratione effectu ſuo priorem eſſe debere; *tempore*, vel *natura*. Quid ſit, unum alio prius eſſe *tempore*, per ſeſe conſtat. Cauſſam vero effectu ſuo, *natura* priorem eſſe, eſt, prius intelligi cauſſam, quam effectus; effectum eſſe, & dependere a cauſſa, non viciſſim. *Prioritas igitur temporis* eſt alicujus ſaltem momenti præcedentia: *prioritas naturæ* eſt dependentia effectus a cauſſa. Si cauſſa aliqua primo ſuæ exiſtentiæ momento agat; tum vero pura *naturæ prioritas* exiſtet. De his tamen iterum erit ſermo.

66. IX. *Cauſſa perfectionem effectus continere debet, ſeu effectus non poteſt eſſe perfectior, quam ejus cauſſa.*

De cauſſa integra effectum ſe ſola producente, intelligitur axioma: quod explicare ſuperfluit. Duplicem tantum exponemus modum, quo in cauſſa effectum contineri dicitur, *formaliter* nimirum, vel *eminenter*. Effectus vel eſt ejuſdem naturæ, atque cauſſa, illique proinde ſimilis; vel ſpecie ita differunt, ut latiſſimam inter ſe diſſimilitudinem habeant: primum viſitur in motu motum producente, in quo cauſſa, & effectus ſunt ejuſdem rationis: ſecundum in Deo ver. gr. mundum materialem creante: effectus

ſci-

ſcilicet materialis finitus a cauſſa ſpirituali intelligente infinita. Cauſſæ effectus ſibi ſimiles *formaliter* continere dicuntur; diſſimiles vero *eminenter*: quocumque modo res accipiatur, & cauſſa cum effectu comparetur; virtus, atque perfectio cauſſæ perfectionem effectus continere, æquare, aut ſuperare debet: niſi ita eſſet, cauſſa daret quod nullo modo haberet. De cauſſa tantum integra diximus: quæ enim hujuſmodi non eſt, totam effectus perfectionem non producit.

67. X *Quidquid de novo eſſe incipit, aut incepit, cauſſam habet.*

Neque enim a nihilo fieri aliquid poteſt, hoc eſt, a nihilo produci.

68. XI. *Nullum ens ſui ipſius poteſt eſſe cauſſa, ſeu ſibi ipſi exiſtentiam dare.*

Et hinc inter effectum, & cauſſam neceſſaria omnino eſt diſtinctio.

69. XII. *Nihil fit, aut eſt, fieri, aut eſſe poteſt ſine ratione ſufficienti.*

Senſus propoſitionis eſt, quidquid exiſtit, producitur, conſervatur, fit, affirmatur, poſſibile, aut impoſſibile dicitur, ob rationem aliquam, principium, & cauſſam exiſtit, producitur, conſervatur, fit, affirmatur, poſſibile, aut impoſſibile dicitur. Tria ſcilicet hæc, *cauſſa*, *principium*, *ratio*, nomine rationis ſufficientis ſignificamus: eoque ſenſu intellecta propoſitio eſt per ſe ipſam manifeſta. Omnia *contingentia* de novo fiunt, atque facta ſunt; & cum a ſe ipſis non ſint producta, eorum ratio ſufficiens eſt cauſſa efficiens diſtincta, a qua ſunt producta. Entis neceſſarii ratio ſufficiens eſt ipſiuſmet entis natura, atque ingenita perfectio. Ratio ſufficiens omnium impoſſibilium, ob quam ſcilicet ipſa ſunt, atque affirmantur impoſſibilia, eſt manifeſta idearum oppoſitio. Ratio ſufficiens poſſibilitatis alicujus rei, v. gr. alterius mundi, quare ſcilicet alter mundus ſit, atque dicatur a nobis poſſibilis, alia eſt *intrinſeca*, alia *extrinſeca*: prior in manifeſta concordia idearum rei poſſibilis conſiſtit. Poſterior vero in vi, atque efficacia cauſſæ, a qua fieri poteſt. Ratio ſufficiens cujuſcumque actus rationalis, vel ad voluntatem, vel ad intellectum ſpectet, amoris nimirum, odii, affirmationis, negationis, dubii, & cæterorum omnium, quos libe-

libere, aut necessario elicimus, sunt rationes illæ, quibus ad ejusmodi actus ponendos ducimur.

Habes, quas novo illo rationis sufficientis vocabulo antiquas ideas significemus, & pro objectorum diversitate intelligamus. Quam statuimus, propositionem universalem verissimam esse nullus diffitebitur; recte ne vero, an secus argumenta ad peculiaria Metaphysicæ dogmata probandum inde petantur, suis in locis examinabimus.

§. III.

Notio, atque Demonstrationes Existentiæ Entis necessarii, seu Primæ rerum omnium Caussæ.

70. A primis illis duobus philosophandi principiis, *nostra cogitantium, atque materialium rerum existentia*, ab effectu scilicet nobis notissimo, atque indubio ad supremi alicujus Entis, atque primæ rerum omnium caussæ notionem, & existentiam secundum idearum ordinem conscendamus. Eo deducamur, quo mentem philosophantem ideæ ipsæ, idearumque connexiones manuducunt. Gravissimum modo argumentum, seu potius veritatem demonstrandam aggredimur, totius humani generis animis, & mentibus insculptam, plurimorum tamen vitio, ignorantia, malitia, affectibus ita sub sensibilium rerum ideis obductam, atque sepultam, ut multiplex omni semper ætate extiterit *insipiens, qui dicit in corde suo, non est Deus* (a): quæ quidem humani cordis contagio nostris hisce temporibus latius serpit.

DEFINITIO

71. *Dei* nomine intelligimus *Ens necessarium*: quod insimul concipimus *Spiritum, Ens æternum, intelligens, improductum, Creaturarum omnium caussam, Ens a se, infinite perfectum*. Has quidem, & alias, quas de Deo, ejusque perfectionibus habemus, ideas ordine explicabimus, & veras esse demonstrabimus. Illa omnia a notione, & idea *Entis necessarii* deducemus, quam ante omnes alias negat Atheus. Si Ens aliquod necessarium statuatur; nullus amplius superest Atheismus: id scilicet est Deus ab hac univer-

---

(a) *Psalm.* 14.

veritate rerum, a creaturis universis distinctus. Etsi huic numero definitionis nomen præmisimus; cave tamen allatam notionem pro rigorosa atque exacta definitione usurpes: rem unus definit, qui mente comprehendit: Deum vero infinitum, ejus naturam comprehendere, humanum non est: unus ipse sese perfecte cognoscit, & infinitam perfectionem infinita cognitione adæquat. Definitionis igitur loco ea nobis est data notio, quæ unius Dei propria esse potest, & debet; quam si demonstremus, omnis e medio sublatus erit Atheismus. Quod si aliquam in hac explicatione assumimus ideam adhuc non definitam, qualis est illa æternitatis; in re tamen præsenti illa nobis sufficit hujusmodi rerum cognitio, quæ in hominibus communiter deprehenditur.

ANNOTATIO HISTORICA.

72. Atheista (vox a Græco Αθεος derivata) est homo sine Deo, qui Deum negat, aut non agnoscit: qui scilicet Deum opinione, aut factis, aut utroque modo inficiatur, negare, aut non agnoscere apparet: hujusmodi hominum doctrina, Secta, aut vivendi ratio Atheismus nuncupatur. Ex qua nominis definitione triplicem distinguimus Atheismi speciem, Atheismum intellectus, seu opinionis, Atheismum voluntatis, seu morum. Atheismum ex utraque ratione compositum: totidemque Atheistarum, quot Atheismi species distinguimus: *Atheismus, & Atheista theoreticus* est qui aut nullum reapse Deum esse sibi persuadet, aut de eo saltem dubitat: primus dicitur, & est *Atheismus, aut Atheista dogmaticus, seu systematicus*; alius vero est purus pyrrhonismus. *Atheismum, & Atheistam morum* nuncupamus, qui de Deo non cogitat, iisque moribus vivit, qui hominem de Deo nihil cogitantem sapiant: Et hic quidem iterum est duplex, crassus quidem alius, qualem in militaribus hominibus, agrestibus, rudibus sæpissime deprehendimus; secundus vero non adeo crassus, quem illiteratum, & politicum appellare possumus, propterea quod inter Aulicos potissimum, politicos, & alios parium Ordinum homines vigeat, quos etsi illi-

te-

teratos, crassos tamen dicere nequaquam possumus. Atheismus, & Atheista ex utraque specie mixtus est, qui & opinione, & moribus Deum negat, aut de illo dubitare apparet.

73. Hæc quidem nominis illius significatio, & rei ipsius ideæ (maximo humani generis probro dicendum est) nostro hominum vitio verum habet objectum. Fuerunt fere semper in mundo tres illæ Atheismi classes; hodieque late serpit perniciosa illa mentis, & morum contagio. Atheistæ theoretici systematici non admodum multi: majori numero pyrrhonicos invenias: utrique reipsa ignorantes, aliqui specie tantum docti, eruditione leviter comparata, apud alios ejusdem farinæ doctores, & cinncinatum litteratorum vulgus doctrinæ nomen sibi fecerunt. Nullus tamen eorum philosophus dici potest citra philosophiæ injuriam. Superficialis Philosophia ad atheismum ducit, profunda vero reducit, inquit *Verulamius*, auctor quidem iis hominibus nequaquam suspectus. Atheismus morum latissime inter homines grassatur, & nationes semper infecit: mixtus inter duos medium tenet locum. Atheismus ergo proprie dictus est, Deum sententia, dubio, aut moribus negare. Theoreticus, quem solum impræsentiarum respicimus, vel systematicus ille sit, vel pyrrhonicus, pro principiorum, quibus innititur, diversitate, alius est Aristotelis Atheismus, Epicuri, Stoicorum, Spinosæ alii. Theoreticis Atheistis accensendi sunt, qui illa propugnant dogmata, ex quibus per necessariam, & manifestam consequentiam Deum non esse consequitur: hujusmodi sunt Pantheistæ, qui omnia faciunt Deum, Materialistæ, quibus omnia sunt materia, Fatalistæ necessitatem quamdam in rebus fatalem statuentes; ii denique, qui omnem in Deo providentiam negant: hæc enim illa sunt dogmata, quæ si vera essent, veram Dei notionem tollerent.

74. Si hujusce pestis originem quæras; atheismum opinionis a morum atheismo primum distingue. Posterioris radicem, & antiquitatem ab humani cordis, & animi corruptione repetas oportet: theoreticum vero si primo non invenere, confirmarunt saltem, atque mirifice propagarunt philosophorum sectæ. Utcumque res sit, inter Hebræos ab antiquissimis temporibus fuisse Atheos indicare videtur illud Davidis,

di-

dixit insipiens in corde suo, non est Deus (*a*). Quid etiam Sadducæorum secta, & doctrina, nisi purus Materialismus, hoc est, verus atheismus (*b*)? Extremæ tamen impudentiæ est, Moysen Pantheismi, hoc est, Atheismi accusare, id quod effecit Tolandus Atheista (*c*): Salomonem, & Prophetas veris Atheistis, aut pyrrhonicis annumerare, quod ausus est Collins (*d*). Antiquam Sabbæorum Sectam, seu Sabbæismum idem esse, atque hujus ætatis Spinosismus, communis hodie est plurimorum sententia (*e*): Chaldæos etiam una cum Sabbæis pantheismum olim tenuisse, non una ratione probatur (*f*). Inter Atheistas communiter numerantur Diagoras, Theodorus, Critias (*g*), Sextus Empyricus (*h*), Arcesilas. Secunda Academia, cujus ille fuit auctor, pyrrhonismum (*i*), prima Scepticismum, tertia a Carneade fundata, omne criterium inter verum, & fallum, certum aut incertum negabat, unam probabilitatem admittebat (*k*): si igitur omnia ponebant dubia, de Deo saltem dubitabant, eaque propter, Atheismum profitebantur. Carneadi Clitomachum addit Tullius, & Fabritius (*l*). Strato Lampsacenus Spinosismum sua ætate docuit (*m*). Byon Cyrænaicus, Stilpon Megarensis eidem numero accenſentur (*n*). Bene mul-

(a) *Psal.* 14.
(b) Josephus *Antiq. l.* 14. Prideaux *t.* 5. *lib.* 13.
(c) *Orig. Judaic. p.* 155. 56.
(d) La liberté de penser.
(e) *Vide* Budæum *de Atheism. c.* 1.
(f) *Vide* Prideaux *Histoire des Juifs*.
(g) *Vide* Bayle *Dict. Critiq. v. Critias*.
(h) *Hypoth. l.* 3. *pag.* 318.
(i) Tullius *de Oratore*.
(k) Bayle *loco cit. v. Carneades*.
(l) Tullius *in Lucullo*, Fabric. *Biblioth. gr. l.* 2. *cap.* 23.
(m) *Dissert. Spinosismus ante Spinosam*. Bayle *dict. v. Spinosa*.
(n) Bayle *loco cit. v. Bion*, *Stilpon*; *Budæus loc. cit.*

multos produxit Schola Eleatica, pluresque alios Græcos philosophos inter Atheos numerat Ælianus, quales sunt Euhemerus, Diogenes Phrygius, Hippon, Sosias, Epicurus (*a*). Circa tot veterum philosophorum atheismum plurima disputari possent. Quid de illis alii teneant, aut referant, in medium attuli. Antequam sententiam ipse dicas, duo hæc, me auctore, tibi semper statue: citra evidentiam, aut gravissimum fundamentum nullum mortalium atheismi nota inuri posse. 2. De quamplurimis veterum Sententiis ob rationes in Arte critica adductas, certi aliquid statui non posse. Tot igitur veteres philosophos fuisse reapse atheos, auctor esse nolo: aliunde conscius atheorum numerum a *Bayle* & aliis studiose augeri.

75. Nostra hac ætate complures esse Atheos, atque inter eos primum habere locum Tollandum, Collins, Spinosam, Hobbes, *La Metrie*, & alios, nullus ignorat in Historia litteraria non peregrinus. Qui utrumque Clarckium, Hancock, Burnetum, Sherlock, Morell, Budæum, Tindal, Collins, Bayle, Voetium, Tolandum, Spinosam, Hobbeum, Hume, Voltaire, Rousseau, & alios quamplurimos hac nostra tempestate in scænam productos, & ab una, vel altera parte stantes legat; quam late Atheismi contagium grassetur, non parum demirabitur. Angliam hisce hominibus scatere, ex ipsismet Anglis Scriptoribus ediscimus (*b*). Anglis forsitan hac etiam in parte non concedunt Batavi (*). Neque alias nationes minor opinandi, loquendi, atque scribendi licentia, aut libertas ab illo contagio immunes efficit.

76. Cum nullus major sit nævus, atque infamiæ nota (meo saltem judicio), quæ hominis cujuscumque nomini, atque æstimationi inuri possit, quam illum inter

(a) *l. 2. hist. variæ cap. 35.*

(b) *Lege the gentblemen Instructed.*

(*) L'on ne peut pas nier, que nos provinces d' Hollande ne soient, comme l'Afrique, le sejour de plusieurs monstres, tels que sont les libertins, les fanatiques &c. *inquit*, Voetius *disputat. de Atheismo*.

inter Atheos scribere; citra gravissimum fundamentum ad moralem, aut sensuum evidentiam, aut certitudinem pertingens, Atheismum alicui tribuere non licet, neque possumus. Hinc eos ferre numquam potui, qui Joannem Locke, Malebranchium, & alios ejusdem subsellii philosophos Atheistis annumerant. Id nimirum universæ humanitatis, æquitatis, atque justitiæ leges vetant, quibus nihil magis sanctum apud homines esse deberet, ne christianam caritatem in partes etiam adducam: quamdiu per veritatis leges licet, dubiæ, ambiguæ, aut obscuræ auctoris cujus cumque in re tanti momenti mitius semper interpretandæ. Eo tamen prætermisso, quænam sint Atheismi tot Sectarum fundamenta, quo pacto ab diversis philosophorum principiis Atheismus consequatur, ordine exponemus. Duo hic sunt animadvertenda: 1. commune hoc esse omnium Atheistarum ad Dei existentiam negandam argumentum, seu effatum *ex nihilo nihil* fit, hoc est, quidquid in rebus fit, ex materia jam antea existente fit: Secundum sensum superius explicatum, & ulterius infra explicandum: materia ergo est æterna, improducta, necessaria, Ens a se: ergo non est Deus. Præter hoc principium pro Sectarum diversitate, peculiaria etiam dogmata ponunt, ejusdem principii Appendices, Atheismum confirmantia, aut consequentia: Aristoteles scilicet, mundum esse æternum; Stoici, Deum necessario esse materiæ unitum, atque fatalem rerum necessitatem; Epicurus, originem mundi ex casu, & fortuito æternarum atomorum concursu; Strato, ejusque Sectarius Spinosa unius tantum materiæ existentiam, seu Pantheismum: quæ omnia capita singillatim examinabimus. Impugnationes præterea adversus theistas ab Dei Providentia, Immensitate, Libertate, & ab illa quæ iis videtur, inter attributa Entis necessarii repugnantia derivant. 2. Multiplex etiam demonstrationum genus est, quibus Deum esse demonstramus, Metaphysicæ, physicæ, & morales, quæ neque eosdem certitudinis, & evidentiæ gradus continent, neque contra omnes indiscriminatim philosophos produci possunt: Idealistæ, & Pyrrhonico Dei existentiam ex corporibus non demonstrabis; nisi demonstrationem ex postulato iis philosophis incerto petere velis. Hisce breviter animadversis rem ipsam aggrediamur.

PRO-

PROPOSITIO III.

77. *Veritas Exiſtentiæ Dei demonſtrationibus Metaphyſica, Phyſica, & morali conficitur.*

Summum totius humanæ Philoſophiæ caput: attingimus, quod pro viribus multiplici demonſtratione conficere oportet. Triplici argumentorum ordine rem aggrediemur, demonſtratione Metaphyſica, phyſica, & morali: quæ ſingularum propria ſit evidentia, aut certitudo, in Logicis expoſuimus. A prima incipiamus.

Prima demonſtratio: Exiſtimus enimvero Entia cogitantia, exiſtunt etiam corpora materialia, ſeu mundana machina, cujus ideam claram in nobis habemus, & ſenſu etiam percipimus: de hiſce duobus nullus dubitat Atheus Epicuræus, ſeu Materialiſta; dubitare etiam amplius non poteſt idealiſta Atheus, aut Pyrrhonicus: Si ergo ex his duobus jam certo ſtatutis Dei exiſtentia conſequatur; acta res erit. Aut omnia entia exiſtentia (cogitantia, vel materialia exiſtant) ſunt intrinſece contingentia, vel eorum aliquod eſt neceſſarium: nihil eſt medium inter neceſſarium, & non neceſſarium, ſeu contingens. Si admittatur ſecundum; habemus Ens intrinſece neceſſarium, quod Deum eſſe demonſtrabimus: primum eſſe impoſſibile, ita conficimus: quodcumque ens contingens eſt ens ab alio; hoc eſt, ratio, & cauſſa ſufficiens productionis, exiſtentiæ, conſervationis cujuſcumque entis contingentis eſt in alio: neque enim ens intrinſece contingens eſt a ſe productum, exiſtens, aut conſervatum: omnia igitur entia contingentia ſunt ab alio, in alio habent rationem ſufficientem ſuæ productionis, & exiſtentiæ: tota igitur ſeries entium contingentium, etſi ponatur infinita, hoc eſt, omnia contingentia totam collectionem, aut ſeriem finitam, aut infinitam contingentium componentia, totaque ipſa ſeries eſt ab alio, in alio habet ſuæ poſſibilitatis, productionis, exiſtentiæ rationem ſufficientem: quoniam igitur ſunt entia contingentia, aliud eſſe neceſſe eſt, a quo ipſa ſint, & quod ipſorum ſit ratio ſufficiens. Hæc demonſtratio valet, etſi contingentium complexio, aut ſeries ponatur infinita, ut Atheis ſolemne eſt: vel enim loquimur de

contingentibus modo simul existentibus, vel de seriebus unam infinitam seriem æternam componentibus: integra enim illa complexio existentium tota est ab alio, in alio, non in se habet suæ existentiæ rationem sufficientem: illud aliud, a quo est tota complexio, & in quo est illius ratio sufficiens, neque est *nihil*, neque est res non existens: *nihil* enim, aut *res non existens* neque existentiam producere, neque conservare possunt: est igitur ens necessarium. Si loquamur de seriebus infinitis ab æterno; eodem modo res conficitur: ad id enim semper devenimus, complexio existentium, licet statuatur infinita, vel simul existit, vel præteriit, & extitit: potest igitur, ut una collectio, simul significari, & usurpari: hæc complexio infinita omnia existentia, aut præterita contingentia comprehendens est ab alio, non a se: illud aliud non est *nihil*, non res *non existens*, non *res contingens*: ergo ens necessarium.

78. *Demonstratio secunda*. Demus id Atheistæ, seriem contingentium esse infinitam: hæc series sine ente necessario implicat contradictionem: si enim non est ens necessarium, integra illa series non est dependens ab alio, a se ipsa, & in se ipsa habet suæ existentiæ rationem sufficientem: seriem autem infinitam rerum (singularum, & omnium) dependentium esse independentem, manifesta est idearum contradictio: idemque esset, ac si diceres, cælum tenebrarum ope fieri luminosum, homines miseriarum additione divites tandem evadere: ex quo enim, aut unde est non dependens? *non dependens* fieret per intrinsecam suarum partium dependentiam: quod naturali rationi repugnat. Concipe ferream catenam perpendicularem ad horizontem in aere pendulam: annulus ab annulo superiori pendet: stare illa non potest, nisi punctum aliquod superius sit fixum, & immobile, cui innitatur: fieri ne hæc catena potest ab omni puncto fixo *non dependens*, propterea quod annulos pendentes in infinitum addis, pondus, & dependentiam auges? id punctum tollere, propterea quod catenam infinitæ longitudinis statuas, idem est, atque dependentiam ob majorem dependentiam tollere.

79. *Demonstratio tertia*. Eadem demonstratio modo magis geometrico proponi potest: Si singula antecedentia sunt ad singula consequentia, ut unum antecedens

cedens est ad suum consequens; etiam omnia antecedentia simul sumpta erunt ad omnia consequentia simul sumpta, ut unum antecedens est ad suum consequens (a): in singulis, & omnibus intrinsecis contingentibus sunt singulæ insufficientiæ ad existendum: singulæ hujusmodi insufficientiæ sunt ad singulas existentias, ut una est ad unam: quodlibet enim contingens æque sibi non est ratio sufficiens ad existendum; ergo infinitæ insufficientiæ simul sumptæ sunt ad omnes existentias simul sumptas, ut una est ad unam. In infinita ergo serie contingentium eadem semper servatur proportio non sufficientiæ ad existentiam, atque in uno tantum contingenti. Si quis huic demonstrationi non acquiescit, aut ingenii hebetudine laborat, aut sibi ipsi est parum sincerus.

80. Contra hasce demonstrationes nihil opponi posse video philosophi attentione dignum: ad quid enim sophistica hæc? de singulis cujuscumque totius partibus dicitur esse partes, de illis tamen simul sumptis negatur esse partes, affirmatur esse totum: est dicere, aliquid affirmatur de partibus, quod negatur de toto, & vicissim: quidni igitur de singulis collectionis partibus non dicetur dependere, sibique ipsis non sufficere, minime autem de toto? Singulæ partes Universi non sunt Universum: ergo neque simul sumptæ erunt universum? 2. Si supponatur series infinita contingentium; non poterit illa mente concipi, usurpari, & significari, tamquam una collectio, *omnis series est contingens*: esset enim hoc plurium interrogationum sophisma. Resp. Primum est purum Sophisma, quod in Metaphysica proponi dedecet. Videnda sunt quæ in logica de sophismatibus diximus. Secundum nullius pariter momenti est: Series infinita entium contingentium vel existit, vel extitit; quæ autem vel simul existunt, vel tota extiterunt, possunt ut una collectio significari, atque a mente tractari. Qui de hisce dubitaret, satis se in Geometricis, & aliis Mathematicis rebus peregrinum ostenderet.

81. *Demonstratio quarta*. Quidquid est contingens, est ab aliqua caussa productum: caussa cujuscumque entis contingentis neque est *nihil*, neque ipsum ens con-

(a) Elem. Geometr. Introd. n. 33.

contingens: *nihil* enim ullius rei esse posse caussam, aut rem ullam se ipsam creare posse, rationis lumini clarissime opponuntur: tota igitur contingentium series, finita, vel infinita, est producta ab aliqua caussa extra seriem posita: ea igitur caussa non est contingens; comprehenderetur enim in serie: ergo est necessaria. Quod caussa producens seriem integram contingentium in serie non comprehendatur, seu contingens esse non possit, patet: illa enim caussa contingens totam seriem producens, neque *nihil*, neque seipsam haberet pro caussa: ergo vel aliud contingens, & propterea ad seriem spectans, vel necessarium: si primum, mutua fieret duarum caussarum creatio; A enim totius seriei caussa, produceret illam quamcumque caussam contingentem B, a qua etiam ipsa A produceretur, quod iterum est impossibile: ergo verum est secundum, & existit ens necessarium.

82. Neque hæc demonstratio notari potest, quasi sophisma plurium interrogationum: quod fieret, si totam rerum contingentium seriem infinitam, ut unicam rerum collectionem una idea, & voce significare, atque intelligere non possemus; sed hoc tantum modo argumentari liceret, hæc finita collectio est producta, illa finita collectio est producta &c.: quia tamen infinita est series; sufficientem numquam partium enumerationem facere possemus, ex qua hanc tandem eliciamus propositionem, *tota series, seu infinita complexio est producta*. Resp. Inutilis hæc esset cavillantis Atheistæ evasio: quæcumque aut simul existunt, aut jam extitere, possunt una, eademque idea, & vocabulo *existunt*, *extitere* intelligi, atque significari: Si enim hac voce, & idea *Ens* possibilia omnia existentia, præterita, futura, hoc est, infinita significo, & intelligo; quare in nostro casu res perinde non erit? Id utique fieri posse, atque ab omnibus hominibus fieri, clarissime video: si aliter serio sentis; argumento ex claris ideis deducto proba.

83. Illud etiam in demonstratione assumpsimus duas caussas A, B non posse se mutuo producere, seu creare: id vero est per se notum: Si A producit B; est prior, quam B: si producitur a B; est posterior: si ergo & producit, & producitur a B; est insimul prior & posterior, quam B: quod apertissime involvit contradictionem. Hæ quidem demonstrationes ens

necef-

necessarium non productum rerum omnium caussam ab æterno extitisse evincunt. Ens sane non productum, ab æterno existens non negat Atheus Materialista: id tamen materiam esse contendit, quæ ejus judicio ponitur æterna, non producta, seu creata ex nihilo, ab eaque mundum, resque omnes universi per ejusdem materiæ motum fieri existimat: aliud præter materiam inficiatur; ens scilicet æternum necessarium intelligens, infinite perfectum non admittit. Antequam Ens necessarium cogitans ulterius demonstremus; duo hic adversus Atheos Materialistas notanda. 1. Ipsius etiam Athei confessione neque æternitatem, neque modum existendi ab æterno ab humano intellectu comprehendi posse: Æternitas tamen, & modus existendi ab æterno duo sunt objecta vera: difficultates igitur a nostræ mentis tenuitate, & ab eo, quod rem comprehendere nequeamus, nihil rei ipsius veritati officiunt: atque hoc uno omnium Atheorum argumenta ab Dei attributis, quæ non comprehendimus, petita retunduntur. 2. Ab idea, & notione entis necessarii, æterni non producti inferius demonstrabitur, idem ens esse intelligens; a materia distinctum, liberum. Interim a duobus tantum *datis* principiis caussam primam intelligentem evincemus.

84. *Demonstratio quinta*. Existimus proculdubio entia cogitantia, & intelligentia producta in tempore, & contingentia; quis enim sese rem necessariam dicere auderet? ex superiori igitur demonstratione, ab ente, seu caussa necessaria originem ducimus: illa autem caussa prima necessario est intelligens: res enim cogitans caussæ non cogitantis effectus esse non potest; nisi diceres, effectum caussis suis integris posse esse perfectiorem: quod est evidenter falsum, & evidenti axiomati, *nemo dat, quod non habet*, plane oppositum. Ens igitur necessarium, a quo cogitantes sumus, est etiam substantia cogitans, & a materia distinctum. Postremum hoc caput, & tota insuper demonstratio luculentius statim explicabitur.

SCHOLION.

85. Atque hæ quidem sunt Metaphysicæ demonstrationes, quibus Epicureo, Idealistæ, aut cuicumque alii philosopho Atheo alicujus entis necessarii exi-

ſtentiam ex idearum noſtrarum claritate, & rationis lumine demonſtramus. Nonnullas alias in medium afferri Numinis demonſtrationes Metaphyſicas non ignoro, quibus philoſophi potiſſimam hanc totius philoſophiæ veritatem demonſtrare adnituntur. Duplicem ab idea Dei, quam in mente habemus, excogitavit, & in medium produxit Des Cartes: alii alias propoſuere, quas omnes apud alios paſſim videndas in præſentiarum omitto: aut enim ſunt pura ſophiſmata, aut ad eam, quæ demonſtrationis eſſe debet, claritatem non pertingunt. Unam tantum, quæ præcipua eſt, paucis indicabo, antiquiſſimo illi philoſophorum effato innixam, quidquid movetur, ab alio movetur.

86. *Demonſtratio ſexta*. Quidquid movetur, ab alio movetur: omnia corpora moventur; moventur ergo ab alio immoto: immotum illud omnis motus principium non eſt corpus, ſeu materia; neque enim corpus quieſcens motum in ſeſe, aut in aliis producere poteſt; præter igitur corporum univerſitatem eſt aliquis primus motor immobilis, & non corporeus: ejuſmodi primus motor, cum ſit principium omnis motus, nullo motu fuit productus: aliter eſſet motus ante principium omnis motus. Corpora nihil producunt, niſi motu; ille igitur primus motor non fuit productus: cum omnem motum antecedat: eſt igitur ens æternum a nullo factum: ergo eſt ens a ſe, & neceſſarium.

§. IV.

87. *Demonſtrationes phyſicæ, & morales Entis neceſſarii*.

Demonſtratio prima. Quænam ſit phyſicarum demonſtrationum natura, atque certitudo, in logicis docuimus. Circa rem præſentem maximum apud me pondus habet univerſalis, atque innata humanæ mentis ad hanc propoſitionem, *Deus eſt*, credendam propenſio, atque naturalis animorum inclinatio, quam ego rationalis naturæ legem nuncupo, ex eaque Numinis demonſtrationem in hunc modum mihi propono. Quod ex naturæ lege recte probata conſequitur, cum habet veritatis characterem, ut ſtante hoc re-

rum

rum ordine, atque absque miraculo falsum esse non possit, & firmum a nobis assensum extorqueat: ejusmodi sunt, præter alia in physicis exposita, duplex hæc veritas, *Corpus motum lineam rectam semper affectare: ex parente similem generari prolem:* legem naturalem hæc duo esse universalitas effectuum, constans, & perennis ordo demonstrant. Si ergo universim, & constanter sit in humano corde, & mente naturalis, & vehementissima inclinatio, atque propensio ad Dei existentiam credendam: ejusmodi propensionem rationalis naturæ legem jure merito dicemus: si naturæ rationalis lex existit; non poterit esse vana, & falsa citra miraculum: in hoc casu impossibile est miraculum: ergo absolute est vera; si est vera, est Deus. Probemus singula.

88. *Naturalis quædam est in omnibus humanis animis propensio, atque inclinatio ad hanc veritatem*, est Deus, *credendam*. Argumentum ego impræsentiarum non assumo ab idea Dei, quam humanæ menti innatam, atque omnibus hominibus communem esse adstruere potes, aut negare: a re in opinione posita non argumentemur; ex certis tantummodo ratiocinemur. Si unam, vel alteram incultissimam nationem forte excipias; universalis est in toto humano genere Numinis idea, & cognitio: innata illa sit, an ex sensu, & reflexione comparata, perinde est ad rem præsentem. Sed esto etiam aliquæ sint nationes barbaræ, rudes, sylvestres in Americæ Mediterraneis, quæ de Deo non cogitent: parum id quidem ideis innatis; præsenti argumento, innatæ propensioni nihil opponitur: non ideam, sed propensionem universalem esse modo assumimus. Facti vero res est, 1. apud omnes fere nationes & claram Dei ideam, & religionem erga Deum, & spontaneam, naturalemque animi propensionem esse ad Deum, cujus habent ideam, credendum, adorandum, colendum: 2. Incultissimas etiam illas nationes, sylvestres, vagas, rudissimas clara Numinis idea destitutas, quamprimum cogitare, reflectere, ratiocinari doceantur, instruantur, illuminentur, sponte sua Numen agnoscunt, fatentur, adorant, colunt. Facti, inquam, res est, quam solus inficiaretur, qui historiam omnem, & quæ a tribus sæculis supra nostrum globum detecta, gesta, scripta sunt, ignoraret: is igitur est humanæ

rationalis naturæ genius, indoles, atque valentissima propensio ipsismet animis profundissime impressa, atque insculpta, qua ad Deum aliquem agnoscendum, colendum, adorandum sponte, & invictissime ducimur. Innatum sensum juxta Platonis, aut Cartesii opinionem, an naturalem potius indolem, & propensionem id nuncupes, & statuas, nihil moror, de rei ipsius veritate, atque universalitate contentus. Ex innato animi nostri sensu, aut naturali indole, & propensione enascitur, eamdemque indolem confirmat universalis omnium nationum circa Dei existentiam consensus: id enim a natura sit oportet, quo omnes sponte deferimur. Unanimis equidem non esset ejusmodi humani generis consensus, nisi Dei existentia esset evidens, aut naturalis in nobis sit ad Numinis fidem propensio.

89. 2. *Ejusmodi propensionem naturæ rationalis legem esse, diximus*: id vero res ipsa demonstrat. Etenim omnium nationum mores, artes, regimen, leges, religio mutantur: illa tamen Numinis idea, atque naturalis ad Deum ipsum propensio, quæcumque tandem quoad cætera omnia mutationes accidant, remanet semper immutabilis, humanam naturam semper comitatur: una vero est rerum natura, proprietates, & naturæ leges, quæ nunquam varientur. At reponunt, si quis ille est unanimis consensus, ab educatione, climate, ritibus, institutione, aliisque infantiæ præjudiciis unice pendet. Resp. Universam globi superficiem notam ab ultima Siberia, & Groenlandia ad Patagones & Huttentotos, ab Affricanis occidentalibus Orientem versus ad Brasiliam usque perlustremus: earum nationum vicissitudines, variamque fortunam ab antiquissimis temporibus memoria percurramus. Quamnam enimvero climatum, institutionum, morum, legum, præjudiciorum varietatem, spectaculum, & tabellam? mira, atque latissima in hisce omnibus varietas; vix eosdem esse homines diceres, Græcum, & Tapuiam, Æthiopem, & Anglum: nihilominus in tanta institutionum, morum, climatum, præjudiciorum varietate, & oppositione unanimis semper ad Deum aliquem propensio. Idemne, & constans semper effectus ab oppositis caussis, ab ipsamet inconstantia esset?

90. 3. *Si naturalis illa in Deum propensio naturæ ratio-*

tionalis lex naturalis existit; *vana*, *aut falsa esse*, *vanum*, *aut falsum habere objectum non potest*. Fallere lex illa nequit, quia miraculum a caussa aliqua naturalibus caussis potentiori patretur. At nisi Deus existat, impossibile erit miraculum; nullaque idcirco ab Atheis admittuntur. Si Deum admittis, poterit quidem ille miracula quæcumque patrare, cæteras naturæ leges, a se uno statutas, abrumpere, & mutare: eam tamen rationalis naturæ legem, de qua agimus, vanam efficere, atque falsam, tum solum posset, cum se ipsum, ejusdem legis objectum, tolleret; quod est omnium impossibilium maximum. Uno verbo, si miraculum admittis; est igitur Deus, qui legem naturæ rumpat, miraculum efficiat: Si non admittis: Deum igitur lex ipsa demonstrat.

91. *Demonstratio 2. physico-moralis*. Deum aliquem nobis esse demonstrat integri hujusce Universi conspectus, immensum fere hoc rerum materialium spectaculum, nostram imaginandi vim longissime superans. Oculos circumquaque volvamus: astronomicos calculos consulamus; quæ indubia sunt, contemplemur: quænam enimvero vastissimi Universi magnitudo, & immensa capacitas; quisnam rerum, phænomenorum, motuum ordo, constans semper, atque immutabilis vicissitudo? quænam cælestium omnium corporum, atque motuum harmonia, universitatis rerum pulchritudo? Fuse hæc omnia in Astronomia physica prosequimur: apud alios passim Auctores, præcipue vero *Derham*, *Nieuwentit*, *Pluche* idem argumentum luculentissime tractatum leges. Lectori ego in physicis erudito nota hæc pono, atque ex rerum spectaculo argumentum deduco: 30. leucarum milliones a nobis terricolis distat Sol, plusquam trecentos Saturnus. Solaris igitur vorticis diameter ultra sexcentos milliones extenditur: stellæ fixæ nobis proximiores ducenties saltem magis a nobis removentur, quam Saturnus: earum igitur orbitæ diameter plusquam 60000 leucarum milliones continet: singulæ præterea stellæ sunt totidem Soles nostro planetario similes, aut majores, perinde a se, atque a nostro dissitæ: ab iis Sol noster observatus aut penitus non discerneretur, aut nonnisi ut parva quædam fixa deprehenderetur: aliæ post alias existunt: noster hic telluris globus,

aut planetæ solares ne opticis quidem, atque maximis Telescopiis ab fixarum ulla discerni possent: in immensa hac rerum universitate immersi tamquam insensibile punctum existimus, immensa fere spatiorum amplitudine, corporum numero, atque magnitudine undequaque circumdati: quanta vero ab remotissimis illis stellis fixis ad mundanos limites, si qui sunt, ad extremum firmamentum interjacet spatiorum amplitudo? Quantumcumque id sit, extra nostram oculorum aciem, sensus observationes positum, ultra fixas conjecturis tantum agimur: ab indubiis solummodo argumentum ducamus: ea quum sit hujusce materialis universi immensa capacitas, cum vastissima, atque innumera fere in illo sint, & moveantur corpora; quam mirabilis tantorum motuum harmonia! idem semper ordo, & immutabiles leges! Integrum volumen scribere opus esset, ut hoc unum argumentum vel leviter prosequeremur. Si physicam Astronomiam nostram legere aliquando non dedigneris; una mecum ideali itinere per totum hunc universum mundum contemplando peregrinemur, illoque non oscitanter, atque transvolando, ut fieri a terricolis viatoribus solet, perlustrato, sed digna philosopho meditatione contemplato, a nobismetipsis taciti quæramus, Immensa hæc ornatissima, atque ordinatissima domus, Theatrum, Universum nullumne commendat auctorem omnipotentem, atque omniscientem architectum ab ipsamet domo, ruderibus, cæmentis, materia distinctum? Mirabilisne hæc mundana machina nostram omnem mortalium vim, intelligentiam, admirandi, atque imaginandi facultatem infinito intervallo superans, a rudi aliqua, & non intelligenti materia? Philosophos vero, si aliquando, modo potissimum agamus: sola ratio, idearum nostrarum claritas, naturæ lumen, animi, mentisque propensio consulantur: infantiæ, patriæ, gentis præjudicia parumper saltem tollamus; a vitiosis etiam illis humani cordis passionibus spiritus nos tandem puros, & immunes esse, & liberari adnitamur: si hæc omnia, inquam, ad philosophicum hoc judicium, & sententiam præmitterentur: nullus jam esset, adversæ partis intercessor, aut advocatus.

92. Contra superiorem demonstrationem opponitur hic ab Atheistis. Universalis ille hominum consensus,

fus, idea illa, fenfus, propenfio hominibus innata, aliud non eft, quam purum infantiæ, atque educationis præjudicium a teneris hauftum, ufu perpetuo, & diuturno confirmatum: quod ufu ipfo in naturalem animi, mentifque habitum degenerat, & poftea a rudi hominum, & litteratorum vulgo a natura ipfa effe exiftimatur. *Habitus* fcilicet, ut habet proverbium, *eft altera natura*: *quo femel eft imbuta recens fervabit odorem tefta diu*: *quæ pueri* diuturna educatione haufimus, altas in animo radices agunt, unde ufu poftea femper confirmata ita animum noftrum flectunt, ut a natura id effe videatur. Nihil affumimus, inquiunt, quod omnium confeffione verum non admittatur. Viris principibus, regibus, iis omnibus politicis, penes quos fumma rerum eft, maxime intereft, populos in ordinem redigere, moderari, regere: quæ in id magnopere conferunt, rationes, & vias non prætermittunt: nihil eft, quo magis contineantur populi, quam Dei, religionis, vindicatoris Numinis idea. En communis, & religiofæ educationis, rituum, religionis, ufuumque noftrorum caput: cui fi addas naturalem hominum timorem plura fibi in futurum timentium, & ob timorem ipfum fibi ipfis ratione aliqua confulere quærentium (*); duos habes præ-

(*) Unde *Horatius* de fe ipfo fatetur,
Parcus Deorum cultor, & infrequens
Infanientis dum fapientiæ
Confultus erro; nunc retrorfum
Vela dare, atque iterare curfus
Cogor relictos: namque Diefpiter
Igne corufco nubila dividens
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.
Odar. lib. 1. ode 34.
In eumdem etiam fenfum Petronius,
Primus in orbe Deos fecit timor: ardua cælo
Fulmina cum caderent.

præcipuos cardines, quibus potissimum innititur, & studiose semper confirmatur præjudicata illa de Numine in hominibus opinio, sensus, propensio, & quomodocumque nuncupetur innata, aut non innata inclinatio. Præjudicia ista omnia sunt, & pura humanarum mentium imbecillitas, a quibus liberari eorum tantum est irreligiosorum hominum, qui *spiritus fortes* hodie nuncupantur. Præjudicia, inquiunt, præter allatos modo fontes ab communi hominum ignorantia, a traditione, a communi stirpe, a timida superstitione derivantia (*a*). Vitio mihi, credo, non dabunt Antheistæ, quod aliquid de eorum argumentis detraham, aut ita proponam, quasi eorum conspectum vitare studeam. (*).

Respondeo. Nihil in hisce video præter inutilem verborum farraginem, quibus nihil difficultatis subest. Ab hoc ultimo incipiamus. Atheistæ, Pyrrhonici, Materialistæ sese *spiritus fortes* gloriosi nuncupant: quo nomine mentem sublimiorem, humanis, terrenis, vulgaribus præjudiciis non infectam significant: re tamen spiritus potius debiles, carnei, philosophantia reptilia appellandi forent. Ex una enim parte, præsenti hac quæstione prætermissa, iis omnibus præjudiciis, quibus cæteri homines laborant: ex altera vero Deum, religionem, animæ immortalitatem, animam ipsam ex duplici hoc capite negant: 1. quia iis difficultatibus succumbunt, quæ contra aliqua æterni Numinis attributa proponuntur; quibus in-

---

(a) *Hancock*. Existence de Dieu prouvée.

(*) Paucis argumento respondet Tullius = Quod (Numinis scilicet existentiam) nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse .... Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. De Natura Deorum. lib. 2. cap. 2.

interim cæteri homines non cedimus, ut infra demonstrabimus. 2. Quia sensuum oblectamentis ita irretiuntur, alliciuntur, obcæcantur, ut terrena hæc, & carnalia semper crepent, mentem ab iis abstrahere, ea despicere, sensuum oblectamentis contraire, puram rationem audire nesciant. Eadem & nos Theistæ a sensibus, horumque objectis illata prælia sentimus, eadem adversus Numinis providentiam sophismata inspicimus: neutris tamen succumbimus: puro rationis lumine percellimur; ista solvimus, illa repellimus, contra utrorumque vim pro ratione pronuntiamus: quos igitur potiori jure *spiritus fortes*, quos imbecilles, atque carnales nuncupabis?

93. 2. Ab educatione, legibus, ritibus, politicis rationibus, præjudiciis universalem illam gentium consensionem non provenire, inde demonstratur, quod in illo conveniant sensu nationes quod ad hæc omnia penitus inter se diversæ. Non modo gentes cultæ quibusdam legibus, atque religionis ritibus, & cultui addictæ, sub Monarchico, aut republicano regimine degentes circa Dei existentiam consentiunt; verum & nationes barbaræ, sylvestres, incultæ, nullis legibus, ritibus, cultui adstrictæ, sub nullius dominium, aut regimen redactæ idem nobiscum sentiunt. Quid, quæso, est inter Sinarum, Japonum, Turcarum, Huttentotum, Canadensium, Laponum, & Occidentalium Europæorum educationem, leges, regimen, mores, clima, ritus commune? nihil, fateberis, si geographiam naturalem, civilemque historiam non ignoras: omnes tamen relatæ nationes Deum fatentur: eum igitur communem consensum a prædictis capitibus non habemus; sed ab uno alio, natura scilicet rationali, & mentis lumine, in quo omnes convenimus.

94. Attamen, reponunt, falso a nobis assumitur universalis ille nationum consensus, aut naturalis animi humani ad Deum aliquem credendum propensio: quot enim in nationibus etiam cultioribus ab antiquissimis temporibus, & nostra potissimum ætate, atque Occidentali Europa Atheistæ? aliamne nos habemus rationalem naturam, ac Dei assertores? Quinam vero auctor erit, universalem etiam in nobis esse erga Numen propensionem? quot scilicet inter anti-

antiquos, recentioresque Hebræos, quot inter Græcos, & Romanos, cultissimas proculdubio nationes, quot inter Mahometanos, inter litteratos Sinenses, inter ipsos etiam, quod majus est, Christianos Athei semper extiterunt? quot hodie potissimum in Anglia, Hollandia, & bene multis aliis in regionibus numerari possunt ejusdem doctrinæ sectatores? Satis vobis erit *Dorellum*, *Budæum*, *Reimanum*, *Parcherum*, aliosque consulere, qui aut Atheismi historiam adornarunt, aut plurima in rem eamdem sunt commentati. Plura hic involvuntur accurate distinguenda. Atheos distinximus in Atheos morum, Theoreticos, & mixtos: cum prioribus in præsentiarum non agimus; Deum enim non negant, sed quod existat, nihil pensi habent, id neque curant, neque cogitant: ad eamque spectant classem maxima atheorum pars in argumento adducti: cum reliquis omnibus, quos uni, eidemque ordini annumeramus, sermo nobis est. Estne vero inter eos aliquis, qui vel inter medios passionum tumultus, in ipso vitiorum cæno, & sensuum illecebris pacifice peccet, animi tranquillitate fruatur? estne, quem subinde non exagitent, disturbent, crucient, atque pulsent molestæ quædam ideæ, timores, curæ? Si ita esset, ut naturalia monstra aliquando nascuntur; ita etiam Athei rationalia monstra mihi essent. Sed adversa omnia: quacumque fugias, quidquid agas, quibuscumque oblectamentis animum delinias, mentem distrahas, *post equitem sedet atra cura* (a): importuna subinde recurrit Dei, futuri, æterni idea. Si igitur hæc te semper angit sollicitudo, dum robusta fruens valetudine sensibilibus passionum objectis circumdatus, & fere oppressus; dum mortem atque pericula, aut præ ebullientium passionum æstu non consideres, aut non nisi remotissima aspicis; quinam erit tuæ mentis status, cum frigescet sanguis, passionum æstu intermittente, clarius irradiet rationis lumen, aut cum post ætatis flexum ad fatalem mortalium omnium transitum prope jam accedere animadvertas? Eam sane esse Atheistarum sortem, communissima exempla demonstrant: nul-

(a) *Horat.*

nullusque eorum erit, si veritatem ament, qui aliud affirmare audeat. Tristissimum hujusce veritatis documentum habes apud Dominum *Dorell* (*a*).

95. Mahometanos, & Sinenses mandarinos, hebræos, Christianos atheismi labe infectos mihi opponis. Verum in universis iis gentibus atheos morum, iterum dico, ab atheis sententiæ distingue. Primi quidem, quorum infinitus est numerus, nihil ad rem nostram faciunt. In secundo ordine neque numerosi admodum sunt, neque ullum est eorum auctoritatis & testimonii pondus. Quid enim apud te valeant homines vani, superbi, corruptissimis moribus, leviter tantum docti, quandam gloriolæ umbram apud licentiosos juvenes ex sententiæ impietate captantes (*b*)? Iisne, amabo te, fidem, fortunamque tuam, teque ipsum committeres? Iisne in rebus gravissimis fidendum existimares? Sed fusius hæc in quæstione discutienda de Atheorum republica prosequemur. Hisce positis, si Mahometanos adhuc mihi opponas, gentem quidem moribus, & lege barbaram, atque crassissima omnium scientiarum ignorantia pressam; patronos enim vero caussa tua dignos in medium producis. Eos nominasse,

(a) The Genthlemen Instructet. Impius Spinosa, atheus professus, siquis alius, morti proximus nullum admisit, sæpeque in hæc verba prorupit, Deus, esto mihi peccatori propitius. Ita a celeberrimo viro rem accepisse tradit *Franciscus Halma* in præfatione ad vitam Spinosæ. Fomasus alter Spinosæ discipulus ingenio, & eruditione clarus, domino *Neeuwentit* bene notus, cum post atheisticam vitam, atheus vellet etiam mori, diu in ultima infirmitate in speciem saltem tranquillus, in hæc tandem verba prorupit, omnia se modo credere, quæ prius negaverat; tempus tamen sperandæ misericordiæ: Eam tunc non esse. *Neeuwentit* L. Exist. de Dieu. Discours prelimin.

(b) Il faut un certain degré de fausse metaphysique pour tomber dans le malheureux abime de l'irreligion inquit Bayle. Dict. Critique. V. Barbe. rem. A.

ſe, ſatis, ut & nominantis honor, & cauſſæ dignitas appareat. Eos igitur tibi habeas opinandi, vivendique ſocios; quibuſcum deinceps vale rationi dicto, acinace tantum atheiſmum propugnaturus in arenam deſcendas.

96. De Sinenſibus mandarinis unum interim dico, aliquos forſan exiſtere atheos inter recentiores mandarinos Sinenſes; non poſſe tamen citra effrenatiſſimam impudentiam, ignorantiam, & injuriam graviſſimam atheiſmi nota inuri cultiſſimam nationem & imperium a quatuor annorum millibus prudentiſſimis legibus conſiſtens: potiori vero jure Mandarinos, penes quos eſt ſumma rerum, leges, arma, ſcientiæ, magiſtratus (*).

97. Hebræos quod attinet, diſtingue tempora, gentes, regiones, ubi olim, ubi modo etiam vivunt; & omnia facile compones. Quamdiu Hebræorum natio per ſe ſe ſtetit; perperam Sinenſium, Chaldæorum, Græ-

(*) Sinenſes Mandarinos plurimi in Europa tamquam atheos calumniantur. Illi tamen Europæi doctrina alias, & morum innocentia, atque ſinceritate commendandi, qui, majori vitæ parte in Sinis exacta, gentis mores, linguam, & doctrinam apprime agnoverunt, contraria omnia affirmant. Omnibus aliis prætermiſſis unum proferam Patrem *Parenin* in epiſtola ad *Reaumur*, quocum illi erat antiqua amicitia, & litterarium commercium. He jusgado siempre, que loſque accuſaron a los letrados de atheiſmo, no han tenido atra razon de hazerlo, ſi no el interez de la mala cauſa, cuia de ſenſa impredieron: porque es diametralmente oppueſta a eſta idea la doctrina de los *Kinge* chinos ... Diré ingenuamente a V. M. que haſta ahora no he viſto algun Chino, que fueſſe atheiſta en la practica. Algunos talvez lo quieren parecer en la diſputa, quando ſe les inſta con viveza: però no tarda ſu conducta a deſmentir ſus palabras: y en un peligro no previſto, en un traſtorno de fortuna ſuſpiran hazia el ſeñor del Cielo, invocan los eſpiritos, y piden ſu aſſiſten-

Græcorum, Romanorum culturam, scientias, Artes in iis quæras. Rabinos divinarum litterarum admodum doctos sæpe inter hebræos extitisse fateor. Iis tamen quantumvis scientiarum ignaris, per summam injuriam atheismum tribueres. Saducæos, qui hebræorum epicurei merito habentur, non dotos, cultosve homines, sed Epicuri de grege porcos dicere tantum permittunt historiæ monumenta. Post Hyerosolymam, & templum a Tito Vespasiano eversa, sparsis per omnes terræ angulos miseris hebrææ gentis reliquiis, calamitates potius, miseriam, angustias, quam doctrinam, & culturam ea in natione invenias. Aliquos sane in Asia, plures in Hispania & Lusitania fluentibus sæculis extitisse Rabinos, sacrarum litterarum admodum doctos non inficior: si qui tamen inter eos atheismi labe infecti extiterunt; neque ii numero, neque doctrina commendandi. De iis qui a Christiana religione, quam ignorabant, in atheismum lapsi sunt, satis in superioribus dixi. Summa responsionis est: eorum numerus exiguus, doctrina levis, mores corrupti, animi passiones effrænes.

98. Quid tamen, pergis, tot hominum millia, qui crassissima ignorantia, flagitiis, atque vitiorum sordibus immersi ne de Deo quidem cogitant? Communisne etiam iis naturalis illa humani cordis propensio ad hujus propositionis, *Deus est*, veritatem cre-

---

cia (a). Illi etiam, addit, qui athei videri possent; quia mortuorum, & spirituum apparitiones secundum principia physica exponunt, quin Numini id referant, sunt paucissimi: & communiter queruntur, quod hæc eorum doctrina ab omnibus fere rejiciatur. Textus aliqui paucorum litteratorum sub Dinastia *Seng* atheismum videntur indicare. Sed 1. iidemmet auctores clarius adhuc opposita omnia in aliis textibus affirmant: unumque hoc dici potest, sibi ipsis contradicere. Parenin loco citato. Hæc etiam erat Domini *Reaumur* sententia.

(a) Parenin. let. Edif. tom. 12. trad. Hespañola.

credendam? Quomodo autem fit, ut naturale illud rationis lumen iis hominibus nunquam irradiet, eclypsim semper patiatur, idea illa innata Dei nunquam excitetur, naturalis illa animi propensio tamdiu ferietur? Resp. Qui ita arguunt, a quæstione penitus descifcunt: non Dei existentiam, neque Metaphysicas Numinis demonstrationes impugnant, sed argumentum solummodo a communi consensu, & naturali animorum propensione desumptum impetunt: quod, etsi falleret, inconcussa nihilominus staret asserta, atque demonstrata Numinis existentia. Nihil tamen impugnatum argumentum infringitur. 1. nihil nos circa *innati* quæstionem, nomen, & sensum immoramur; quamlibet sententiam, atque loquendi modum probes; tenet semper demonstratio. 2. Id unum affirmavimus, consensum, aut naturalem saltem in humanis animis esse ad Deum credendum propensionem: neutrum autem adducta modo ratione impugnatur. Quod homines ut plurimum indocti, inculti, rudes, mille vitiis, & sensuum oblectamentis deliniti de Deo non cogitent, naturali illi Numinis ideæ, atque animorum propensioni non opponitur: variis sensibilibus rebus distracti, res, quarum ideas in mente habemus, plures sæpe annos non recordamur. Ideæ igitur, seu, qualiacumque tandem illa sint, idearum vestigia, aut incitamenta in nobis per plures annos, per totam vitam esse possunt; quin earum unquam recordemur: Iis tamen hominibus quantumvis incultis, rudibus, agrestibus, sylvaticis, vitiorum cæno lutatis aliquam hujus universi, & tot naturæ mirabilium phænomenorum ideam expone: ad hæc illos paululum animadvertere, evincas: tum vero eos omnes sponte sua in æterni Numinis ideam, & fidem devenire observabis. Id unum asserimus, id unum adductæ demonstrationis veritatem confirmat.

99. Ut allatam demonstrationem infirment, indicata jam difficultatum capita ulterius prosequuntur, a quibus argumentum desumunt. 1. inquiunt, omnes antiquæ nationes nobis notæ, & cultæ Polytheismum aperte profitebantur: in quem etiam Hebræi ipsi quadam recidivi animi pertinacia subinde relabebantur. Inter recentiores etiam gentes paganas Deorum multiplicitatem vigere, testes sunt Sinenses, Japones,

Sia-

Sianenses, omnes Indianæ nationes idolatriæ additæ, & sexcentæ aliæ: male tamen ab hujusmodi universali consensu ad polytheismum probandum argumentaremur. Si ita res est; perperam ab universali consensu argumentum petimus. Pari universali consensu, inquit Bayle, tenuere semper nationes pluralitatem Deorum, atque existentiam alicujus Numinis: nihilominus universalis ille consensus circa primum caput politheismum est argumentum fallax; quidni pariter circa secundum? 2. Plures cum ab antiquis, tum a recentioribus Scriptoribus referuntur populi nulla Numinis idea præditi: & ut antiquissima omittam, Seres, Callaicos Hispaniæ populos, Æthiopes Atheis annumerat *Strabo*. Si Eusebio Cæsariensi, & nonnullis aliis antiquis Patribus credamus; omnes ante Christum nationes, si Hebræos excipias, nihil pro Numine agnoverunt, aut adorarunt, nisi Solem, lunam, astra, homines, aliaque naturalia corpora. Deinde apud recentiores passim leges, aliquas Cafrariæ nationes, Borneos, Brasilienses, Canadenses, sylvaticasque cæteras Americæ gentes, Huttentotos, Lapones, Siberios, septemtrionales Tartaros in extrema Numinis ignorantia vivere. Ex quibus omnibus duo hæc habemus, universalem consensum nihil probare: universalem consensum non existere.

100. Respondeo. Nullius momenti sunt, quæ in argumento congeruntur. Atque ut ab ultimo incipiamus, de nulla hactenus antiqua, aut moderna natione satis constat, quod nullam Numinis ideam haberet, aut habeat: quod ad antiquas attinet, obscurissima sunt, quæ a veteribus historicis, aut geographis traduntur. Judæos, & Christianos atheos esse scripserunt Ethnici, inter quos illi vivebant: qualem vero iis hominibus de extraneis nationibus parum sibi notis scribentibus fidem adhibeas, cum de Judæis, atque Christianis per totum Romanum Imperium dispersis turpiter adeo hallucinantur? Iis passim, quod nostris modo primis viatoribus, accidebat: longinquam aliquam nationem incertis tantummodo rumoribus nixi nobis describunt, vel eam quidem transeundo invisunt; sed cum neque gentis linguam, mores, leges, ritus calleant, neque diuturno tempore cum illa versentur; nihil criticorum hominum fide dignum producere, atque affirmare possunt.

Rem postremis hisce sæculis, famosa enimvero viatorum Epocha, multiplici experimento ediscimus. (*) Viatoribus parum hodie confidimus: eosque ut plurimum, qui primi ignotam aliquam gentem nobis describunt, tanquam fabulatores audimus, nostromet periculo edocti. Quodsi hæc in præsenti sæculo accidunt, cum totam fere globi supeficiem agnoscimus, & cum omnibus fere nationibus agimus, eas invisimus, cum aliquod inter nos illasque fere omnes commercium colitur, & mira navigandi facilitate fruimur; quid, amabo, in antiquis temporibus fieret, cum hæc omnia scientiarum, & artium supplementa, compendia, & ratio desiderabantur? Si rudi, credulæque plebi annumerari nolis; si te ames, & inter prudentes rerum æstimatores recenseri velis; puerilia hæc, & nullius criticæ argumenta omittas. Nationes recentiores ad unam omnes, quas viatores, scriptoresque aliqui atheas esse imprudenter, & præcipitanter tradiderunt, Deum aliquem agnoscere fuit postea compertum.

101. Quod *Eusebius*, & aliqui alii Patres de antiquis nationibus affirmant, ad rem non est: duo sunt plane inter se diversa, Numinis existentiam credere, & circa illius naturam, essentiam, attributa non errare. Circa primum unanimem esse omnium gentium consensum; aut innatam quamdam animorum propensionem diximus; idque in iis proculdubio nationibus locum habet, de quibus Eusebius, cæterique Patres loquuntur. Si solem, lunam, cætera astra, Cœlum, aut alia tamquam Numen coluerunt: stat igitur illud propositionis thema, aliquam apud illas gentes Numinis ideam, aliquem religionis sensum extitisse. Quod vero circa Numinis attributa, naturam, proprietates turpissime erraverint, neque ignoramus, neque nobis opponitur. Eadem responsione quod de polytheismo additur, plane solvitur. Plurimæ

(*) Legi ab omnibus deberet quod *Maillet* circa præsens argumentum proprio experimento didicit, & nobis transmisit. *Description de l' Ægypte. Lettre sur les pyramides.*

rimæ enimvero nationes polytheiſmum ſunt profeſſæ: ita quidem: aliquam igitur Numinis ideam habebant, quamplurimis licet erroribus deturpatam.

102. Ad quod ſi paganorum polytheiſmum recte examinemus; facile deprehendemus, unum ab iis ſupremum, primumque Numen agnoſci; aliorum inferiorum Deorum nominibus aut multiplicia ejuſdem ſupremi Numinis attributa, & virtutes, aut homines aliquos pietate, virtute, potentia inſignes gentili quadam apotheoſi in divinitatis conſortium relatos ſignificari: prout varia erat diverſarum nationum indoles, mores, cultura, religio. Eum ſane fuiſſe paganorum ſenſum, facile animadvertes, ſi *Tullium*, cæteroſque & romanos, & græcos ſcriptores vel leviter legas: ex quo duo hæc deducimus: 1. Polytheiſmum communi nunquam hominum conſenſu fuiſſe probatum: nullamque in hominibus naturalem animi propenſionem ad eorum pluralitatem admittendam exiſtere. 2. nullam etiam adduci poſſe integram nationem, quæ unanimi conſenſu polytheiſmum profiteretur. Si cultæ illæ erant; infimæ ad ſummum plebeculæ ille error erat: ſi barbaræ, ſylveſtres, & incultæ; primum quoddam admittebant principium, unde alia omnia originem ſuam traherent. Oppoſita omnia ſunt circa Numinis ideam, atque exiſtentiam: Summa eſt. Circa Numinis exiſtentiam, & ideam univerſalis eſt nationum conſenſus: qui propterea vox naturæ habenda eſt. Contra vero neque de numero, neque de pluralitate Deorum convenit umquam rude nationum vulgus. Plures nationes generatim unum: ex aliis gentibus doctiores quidem etiam unicum rudis plebs plures forſan tenebant Deos: alia tamen alios, plures, aut pauciores (*).

103. Nullum idcirco contra demonſtrationem a communi conſenſu deductam peti poteſt argumentum a Politheiſmo nationum. Cæterorum etſi hæc parum firma oſtenderetur; ſtarent nihilominus cæteræ Numinis

(*) Videri poteſt Bernard. adverſus Bayle Nouvelles de la Republ. des lettres. Feurier 1705.

minis existentiæ demonstrationes, nullis umquam cavillationibus infirmandæ. Plures alias demonstrationes physicas, & morales legere poteris apud *Derham* (a) *Nieuwentitium* (b) *Cudworth* (c) *Clark* (d) *Budæum* (e) *Jaquelot* (f). Illæ omnes ab hisce quinque capitibus petuntur: 1. hujusce terrestris globi structura, ac descriptio, partium dispositio, atque ordo plane mirabilis: multiplicia tot viventium, animantiumque genera, homines, animalia, aves, pisces, miræque eorum omnium viventium respublicæ, leges, mores, species, propagatio, vivendi forma, structura, elementorum, climatum, atque locorum, discrimini accommoda. 2. humani animantis contemplatio, animus, cogitatio, harmonia, & unio inter corpus, & animam, anatomia corporis, quæ ingeniosissimæ machinæ ratio, partes, sensuum organa; Unius humani oculi, & visionis contemplatio mentem humanam in exstasim fere rapit, & infinitam sapientiam tantorum operum auctorem commendat. 3. plantarum, seu vegetantium quorumcumque, animalium, hominumque potissimum origo; casusne aliquis, & fortuitus materiæ incursus nos homines, entia scilicet cogitantia produxit; an calori potius solari, vel astrorum influxibus nostra hominum, atque reliquorum animantium, & vegetantium origo debetur? Vel tandem contra ab æterno tempore existimus? Tertium hoc caput statim fusius prosequemur, 4. Recens Mundi, rerum, gentium, imperiorum, artium, scientiarum initia ex historica fide, pluribusque naturalibus argumentis demonstrata. Omnia hæc, quæ longissima oratione vix possunt explicari, totis quatuor postremis Physicæ nostræ voluminibus fusissime prosequimur, inutileque esset, rem actam, quam paucis complecti non possumus, iterum agere.

104.

(a) Theol. Phys.
(b) De exist. & attrib. Dei.
(c) Systema intellectuale.
(d) De l'exist. & des attrib. de Dieu.
(e) Budæus de Atheism.
(f) Jaquelot opere citato.

104. Omnia Atheorum argumenta ad hæc capita reducuntur. I. *Creatio rei ex nihilo est plane impossibilis*: indeque est principium illud, *ex nihilo nihil fit*; mundus igitur non potuit esse creatus in tempore: tunc enim esset ex nihilo; est ergo necessario ab æterno. Si ergo est Deus; nihil potuit ab æterno creare: non est igitur omnipotens; quæ enim omnipotentia, si nihil de novo creare potest? quoniam igitur sine omnipotentia intelligi non potest Deus; illius existentia ab adducto principio evertitur. II. Ex principio illo, *ex nihilo nihil fit*, consequitur, quod materia integra hujus universi sit æternum illud ens necessarium, quod demonstrationes nostræ conficiunt: vel igitur nullos est Deus; vel si aliquem statuere velitis; aliud esse nequit, quam ipsamet hæc rerum universitas, materia immensa, æterna, necessaria: quod quidem est purus Pantheismus ab Atheismo solo nomine differens. III. Posita illa materia æterna, atque necessaria, adspectabilis hic etiam mundus, totaque illius pulcritudo, & ordo aut pariter æternus est, atque necessarius, aut ex fortuito casu, & quadam atomorum in se mutuo incurrentium combinatione effectus. Enimvero, inquiunt, mundus, ut modo existit, est certa quædam atomorum materiæ combinatio; possibile autem fuit inter infinitas alias combinationes in hanc etiam atomos incidisse: hujusmodi possibilitate semel admissa, nulla amplius est physica, aut moralis demonstratio ad Deum demonstrandum: non amplius Numinis providentia, & intelligentia evincuntur. IV. Si Deus est; est immutabilis, ut concedimus; liberum insuper esse, tenemus: secum autem pugnant immutabilitas cum summa libertate, immutabilitas cum rerum creatione in tempore; aut igitur Deus non est immutabilis, aut non est liber: Deus igitur, quem tenemus, non est possibilis: sed fatum potius agnoscere oportet, omniaque mundana fatali quadam, & ineluctabili necessitate fluere. V. Duo etiam alia Numinis attributa Immensitas, atque simplicitas sibi omnino clarissime opponuntur: Deus igitur, hoc est, ens simplicissimum, & individuum neque concipi, neque esse potest immensum. VI. In Numinis idea comprehenditur esse summe bonum, omniscium, omnipotentem: quandoquidem igitur tot in mundo contra omnem naturæ

ordinem accidunt, quandoquidem infinita malorum, ærumnarum, atque miseriarum colluvie totum humanum genus premimur, obruimur, rapimur; ab eo ne auctore sumus, qui hæc omnia & evidenter sciat, & tollere possit facillime, & optimus, atque infinite bonus existat? Nulla, inquiunt, Numinis circa mundana hæc providentia esse apparet.

Hæc, inquam, sunt, quibus Atheistæ succumbunt; ut nihil modo dicam de duplici Manichæorum principio, *Bono*, & *Malo*: singula seorsim diluemus, cum entis necessarii attributa ordine demonstremus. Prius tamen ipsamet attributa, quæ tamquam Corollaria ab entis necessarii idea evidenter deducuntur, breviter sunt demonstranda.

PROPOSITIO IV.

105. *Certitudo de Entis necessarii, seu Primæ causæ existentia est maxima post certitudinem, quam de nostramet existentia habemus, a qua illa consequitur.*

Ens necessarium cogitans a nostra cogitantium existentia, & existentiæ conscientia ita evidenti consequentiarum serie deduximus, ut ab una semper idea clara ad similem aliam ob evidentem connexionem gradatim deduceremur; ut facile ab ipsarum demonstrationum examine edoceberis. Quam enim in primis potissimum Metaphysicis ratiociniis ideam, propositionem, aut alterius ab altera deductionem negabis? Alia sane non est veritatem quamcumque ab evidenti principio demonstrandi ratio, in geometria etiam usurpata: quandoquidem igitur nulla illarum consequentiarum fallit; entis necessarii existentia hujusmodi evidentium consequentiarum serie demonstrata, maxima post principium ipsum certitudine constat: neque una ab alia, nisi ut veritas demonstrata a demonstrationis principio per se evidenti differt: quod quidem discrimen rei evidentiam, non veritatem, neque certitudinem spectare, late in logicis explicavimus. Et hinc illud plane consequitur, adducta a nobis entis necessarii demonstratione omnes cujuscumque sectæ philosophos, Idealistas, Materialistas, Epicureos, Pyrrhonicos teneri: cum rem

ex

ex principio omnium conſcientia certo, & evidenti deduxerimus. Quodſi aliquis inſurgeret Pyrrhonicus ſuum illud nobis univerſale dubium objectans; hoc unum ego impræſentiarum homini reponerem, perinde ergo de entis neceſſarii, atque de tuimet exiſtentia dubites, per me, atque per omnes theiſtas licet: Ens neceſſarium, ut tu tibi, incertum a te ponatur.

DEFINITIO

106. *Æternitas* abſolute, atque univerſim ex vi, & ſignificatione nominis ſpectata, eſt *duratio initii, & finis expers*. Id vero *initium*, & *finis* ad tempus quodcumque poſſibile refertur præteritum, præſens, futurum: ita ut æternitas comprehendat tempus quodcumque poſſibile datum, & extendatur ultra poſſibile quodcumque tempus, quod extitiſſe potuerit, aut exiſtere poſſit. Quidquid igitur neque principium exiſtendi habuit, neque finem habebit, dicitur & eſt æternum. Si hujuſmodi duratio ex libera entis neceſſarii voluntate & omnipotentia alicui creaturæ potuit convenire, de quo infra diſputabitur; æterna eſſet atque diceretur illa creatura: æternitate quidem non neceſſaria, ſeu intrinſeca, ſed ab extrinſeco tantum principio derivata.

107. Æternitas hoc modo a nobis concepta dicitur extrinſeca; propterea quod tempus reſpiciat. Si creatura aliqua potuit eſſe æterna; ejus æternitas diceretur etiam extrinſeca a contingenti illius exiſtentia: ut modo dixi. Æternitas intrinſeca eſt interminabilis vitæ perfecta & invariabilis poſſeſſio. Intrinſeca nuncupatur: propterea quod neque tempus, neque aliquid extrinſecum reſpiciat, a quo dependeat, ſed abſoluta ſit atque intrinſeca Entis æterni perfectio.

PROPOSITIO V.

Ens neceſſarium a nobis demonſtratum neceſſario eſt ens æternum.

108. Propoſitionem intellige primo quidem de æternitate intrinſeca: ſecundo etiam de extrinſeca, tem-

pus

pus respiciente, nullamque dependentiam secum ferente. Sensus ergo propositionis utramque æternitatem complectens, est, Ens necessarium ex intrinseca, & essentiali ejus naturæ perfectione semper existere, ante omne possibile tempus fuisse, post datum, aut futurum quodcumque tempus esse extiturum.

109. *Demonstratio.* Si propositionem negas, poni, aut dari posset tempus, quo non esset adhuc ens necessarium; ergo absolute non esset ens necessarium: absolute enim necessarium non est illud, quod potuisse aliquando non existere, tenetur, aut sine quo tempus aliquando esse potuit. 2. Si non esset necessario æternum; esset impossibile: si enim potuit aliquando incipere; a quonam crearetur, & existentiam acciperet? non a se; cum prius non fuisse ponas: non a nihilo: cum a nihilo producatur, aut sit nihil: non ab alio: nisi ante ens necessarium alia entia necessaria statuantur; quibus positis, necessarium jam non esset ens, de quo loquimur. Sed ne ab Atheista quidem entis necessarii æternitas in dubium vocatur: ad alia descendamus.

PROPOSITIO VI.

110. ***Ens illud necessarium, & æternum est summe independens, atque ens a se.***

Duo hæc in propositione affirmata in idem fere recidunt, & ab idea entis necessarii evidenter utrumque profluit. *Demonstratur* I. Si ens æternum B non esset summe, & infinite independens; ab alio A penderet: illud aliud non esset ens contingens, sed necessarium: Ens scilicet ente necessario prius, æternum per se se esset, & intrinseca æternitate necessario existeret: prius etiam extitisset, quam B: esset igitur aliud ens necessarium. A antecedens ad ipsum B: ergo B neque esset amplius ens necessarium contra hypothesim, neque æternum contra ac modo confecimus.

111. *Demonstratur secunda pars*. Ens illud æternum necessarium esse *Ens a se*, cum ab idea entis necessarii, tum a ratione summæ independentiæ consequitur. I. Quidquid existit, vel est *a se*, vel ab aliqua caussa, vel a nihilo: nullum est medium, aut alia exi-

existendi ratio. Esse a nihilo, est impossibile: *nihil* enim nullius rei potest esse caussa. Si esset ab aliqua caussa; illa proculdubio esset ens necessarium: ne effectus caussam suam perfectione superaret; præter ens igitur necessarium, de quo loquimur, esset aliud ens pariter necessarium, & prius, nempe illius caussa: ergo illud non esset necessarium contra hypothesim; cum sit aliud ens necessarium prius existens, & independens a secundo, & consequenter potens sine secundo existere: unum igitur superest, ut sit *ens a se*. Uno verbo. ens necessarium, etsi omnia alia non existere ponantur, necessario existet: ergo necessario est ens a se. Ex 2. capite: esse ab aliqua caussa, non est summa independentia, immo dependentiæ ideam secum defert: contra vero esse *a se*, hoc est, ita esse, ut ex sola naturæ suæ necessitate, atque ratione necessario existat, & in se uno habere totam existendi rationem, est summa independentia: ut nostra idearum evidentia demonstrat: quandoquidem ens necessarium est summe independens, illud necessario est *ens a se*.

112. *Corollarium I. Ens necessarium æternum est sibi ipsi omnino, & summe sufficiens*. Quod enim est necessarium ab omnibus summe independens, atque proinde *a se*, sibi est sufficientissimum; nisi scilicet sibi esset sufficiens, alio indigeret; non esset igitur *ens a se*, & summe independens, contra hypothesim, & veritates jam demonstratas.

113. *Corollarium II. Ens necessarium sibi ipsi est ratio sufficiens; ex se ipso, & in se ipso rationem sufficientem necessariam suæ existentiæ habet*. Cujuscumque enim rei existentis sua est ratio sufficiens: quidquid est, ob rationem aliquam existit, quæ sit ejus existentiæ sufficiens: ratio sufficiens existentiæ entis necessarii non est in alio; alioqui esset ens ab alio: quoniam igitur est *a se*, sibi sufficit, a nullo dependet, est ens necessarium; sibi ipsi est, atque ex semetipso habet rationem sufficientem: ex necessitate, independentia, atque perfectione suæ naturæ existit,

PRO-

PROPOSITIO VII.

Ens necessarium est ratio sufficiens, & prima caussa omnium contingentium.

114. *Demonstratio*. Omnia entia contingentia, finita, aut infinita ab Atheo statuantur, sunt *ab alio*: hoc est, sunt producta ab aliqua caussa ab ipsis distincta: unumque ens necessarium est *ens a se*: ratio igitur sufficiens, & caussa omnium contingentium, hoc est, universorum *entium ab alio* non est in ipsis contingentibus, ut fuse jam demonstravimus, sed in aliquo non contingenti: ergo in ente necessario. 2. Demonstratum est superius, seriem quamcumque rerum contingentium, hoc est, sibi ipsis singillatim insufficientium non reddi sufficientem per ipsius seriei infinitatem: series igitur infinita contingentium, seu entium insufficientium non est sibi ipsi ratio, & caussa sufficiens: quoniam igitur nihil est sine ratione, aut caussa sufficiente; caussa sufficiens totius seriei rerum contingentium est necessaria.

Et hinc ens necessarium *caussa prima*, *atque universalis* nuncupatur. Uno verbo, Rem esse sine caussa, aut ratione sufficiente, est impossibile: seriei igitur cujuscumque rerum contingentium sua debet esse caussa sufficiens: aut igitur caussa sufficiens totius insufficientium rerum seriei est in serie, aut in ente necessario: primum superius jam demonstravimus impossibile: superest igitur secundum.

DEFINITIONES.

115. Antequam ulterius progrediamur, & alia Numinis seu entis necessarii attributa demonstremus; necessariæ aliquæ dicendarum rerum notiones præmittendæ sunt.

Simplex, & *compositum* relativæ sunt ideæ, quarum una ex alterius notione intelligitur. *Simplex* proprie acceptum est ens partibus expers: hoc igitur sensu, quem de Deo, & creatis spiritibus demonstrabimus, idem est, atque *indivisibile*. *Simplex* etiam dicitur, quod ex diversis substantiis non componitur. Homines igitur, animantia bruta non sunt entia simplicia,

cia, sed composita: contra vero aurum, aqua, aer, entia simplicia in secundo hoc sensu dicuntur, quia licet ex diversis numero partibus componantur, ex substantiarum tamen diversitate non constant.

116. *Compositum* ex adverso nuncupatur, quidquid rebus diversis constat. Multiplices, quae sunt, *compositorum* species, *physicum*, *Logicum*, *Metaphysicum*, *morale*, *naturale*, *artificiale*, *fortuitum* singillatim non expono; propterea quod aut illa jam alibi exposuerim, aut satis per se se intelligantur.

117. *Bonum* seu *Bonitas* facilius a nobis concipitur, quam aliis explicetur. *Bonum* generatim usurpatum dico, quod *sui*, *aliarumque rerum existentiae*, *perfectionis*, *& conservationis ratio est*, *atque inservit*. Bonitas idcirco generatim etiam accepta, est convenientia rei cum suae aliarumque rerum existentia, perfectione, conservatione. Ita enim de re, quae neque sibi, neque aliis inservit, ad nihil plane bonam esse dicimus. Contra vero rem pluribus usibus, rebusque inservientem eo meliorem esse dicimus, quo pluribus inserviat usibus, pluriumve rerum beneficio sit, vel unde majus accipiamus beneficium. Brevius Bonum, & Bonitatem definiemus; si prius animadvertamus, atque statuamus, cujuscumque rei existentiam, conservationem, perfectionem, ipsius rei bonum esse. Haec etiam *beneficium* dicuntur, si ad principium referantur, a quo in rem ipsam derivantur. Bonum igitur est, quod *alicui beneficio esse potest*: Bonitas vero est, *convenientia*, *& proportio cum alicujus rei beneficio*.

118. *Bonitas* ita generatim definita in Moralem, & Metaphysicam dividitur. Bonitas moralis est *convenientia actionis cum regula morum*. Bonitas metaphysica est *convenientia*, *seu ratio sufficiens beneficii alicui rei praestandi*. Quidquid igitur a regula honestatis abludit, est malum morale: quidquid neque sibi, neque aliis beneficio esse posset, nullo pacto esset bonum. Contra vero ens quodcumque eo est metaphysice melius, quo pluribus rebus, pluribusve modis proficere possit: pluriumve beneficiorum ratio sufficiens existere.

119. Si *VVolfii* discipulos audias (a), *Bonitas*, & *per-*

(a) Sagner Ontol. num. 131.

perfectio, est consensus plurium in re una: sed hæc definitio omnibus definitionum vitiis laborat: obscurior est definitio: res præterea, in qua non existant plura; omni ex parte simplex, quam cum Bonitatis idea oppositionem habet? ubi non sunt plura, non est perfectio? *Perfectum* dicitur, & definitur communiter, *id cui in suo genere, aut ad suum finem nihil deest*: quod ergo ad plura genera spectet, aut fines inserviat, magis erit perfectum: erit igitur infinite perfectum, quod ad infinita inserviet, infinita possit, cui in infinitis generibus nihil perfectionis desit.

120. *Finitum*, & *infinitum* duæ etiam sunt ideæ in Metaphysica passim obviæ. Utrumque vero aut numeri, aut perfectionis, vel etiam extensionis, & intensionis finitum, aut infinitum esse potest. Quid sit numerus finitus, extensio finita, perfectio finita, satis per se se intelligitur. Quod scilicet ex iis tribus intra certos terminos utrimque comprehendatur, dicitur, & est in suo genere finitum. *Infinitas* numeri est numerus termino carens. Eadem etiam infinitæ extensionis notio. *Infinitas perfectionis, seu intensionis est perfectio datam quamcumque perfectionem, seu bonitatem suo in genere transcendens.*

PROPOSITIO VIII.

Est etiam ens necessarium infinitæ perfectum in omni puræ perfectionis ordine.

121. *Demonstratio* prima. Ex notione *entis a se* seu necessarii sponte profluit. *Ens a se* summe independens, & necessarium, atque ipsum sibi existendi ratio sufficiens a nulla caussa circumscribi, atque limitari potest, aut aliquos perfectionis fines, & limites accipere: est igitur ens non limitatæ, sed infinitæ perfectionis.

122. *Demonstratio* secunda inter ens necessarium, & quodcumque contingens est infinita distantia: da enim ens contingens certa quacumque perfectione præditum: illud sane, illiusque perfectio est ab ente necessario. Dati contingentis perfectionem aliis perfectionum gradibus in infinitum auge, aut auctam parumper apprehende: infinitarum hujusmodi perfectionum, aut perfectionis graduum complexio est ab alio depen-

dependens, neque sibi sufficiens: nullo igitur augmento etiam infinito perfectionem entis necessarii, entis non dependentis æquare potest perfectio quæcumque, seu ens contingens: cum igitur verum id sit de perfectione quacumque possibili contingenti: evidenter inde colligitur ens necessarium in quacumque perfectionum serie possibili esse infinitum: nullamque inter contingentium, atque entis necessarii perfectiones rationem posse intercedere.

123. *Demonstratio* tertia Entia contingentia existentia, aut possibilia sunt infinita, immo infinities infinita in quolibet ex infinitis ordinibus possibilibus contingentium perfectionum: dato enim quocumque contingente v. gr. homine 5. pedes alto, possibiles sunt infiniti alii similes: & ita de omnibus aliis contingentibus: jam vero omnia hæc sunt a Deo ente necessario, ut a ratione, & caussa sufficiente: est igitur ens necessarium caussa omnium contingentium perfectionum possibilium, quæ sunt infinities infinitæ: in omni igitur perfectionum linea est infinite perfectum. Infinitas perfectionis Dei accipi potest cum secundum intensionem, tum secundum extensionem. Infinita perfectionum extensio est, quæ omnes perfectiones possibiles puras, hoc est, imperfectione non mixtas complectitur. Infinita perfectio intensionis est, ut jam dixi, quæ secundum internum suum meritum augeri amplius non potest, & melior reddi. Perfectionis utroque hoc sensu usurpatæ infinitas Deo necessario convenit: iisdemque demonstrationibus utraque æque demonstratur. Deus est illud ens *æternum*, *necessarium*, *independens*, *a se*, *infinitum*, quo in qualibet perfectionum linea nihil melius esse, aut excogitari possit: cujus perfectio quamcumque creaturarum perfectionem tum intensione, tum extensione infinito intervallo superat.

COROLLARIA.

124. I. *Ens necessarium est per naturam, seu essentiam suam ab omni quocumque intellectu creato incomprehensibile*. Quæcumque enim mens creata, quæcumque perfectio contingens est ad ens necessarium, ut finitum ad infinitum in omni possibilium perfectionum ordine: quoniam igitur inter finitum, & infinitum

tum nulla est ratio; ad comprehensionem vero æqualitas saltem in comprehendente requiritur; est ens necessarium a contingenti penitus incomprehensibile: unusque Deus se ipsum comprehendit.

125. *Secundum: Omnes perfectiones puræ, quæ in scholis simpliciter simplices nuncupantur, nullamque secum imperfectionem habent admixtam, in ente necessario proprie, & secundum veram earum perfectionum ideam continentur.*

Demonstr. Ens necessarium est infinite perfectum in omni perfectionum linea, quo nihil esse potest melius: nulla igitur pura perfectio possibilis est, quæ in Deo proprie, & secundum simplicium perfectionum ideas non contineatur: aliter melius aliquid excogitari posset, quam ens necessarium, cui aliqua pura perfectio deesset. 2. Deus est ratio & caussa sufficiens cujuscumque puræ perfectionis possibilis, ut demonstravimus; ergo illas omnes in se continet.

126. *Tertium: Illa omnia in ente necessario non sunt, quæ aliquam secum imperfectionem habent admixtam: cujusmodi sunt v. gr. opinari, conjicere, ideas obscuras, aut imperfectas habere, & mille alia, quæ creaturarum propria existunt.*

Demonstr. Ens aliqua imperfectione præditum non est ens in omni quacumque linea perfectissimum, infinite perfectum, & quo melius nihil esse, neque excogitari potest: melius scilicet esset, si prædicta imperfectione careret: hujusmodi igitur inperfectiones, seu perfectiones impuræ in Deo, ente necessario, optimo, infinite perfecto esse non possunt vere, & proprie secundum propriam dictæ imperfectionis ideam.

127. Quo tamen pacto, quæri hic a te posset, perfectiones impuræ, seu imperfectiones in Deo continentur? Ejusmodi sunt creaturæ universæ, quarum ratio, & essentialis character est *dependere*. Sunt illæ enimvero a Deo: quoniam igitur Deus est ratio, & caussa sufficiens omnium contingentium, rerum scilicet imperfectarum: hæc omnia in Deo, effectus nimirum in caussa contineri debent. ℞. Duplici modo effectum in caussa contineri, *secundum notionem, & eminenter*: primus est, cum res secundum propriam suam ideam, aut speciem in caussa continetur; atque hoc modo sunt, & continentur in Deo

om-

omnes puræ perfectiones possibiles. Secundus, cum res non secundum propriam sui ideam, sed virtute tantum in caussa continentur; eo quod caussæ virtus, & perfectio effectibus supereemineat, illosque possit producere. Hoc secundo modo, qui in natura communissimus, & sæpissime occurrit, effectus in caussis heterogeneis virtute continentur: anima humana elicit ideas, judicia, ratiocinationes; neque tamen est idea, judicium, aut ratiocinatio, sed ista tantum virtute continet. Ens igitur necessarium virtute, & eminenter continet omnes perfectiones non puras: cum illarum meritum, & perfectionem infinite superet: non illas proprie, & secundum earum speciem in se habet; quod nullam habere imperfectionem potest. Contra vero omnes perfectiones puræ, & simplices in Deo, ob adductas modo demonstrationes continentur.

128. Infinitam perfectionem entis necessarii hoc modo impugnat *Hume* philosophus Scepticus (*a*). Caussam primam, Deum, seu ens necessarium ex effectibus, ex corporum scilicet, seu mundanæ machinæ existentia deducimus: at hoc modo ratiocinando, inquit, non nisi finitam perfectionem caussæ tribuere possumus: neque enim majorem ex effectibus in caussa perfectionem statuere licet, quam illa sit, quæ effectuum exsistit: est vero creaturarum omnium perfectio finita: æqualem igitur in Deo perfectionem esse, probare tantum possumus. Resp. Ex corporum, seu creaturarum exsistentia entis necessarii exsistentia demonstratur; ab entis necessarii idea, seu notione illud esse ens *a se*, *infinitum*, atque *optimum* in omni & quocumque perfectionis ordine evidenter deducitur: ex effectibus igitur imperfectioribus demonstrari potest caussa integrum effectum perfectione superans, ut passim in mille caussarum actionibus evenit: actio externorum corporum in nos est pura modificatio, & modus corporis; ab eo tamen effectu corpus, & substantiam aliquam extra nos esse deducimus: quæ duo sunt effectu ipso, seu modificatione perfectiora.

PRO-

(a) Essais de mr. *Hume*. Essai 11.

PROPOSITIO IX.

Ens necessarium est per naturam suam immutabile.

129. *Demonstratio.* Immutabilitas est pura perfectio; quidquid enim non potest mutari, neque minui, neque augeri potest: nihil igitur perfectionis ei potest addi, neque ab illo detrahi. Primum est continere omnem perfectionem possibilem: secundum est, nullam perfectionem possibilem posse amittere: utrumque puram perfectionem constituit: est igitur immutabilitas pura perfectio, & in ente necessario infinite perfecto in omni, & quacumque linea optimo continetur.

130. *Demonstratio* secunda. Mutari, aut posse mutari, est imperfectio vel imperfectionis argumentum: vel enim in melius, vel in deterius, vel in æquale mutatur: si primum; non erat ante mutationem optimum, & perfici potuit: Si secundum; fiet mutatione deterius: Si tertium; ergo esset aliqua perfectio extra ens necessarium infinitæ entis necessarii perfectioni æqualis: quod iterum est impossibile, & ex entis necessarii unitate jam jam alio ex capite demonstranda per evidentem idearum connexionem deducitur. Utraque ergo tum *mutabilis*, tum etiam *immutabilis* notio propositionem, & assertum Numinis attributum demonstrat.

131. *Demonstratio* tertia. Quidquid Deo est intrinsecum, ex natura sua est summe, & infinite necessarium, & necessarium fuit ab æterno: ergo ab illo mutari non potest: alioquin non esset necessarium.

132. *Demonstratio* quarta. Deus ex naturæ necessitate intrinseca, & essentiali est ab æterno quidquid intrinsece, & in se ipso esse potest: ergo nihil intrinsecum potest habere, quod jam ab æterno non habeat: Prior illa propositio est manifesta: si non esset ab æterno quidquid intrinsece esse potest: ergo aliquid perfectionis posset de novo adquirere, quod est contra ideam entis necessarii, optimi, & infinite perfecti in omni linea.

133. In hanc aliam formam aptari potest hæc demon-

monstratio: Deus in se uno habet ab æterno rationem sufficientem necessariam suæ exsistentiæ, & quarumcumque perfectionum: si ergo in Deo fieri posset aliqua mutatio, habuisset illa rationem necessariam ab æterno: facta igitur fuisset ab æterno: ergo non esset mutatio: implicat enim contradictionem mutatio ab æterno: ens igitur necessarium est immutabile.

134. Contra immutabilitatem Dei aliqua ex diversis capitibus opponuntur. I. Ex libertate entis necessarii: Deum esse perfectissime liberum inferius demonstrabimus: stare autem posse non videtur, rem eamdem & perfectissime liberam, & omnino immutabilem exsistere. Argumentum ex hoc capite ab Atheistis contra Numinis existentiam petitum, cum de libertatis attributo sermo nobis erit, diluemus.

135. II. Mundum in tempore productum, seu creatum a Deo tenemus: novas subinde, & novas in hac rerum universitate fieri mutationes, creationes, destructiones fatemur: prima, & universalis universarum hujusmodi rerum, atque mutationum caussa juxta nos est Deus & supremum Numinis consilium, virtus, providentia: mutat ergo Deus circa res creatas consilium, atque providentiam; neque propterea dici potest immutabilis. Respondeo: Ab iis, quæ in rebus fiunt, mutationibus perperam argumentari, alias etiam in caussa, ejusque consiliis mutationes accidere: quid enim difficultatis in eo est, quod Deus certum quoddam rerum vicissitudinum, seu mutationum systema, atque seriem possibilem ab æterno viderit, æternoque, atque immutabili consilio probaverit, statuerit, & quod secundum immutabilem illam, æternamque temporalium mutationum voluntatem, omnes, quæ in mundo fiunt, mutationes peragantur? præcipue cum omnis illa consequentium, seu fluentium mutationum series ad unum eumdemque finem ducat, seu statuatur, quem sibi in rerum omnium creatione ens necessarium proposuit? Similes proculdubio in humanarum actionum systematibus ex eadem constanti hominis voluntate fieri, passim animadvertimus: adeo ut verum sit, plurimas sæpissime fieri in rebus humanis mutationes, quia ex constanti, atque immutabili ejusdem hominis voluntate ad

quemdam semper scopum collineantis profluunt. Uberius hæc, si opus sit, quum de Providentia Dei disputabimus, explicabuntur.

136. III. Tertio loco ex Theologia revelata adversus veritatem naturali ratione, seu Theologia naturali demonstratam opponi potest argumentum ex Divino Incarnationis mysterio desumtum. Per intrinsecam, & physicam unionem ὑποστάσεως naturæ humanæ unitum est in tempore ens necessarium æternum; ita ut ratione hujus intrinsecæ unionis (quocumque tandem modo illa a Theologis explicetur) Verbum æternum, secunda triados persona, Deus, ens necessarium factum fuerit homo in tempore; quod quidem & in anteriore tempore, & per totam æternitatem non fuerat. Purum hoc est christianæ religionis dogma, & mysterium: quæ autem major mutatio, quam ens necessarium humanam naturam assumere, illi intime, atque intrinsece uniri, hominem fieri, quod antea homo non erat, aliquid intrinsecum non modo nomine, sed re etiam de novo, & in dato tempore adquirere? Ens igitur, quod dicimus necessarium, est mutabile: quodcumque mutabile non est æternum, neque necessarium: ex nostræ igitur religionis dogmate, quod revelatione certum esse tenemus, nullum esse ens necessarium demonstratur. En argumentum toto suo in lumine propositum.

137. Respondeo. Si veram mutationis ideam consideremus, ad evidentiam usque constabit, nullam in casu argumenti mutationis umbram apparere. Mutari, est idem subjectum desinere esse, quod erat, & incipere quod non erat; hoc autem aut fit in melius, aut in pejus, aut in æquale: nullo alio modo fieri potest mutatio: & hæc quidem rei idea est, quam ex rerum omnium naturalium vicissitudinibus ope sensuum comparamus, ex qua ens necessarium in casu etiam argumenti, & alio quocumque possibili mutari omnino non posse deducitur: quod in hunc modum demonstratur. Ens necessarium, Deus, natura divina perfici nullo modo potest; cum in possibili quacumque perfectionis ratione sit infinite perfectum, omnemque perfectionem possibilem in se contineat: ut propositione 8. demonstravimus: in melius igitur mutari nequit. Rursus ex propria entis necessarii

sarii ratione quidquid perfectionis in Deo est, quidquid illud ens est, necessario est: amitti igitur non potest: amitti autem opus esset, ut in imperfectius aliquid mutaretur. Nihil est enti necessario æquale: unum est ens necessarium: ab una ad aliam perfectionem æqualem non potest transire: quia nulla est *alia* perfectio, quam Deus jam antea, & ab æterno non habeat. Tandem nihil in Deo desinere potest: necessario est, quidquid per naturam suam est. Si igitur *desinere* in ente necessario locum habere non potest; si neque in melius, neque in deterius, neque in aliquid sibi æquale mutari potest ens *necessarium, & infinitæ necessariæ* perfectionis, est necessario immutabile.

138. At novo modo se habet, inquis, quo antea non erat: hoc autem est mutari. Resp. Si proprie, atque exacte loquamur; una est humana natura, quæ novo, diversoque modo se habet enti necessario unita, non vero ens ipsum necessarium, quod ex humanitatis ad naturam divinam unione nihil suæ infinitæ perfectionis amittit, nihil perfectionis acquirit, unam in aliam æqualem non mutat: neque in melius, neque indeterius, neque in *aliud æquale* vertitur: sed idem semper manens secundum æternum, atque invariabile suæ voluntatis consilium, humanam naturam sibi in tempore uniri ab æterno voluit: sola hæc humana natura est, quæ ejusmodi unione, novoque exsistendi modo mutatur; cum infinite perficiatur. Secundum igitur veram mutationis ideam impossibile omnino est, ens necessarium mutari: cum ex ratione entis necessarii æterni neque nova inire consilia, neque perfectionem aliquam amittere, neque acquirere possit. Hoc unum ego impræsentiarum ab atheo postulo, ut idearum claritati unice insistamus: ex idea optimi, infinite perfecti, atque necessarii, ex vera etiam mutationis idea argumentum versemus. Rem ita esse, humanæ etiam ideæ, consilia, rationes infinito intervallo ab entis summi perfectione distantes demonstrant. Sinensis imperatoris comitatui ex pluribus aulicorum, belli, pacisque magistratuum millibus composito, misellus quidam se adjungat mendicus, ostiatim antea vitam alens, deinceps vero ad delicias usque lautissime vivens: quisnam, amabo, fortunæ mutationem subiit, imperator ne, qui ne de hominis quidem casu, conditione, sorte, cooptatione ali-

quid agnovit, nihil ab illo beneficii, aut detrimenti accipit, an miser potius mendicus, cui alia modo est rerum omnium scena? Ab humanis hisce, & imperfectissimis rebus ad infinitum illum perfectionum fontem, & immensum mare imaginando conscende, & vanissimus illico adductæ difficultatis scrupulus dissipabitur.

PROPOSITIO X.

Ens necessarium non potest esse nisi unicum: ac proinde unitas Dei ratione etiam naturali demonstratur.

139. *Demonstratio*. Dato uno ente necessario, infinito scilicet, perfectissimo, optimo, a se, habetur ratio, & caussa sufficiens, & necessaria omnium rerum, quo uno stante, stat integra rerum contingentium, & possibilium universitas: si ergo secundum ens necessarium poneretur, illud superflueret, seu non esset necessarium contra hypothesim: da scilicet parumper, quod secundum illud ens necessarium deficeret, aut esse non intelligeretur; neque ens necessarium, caussa prima, & ratio sufficiens omnium rerum, neque contingentium, aut possibilium aliquod deficeret: ergo illud secundum non esset necessarium: ergo est impossibile; in re enim præsenti non datur medium.

140. *Demonstratio* secunda. Ens necessarium, ut ex illius notione hactenus demonstravimus, est ens in omni perfectionum linea infinitum, cui nihil deest in quocumque perfectionis ordine: Si alterum esset ens necessarium, illud pariter eamdem perfectionum infinitatem haberet; cum ea perfectionum infinitas ex notione entis necessarii descendat: primum igitur ens necessarium non esset ens optimum, cum haberet æquale: aliquid etiam illi deesset, infinitas scilicet perfectionum secundi entis necessarii, non igitur esset infinite perfectum.

141. *Demonstratio* tertia. Ens necessarium & est *a se*, & prima, atque integra caussa omnium contingentium: si ergo plura essent entia necessaria, plures etiam essent primæ, & integræ caussæ omnium contingentium: quod est impossibile. Ens necessarium

debe-

debere esse caussam primam rerum contingentium; ex eo demonstratur, quod nisi ita esset, non esset ens infinite perfectum, illique deesset esse caussam omnium rerum, hoc est, omnipotentia: Si autem est caussa; necessario est integra, & independens caussa creationis omnium rerum: neutrum vero staret, si aliquod aliud ens necessarium una cum primo in omnium contingentium creationem necessario influeret.

142. *Demonstratio* quarta. Longe major perfectio est entis necessarii, si omnia, quæcumque ab illo sunt distincta, ab illo, & a solo illo dependeant, quam si aliquod ab illo penitus non dependeat, cætera vero non ab illo solo exsistant: nullus, credo, propositionem hanc lumine rationis notam inficiabitur: at si esset alterum ens necessarium, neque omnia a Deo, neque cætera a solo Deo penderent: ens scilicet illud alterum necessarium independens esset, ab illoque contingentia omnia pariter, atque a Deo dependerent. Si igitur esset alterum ens necessarium; Deus non haberet summam perfectionem: vel si Deus est summe perfectus, qualem esse demonstravimus; impossibile est aliud ens necessarium: Deus igitur est per essentiam unicus.

143. Contra unitatem entis necessarii tria opponi possunt: *Primum* a Numinum multiplicitate apud tot cultas nationes cum veteres, tum etiam recentes asserta, & religiosi cultus partem efficiente petitur. *Secundum* a primo etiam Christianæ religionis capite, divinarum scilicet personarum trinitate: *Tertium* a duplici Manichæorum principio *Bono*, & *Malo*, quæ Manichæi statuebant æterna, necessaria, & a se, & contraria; quorum primum boni cujuscumque esset causa: a secundo autem omnia mala, & miseriæ, quibus circumdamur, & premimur, eorum hominum sententia proveniebant. De tertio hoc argumento suus infra erit dicendi locus: priora duo tantum proponamus.

144. Universalis gentium consensus nobis est, inquiunt, validum adeo veritatis argumentum, ut acriter inde pro entis necessarii exsistentia superius argumentaremur; legem in nos statuimus: hic est idem polytheismi casus: polytheismus enimvero a quamplurimis nationibus ita olim, & modo etiam tenetur;

ut dogma illud dici possit communi hominum consensu firmatum: neque igitur Numinis unitas est certa, neque demonstrationes ad illam conficiendam adhibitæ satis momenti in se continent. Respondeo, nullam unquam nationem fuisse, nullam modo esse, quæ, si rudissimos aliquos de plebe excipias, quibus nihil fidei adhibendum est, entis necessarii, seu Numinis pluralitatem tenuerit, imo non rejecerit, & unicum supremum Deum non fuerit semper professa. Ut rem brevissime demonstrem, illud in primis facile mihi ab omnibus dabitur; rudissimam cujuscumque nationis plebeculam in hisce gravissimi momenti rebus audiendam non esse: quot enim vero in omnibus christianæ Europæ nationibus apud rusticanos homines circa hujusmodi argumanta errores sæpe vigere non comperimus? vulgares tuæ gentis sensus perpende: satis id unum est: a cultis igitur nationis cujuscumque hominibus de vero gentis sensu doceri tantummodo possumus. Hac animadversione præmissa, nullo negotio ex antiquis, & recentibus cujuscumque nationis scriptoribus unicum ab iis omnibus supremum Numen admissum esse demonstrabitur: nihil enim apud illos frequentius usurpatum legimus, quam supremum unum esse hominum, deorum, rerum omnium parentem: quod quidem pauca hæc ex infinitis, quæ omittimus, satis evincunt. Communem Romanorum sensum ita ii exprimebant, *O pater, o hominum, Divumque æterna potestas* (a): *Regum timendorum in proprios greges, reges in ipsos imperium est Jovis, cuncta supercilio moventis* (b). Πατὴρ ἀνθρώπων τε Θεῶν τε (c). Eodem modo *Tullius* (d), *Seneca* (e) & cæteri antiqui de supremo Numine loquuntur.

145. Illa Deorum turba, quam eorum libros evolventes animadvertimus, ab iis etiam hominibus tamquam vera Numina primo rerum principio, & parenti æqualia, ab illo distincta, & illi similia non habebantur; sed inferiora tantum Numina nuncupabantur:

(a) *Virgil.* Æneid. l. 2.
(b) *Horat.* Odar. l. 3. Ode 2.
(c) Videatur *Aristoteles* l. 2.
(d) *Tullius* de natura Deorum.
(e) *Seneca* lib. 4. de Beneficiis.

tur: eoque nomine corpora aliqua, cæleſtia potiſſimum, intelligebant, in quibus aliquid ſublimius ineſſe credebant, aut famoſi aliquot homines, imperatores, principes aliquo de capite celebres, atque proinde veræ creaturæ, entia contingentia: vel iis Deorum nominibus diverſa tantummodo unius, ejuſdemque Numinis, entis neceſſarij infiniti attributa, proprietates, & munera, in diverſa corpora potentiam ſignificabant. Perſpicue id legimus apud *Senecam*; *quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum noſtrarum compellare. Tot appellationes ejus eſſe poſſunt, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, & Mercurium noſtri putant . . . . omnia ejuſdem Dei nomina ſunt varie utentis ſua poteſtate*. Plura alia veterum teſtimonia in rem eamdem adducerem; niſi planum id omnino apud omnes in eorum lectione verſatos conſtaret.

146. Eumdem plane ſenſum eſſe apud Sinas, numeroſiorem, quæ ſupra globum telluris ſit, nationem, (*a) apud Japones (*b*), Indos omnes (*c*), Perſas, (*d*) Mahometanos univerſos (*e*), Huttentotos, antiquiſſimam æque, atque incultiſſimam gentem (*f*), Cana-

(*) Leur culte avoit pour premier objeſt un etre ſupreme, Seigneur & Souverain principe de toutes choſes qu'ils honoroient ſous le nom de Chanzg-ti... ils honoroient encore, mais d'un culte ſubordinè des eſprits ſubalternes, & dependents du premier etre, qui ſelon eux preſident aux villes &c. On y voit ſur tout dans un de leurs livres canoniques nomè *Chuking*, que ce *Tien*, ce premier etre, l'objeſt du culte publique, eſt le principe de toutes les choſes, le pere des peuples, le ſeul independant, qui peut tout, qui n'ignore rien de ce qui eſt le plus cachè, pas meme le ſecret des coeurs; qu'il veille a la conduite de l'univers. *Du-Halde*, hiſt. de la Chine. T. 3. p. 3. 4. edit. in 4.

(a) *Du-Halde* loc. cit. *Le Compte* nouveaux Mem.
(b) *Charlevoix* hiſtoire du Japon. t. 1.
(c) *Banier. Borros. Souſa*. Lettres Edificantes.
(d) *Pocock* Relig. veter. Perſar. *Chardin* &c.
(e) Moeurs, Religion, & hiſt. des Turcs.
(f) *Kolb*. Des Huttentots. Lettres Edific.

Canadenses (*a*), Americanos cæteros cum septemtrionales, tum meridionales (*b*), uno verbo, apud omnes populos nobis hactenus notos, ex iis, quæ habemus de eorum singulis monumentis, atque relationibus constat (*c*): adeo igitur falsum est, polytheismum communi aliquarum nationum sensui inniti, ut ab opposita potius universarum nationum opinione entis necessarii supremi Numinis unitas demonstretur.

147. Contra entis necessarii unitatem ex secundo capite superius indicato ita ad hominem, inquiunt, argumentari potest. Licet unicam esse entis necessarii naturam Divinam Christiani omnes teneamus: admittimus tamen personarum trinitatem: sunt igitur tres Personæ divinæ necessariæ, æternæ, independentes: tria igitur sunt entia necessaria, æterna, independentia, infinita: jam vero ex ratione entis necessarii infinite perfecti impossibilitatem alterius entis necessarii superius demonstravimus: vel igitur demonstrationes nostræ cadunt, vel divinum Triados mysterium est falsum, & impossibile: quandoquidem igitur mysterium hocce est certissimum, unitas entis necessarii nullo modo demonstrari potest. Ut difficultatem penitus solvamus, aliqua e Theologia revelata in hac Theologiæ naturalis parte attingenda sunt.

148. Respondeo, Fidem, & rationem, mysterium religionis, & demonstrationem nullo modo opponi; licet mysterium Divinum tenuissimam nostram hominum perceptionem, & intelligendi facultatem infinite superet. Id unum ratio, philosophia, demonstrationes nostræ superius allatæ conficiunt, duo Numina, duo entia necessaria, duas naturas inter se distinctas necessarias, infinitas, independentes esse penitus impossibiles: atque in hoc sensu entis necessarii, seu Numinis unitas a naturali theologia seu ratione ex notionibus entis necessarii, æterni, infinite perfecti, independentis ob naturalem idearum clarissimarum connexionem evidenter demonstratur. Nihil huic veri-

(a) *Charlevoix*. Hist. de la nouv. Fr. Moeurs des Sauvages.

(b) *Acosta* hist. nat. de las Indias. Garcilasso hist. de los Incas &c. &c.

(c) *Banier*. La relig. de touts les peuples.

veritati oppositum asserit, aut definit theologia revelata: imo singula hæc naturalis theologiæ, & rationis capita statuit, unicum tantummodo esse ens necessarium, independens, æternum, infinite perfectum: impossibiles esse duas, aut plures naturas inter se distinctas necessarias, independentes, infinite perfectas. En naturalem, atque revelatam Theologiam circa hæc omnia capita cohærentes. Hisce veritatibus, quas una ratio naturalis demonstrat, hæc insuper addit revelatio ab ipsomet supremo Numine facta, in unica illa necessaria, æterna, independenti, infinite perfecta, atque incomprehensibili natura tres distingui personas, quæ communem inter se habeant eamdem singularissimam naturam, a qua non distinguantur, solumque in relationibus, seu personalitatibus Divinis differant: ex infinita vero, atque incomprehensibili entis necessarii, seu naturæ divinæ perfectione, atque fæcunditate esse, quod a natura ipsa per essentialem emanationem, unius entis infinite perfecti propriam, omnique creatæ menti incomprehensibilem, personæ ita a natura emanent, ut eadem in tribus sit emanans natura, relationes ab hac emananti, & communi natura non distinctæ inter se tamen distinguantur.

149. Relatis hisce veritatibus hoc unum opponere potest naturalis theologia, seu ratio humana, nihil a se nimirum de postremis hisce capitibus comprehendi, hæc omnia, infinitam entis necessarii perfectionem nobis esse incomprehensibilem; mentis humanæ capacitatem infinito intervallo superare: ideæ, perspicacia, mentis capacitas, ut de hisce rebus ratiocinemur, nobis penitus deficiunt: res igitur non comprehendimus; interim tamen nulla idearum claritate oppositum videmus. Uno verbo, utraque theologia demonstrat, unum tantummodo esse ens, naturam, caussam primam, Deum, principium necessarium, æternum, independens, a se, infinitæ perfectionis: hæc scilicet, quæ ad exsistentiam, & notionem entis necessarii spectant, revelatio definit, ratio naturalis demonstrat: omnia hæc essent falsa, si polytheismus esset verus: polytheismus igitur est ex utraque illa scientia falsus. Personarum vero in unica natura trinitas ad entis necessarii modum, seu intimam naturam, atque infinitam spectans mentem nostram peni-

tus

tus fugit, polytheismum non inducit, immo ex diametro adversatur; cum entis necessarii infiniti relationes multiplicet, naturæ tamen unitatem semper statuat. Summa rei est, Entis necessarii, & modus ille ineffabilis, quo Ens ipsum in se se exsistit, & communicatur, duæ sunt quæstiones, quæ circa exsistentiam rei, & modum rei versantur. Jam vero primam illam quæstionem intelligere, & definire possumus, alterius plane inscii: ut exempla in rebus etiam naturalibus passim occurrentia demonstrant. Si hæc in naturalibus; quid non in Divinis, in infinito perfectionum oceano (liceat tantillæ menti tantillo etiam exemplo de infinito balbutire), in infinito, inquam, perfectionum oceano citra fundum, & littora ex immensa distantia observato?

PROPOSITIO XI.

Ens necessarium est substantia simplicissima omnis physicæ compositionis expers.

150. Propositio duas continet partes a notione entis necessarii infinite perfecti clarissima idearum connexione deducendas.

Demonstratur esse substantiam. Ens necessarium, independens ab omni alio est ens a se, in se, & per se ipsum necessario exsistens, seu subsistens: a nullo enim dependet, ut sit, omnibusque rebus aliis deficientibus, ipsum necessario exsisteret: substantiæ igitur notionem superius a nobis datam in se continet. Cum ne Pantheista quidem de prima hac propositionis parte, per se ipsam alias manifesta, dubitet; ad alia descendamus. Deum seu ens necessarium esse simplicissimum, facile demonstratur: prius tamen animadvertendum est, simplicitatem duplex partium genus excludere, essentiales nimirum, & integrales, quarum notionem aliis in locis dedimus. Ens necessarium esse in utroque hoc sensu simplicissimum, nullasque in eo esse partes, aut essentias distinctas, ita demonstramus. Deus est immutabilis: quidquid est compositum, mutari potest: ubi enim sunt partes realiter distinctæ, dividi, separari, alio, & alio modo combinari possunt, quibus quidem rationibus compositum intrinsecus mutari, clare intelligimus: quandoqui-

quidem igitur Deum immutabilem demonstravimus, ens simplicissimum esse necessarium exsistit.

151. *Demonstratio* II. Si duæ, aut plures in Deo esse possent partes inter se distinctæ; vel earum singulæ sunt entia necessaria, vel nulla, vel aliqua tantum: nulla alia ratione partes illæ in Deo esse possunt: omnes autem hice modi sunt impossibiles. Si primum; ergo plura essent entia necessaria: quælibet enim seorsim ab aliis, etsi aliæ non exsistere ponantur, esset ens necessarium, necessario exsisteret, esset ens a se, neque id ab aliis partibus, aut earum consortio acciperet. Cogitemus scilicet tres partes A.B. C. inter se reapse distinctas, & necessarias: A igitur seorsim ab aliis spectari potest: ita spectata vel est ens necessarium, vel non: si primum; illa in se habet rationem sufficientem suæmet exsistentiæ, atque omnium aliarum rerum: aliæque partes superfluunt: unum esse debet ens necessarium. Si A seorsim non est ens necessarium: ergo non est necessarium ex intrinsecis suis: ergo ab alio habet, quod sit ens necessarium, id quod est manifesta idearum contradictio. Uno verbo, si pars A est per se ens necessarium; habet omnia entis necessarii attributa hucusque demonstrata: est igitur a se, independens, infinite perfecta, unica: cæteræ igitur partes non sunt entia necessaria. Reliquæ duæ partes dilemmatis, alteram nimirum solam partem, aut nullam esse necessariam, sunt per se se absurdissimæ; neque demonstratione opus est, ut impossibiles esse appareat: ens igitur necessarium partes habere nequit, estque proinde simplicissima substantia totius compositionis expers.

152. *Demonstratio* III. Simplicitas est perfectio: omnis autem compositio est imperfectio: præter mutationem enim, quæ a partium multiplicitate consequitur, singulæ partes, ut totum efficiant; totumque ipsum, ut propriam totius rationem servet, a partibus singulis, & ab earum unione dependet: omnis autem dependentia est imperfectionis nota.

COROLLARIA.

153. I. Est igitur Deus ens prorsus indivisibile; nullæ in eo partes; non aliud, & aliud; non modo in

in partes integrales, & continuas, ut corpus, seu materia, sed neque in partes essentiales in corpus, & animam, in materiam, & formam, ut homo, dividi omnino non potest. Indivisibilitas scilicet realis aut est ipsamet simplicitas, aut a simplicitate evidenter profluit.

154. II. Ex perfectissima hac, atque infinita entis necessarii simplicitate hæc ulterius consequuntur, *quod in re unum Dei attributum sit omnia alia; actus sit potentia, potentia sit ipsemet actus*. Æternitas Dei est suamet necessitas; Omnipotentia est suamet scientia (hæc enim Deo convenire statim demonstrabimus): independentia, infinitas, immensitas, & omnia alia Dei attributa idem prorsus sunt, atque simplicissimum ens. Actus etiam, & potentia; posse agere, & ipsummet agere idem omnino exsistunt: illius sapere est posse sapere; suum posse esse, est esse, atque vicissim: Ens necessarium est quidquid esse potest, nihilque illud modo est, aut potest esse quod ab æterno suæ naturæ necessitate non fuerit: est ergo actus simplicissimus.

155. III. Nos tamen, ob maximam humanarum mentium imperfectionem, atque ob creatarum, finitarumque rerum conditionem, attributa ab attributis, actus, & potentias in summo Ente simplicissimo cogitando distinguimus. Omnipotentiam v. g. concipimus, quin aliquid de intelligentia, aut aliis Numinis attributis, aut ejusdemmet Omnipotentiæ actibus cogitemus. Id vero est primo, quia in rebus creatis, finitis, imperfectissimis, compositis, atque mutabilibus, e quarum numero nos etiam exsistimus, potentiam ab actu, vim unam ab alia distinctam esse, atque seorsim exsistere animadvertimus: vires scilicet actrices, & virtutem multiplicem in caussis corporeis omnis rationis expertibus, ab earum virium actibus sejunctas deprehendimus: a creaturis igitur ad creatorem male ratiocinando illa similiter in ente simplicissimo distincta esse concipimus, aut mente nostra distinguimus. Secunda ejusdem rei caussa est humanæ mentis imperfectio; quandoquidem enim non modo infinitam, sed ne finitas quidem etiam res mente comprehendimus, & objecta, ut in se ipsis sunt, perfecte non cognoscimus; imperfectis ideis illa nobis repræsentamus, & quæ in re sunt idem, ratione ideis-

que

que nostris distinguimus. Ex iis & aliis capitibus, quæ in Logica exposuimus, multiplicia in Deo attributa, proprietates, & potentias distinguimus, & quasi distincta inter se reapse essent, diversis ideis concipimus, & nominibus significamus. Entis necessarii proprium esse dicimus, posse omnia, nosse omnia, sibi sufficere, ab alio non esse: ab illius idea, atque notione ista profluunt: & hinc in ipsomet ente necessario omnipotentiam, omniscientiam, independentiam, sufficientiam inesse deducimus. Quatuor hæc in Deo sola mente nostra inter se distinguuntur, & seorsim de ente necessario demonstrantur: quam igitur in Deo, ente physice simplicissimo, rationis, seu idearum compositionem concipimus, mentis nostræ opus est; quatenus plura in Deo mente ideisque nostris distinguimus, & distincta in ente necessario esse consideramus, quæ in re non sunt distincta. Quæ ego in hujus propositionis demonstratione, & explicatione de distinctione rationis, seu intellectuali attingo, satis per se se Tirones etiam Metaphysici in Logica, vel leviter initiati intelligent: clariora tamen hæc omnia ex iis evadent, quæ inferius de rerum distinctionibus explicatius tradentur: quin tamen in methodi legem peccare existimemus.

156. IV. Mundus igitur, materia, hoc universum non est illud ens necessarium, prima, & universalis rerum omnium caussa. Hanc veritatem, fusius statim adversus Pantheistas demonstrandam, obiter hic ex summa entis necessarii simplicitate deducimus. Est scilicet mundus, vastissima (si non infinita) entium diversorum, & partium complexio summæ simplicitati opposita: non est igitur ens necessarium, quod simplicissimum esse, modo demonstravimus.

PROPOSITIO XII.

Ens a se, seu demonstratum hactenus Numen necessario est ens intelligens, seu substantia cogitans.

157. Hanc propositionem maxime negat Atheus, qui vel nullum Deum admittit, vel Pantheistam agit, & universum Mundum, seu materiam ens necessarium, atque Deum esse contendit.

De-

Demonſtratio I. Intelligere, ſeu cogitare eſt pura perfectio, nullam ſecum imperfectionem deferens: id demonſtrari citra lectoris injuriam non poteſt: hæc ſane eſt clara omnium hominum idea, quam neque Atheus, ſi ſe ipſum intimumque ſuæ conſcientiæ teſtimonium audiat, niſi ore tenus inficiabitur: eſt igitur in ente omnem puram perfectionem in ſe habente, quale Deum eſſe ſuperius demonſtravimus. Hac una ratione demonſtrationem declinare poſſes, ſi intelligere puram perfectionem non eſſe diceres: quod eſſet, manifeſto rationis lumini opponi.

Demonſtratio II. Melius eſt eſſe ens cogitans, quam ens brutum omnis intelligentiæ expers. Niſi una nobiſcum id ſtatuas; communes, & clariſſimas omnium hominum ideas evertis: melior igitur eſſet Deus, ſi ens cogitans exſiſtat, quam ſi ſubſtantia iners ſtatuatur: ſi igitur Deus eſſet ens non cogitans; neque eſſet optimus, cum melius aliquid excogitari poſſet: neque eſſet infinite perfectus in omni perfectionum ordine: aliquam enim perfectionem illi deeſſe contendis.

159. *Demonſtratio III.* Exiſtunt enim vero entia cogitantia, ſecundum primum philoſophandi principium: entia hæc cogitantia ſunt ab alio, atque contingentia: omnia illa ſunt tandem ab ente neceſſario: ens igitur neceſſarium eſt ratio, atque cauſſa ſufficiens omnium cogitantium: habet igitur in ſe ipſo ſuorum effectuum, ſeu entium cogitantium perfectionem: alioquin eorumdem ratio ſufficiens non amplius exſiſteret: eſt igitur & ipſum ens cogitans: entia enim cogitantia poſſe ab ente non cogitante exſiſtere, ens brutum, materiam inertem poſſe perſpicaciſſimam mentem, ingenium, acumen, judicium, prudentiam efficere, idea eſt monſtro ſimilis.

160. *Demonſtratio IV.* Effectus, & compoſita phyſica eo ingenio, atque artificio conſtructa, quæ nos in admirationem rapiant, & noſtram omnem cogitantium intelligentiam longiſſimo intervallo ſuperent, non niſi cauſſæ intelligentis effectus eſſe poſſunt. Hæc eſt naturalis humanæ mentis indoles, atque innata cogitandi judicandique ratio, artificis ingenium, perſpicaciam, induſtriam, atque ſagacitatem ex operum ipſorum artificio inferre, atque demonſtrare: quoniam igitur non modo in integro hoc univerſo, verum etiam in ſingulis ejuſdem univerſi corporibus,

minu-

minutissimorum v. g. viventium corpusculis admirandum ingenium, structuram, ordinem mechanismum suspicimus; dicere oportet, caussam illam necessariam, a qua hæc omnia sunt, esse intelligentem.

161. Postrema hæc demonstratio illum Epicureorum errorem circa adspectabilis mundi originem tangit, quam infra latius prosequemur.

A demonstratis hactenus entis necessarii attributis, ab eo vero potissimum, quod modo demonstravimus, esse nimirum ens cogitans, sequentes veritates sponte sua, & manifesta idearum connexione fluunt, *ens necessarium non esse materiam*; *non esse hoc universum esse ens spirituale ab omni materia*, & *rerum materialium universitate prorsus diversum*. Ab alio igitur ad aliud entis necessarii attributum gradatim procedendo, naturali nostrarum idearum ordini semper insistendo in celebres illas quæstiones de materia cogitante, de Materialismo, de Pantheismo incidimus: quæ philosophanti homini, & per intelligibilem mundum iter agenti, quasi viæ impedimenta, aut male tuta hostium receptacula sunt expugnanda, & solo penitus æquanda.

162. *Corollarium I. Quoniam igitur Deus est ens cogitans, & aliunde in quocumque perfectionis ordine est infinitus; in ratione etiam entis cogitantis est Deus infinite perfectus:* nihilque puræ perfectionis, quod ad hoc attributum attinet, excogitari, aut esse potest, quod enti necessario non conveniat: quo ex corollario infinitatem scientiæ Dei inferius deducemus.

163. II. *Est ens cogitans simplicissimum*. Summam enim in Deo esse simplicitatem, jam demonstravimus. Præterea vero ideam entis cogitantis secum necessario involvere ideam simplicitatis, nihilque esse posse ens cogitans, quod simplex non sit, atque ab omni partium compositione immune, statim conficiemus.

164. III. Cum ergo ens necessarium sit omnium rerum caussa, quidquid creaturarum est perfectissime a prima hac, unica, & æterna caussa cogitante cognoscitur, atque comprehenditur. Si enim aliquid primam hanc caussam cogitantem lateret; non esset in ratione entis cogitantis infinite perfectus, & quo nihil melius excogitari posset.

165. Opponit Materialista 1. Materia efficit colores, & producit sonos, quos in se non habet, neque ipsa per se se est color, aut sonus: efficit etiam Deus, ut dicimus, corpora divisibilia, cum ipse sit maxime simplex: potest igitur caussa eas effectibus qualitates tribuere, eamque in iis perfectionem producere, quam ipsa non contineat: quare igitur Deus, prima rerum omnium caussa id etiam efficere non poterit, & cogitantia entia producere, quantumvis cogitans ipse non sit substantia? Resp. vanissima hæc esse profligati hominis effugia, haud sane digna, quæ datis mogado demonstrationibus subjungantur: ad rem præterea, de qua modo agimus, nequaquam pertinent. Caussas posse producere effectus a caussis diversos, nemo Philosophus ignorat, aut inficiatur; idque perinde est de Deo, atque de caussis secundis certum: unum tamen hoc in nos adducitur, quasi scilicet ex opposito capite propositionem in hunc modum v. g. demonstraverimus; Deus non potest efficere quod non est; efficit ens cogitans: ergo est cogitans. Male hoc argumentum procedere, & purum esse sophisma, ex hoc alio patet: Deus non producit, quod non est: producit entia finita: ergo Deus ipse est ens finitum. Ratum igitur ex utraque parte maneat, posse a caussis effectus dissimiles produci: neque inde demonstrationem nostram peti, aut impugnari posse.

166. *Demonstratio* ex hoc alio principio per se evidenti pendet, quod scilicet caussa integra continere, & æquare saltem debeat sui effectus perfectionem, falleret autem principium, si res non cogitans, hoc est, bruta materia posset rem cogitantem, tamquam integra caussa, producere. Nihil hujusmodi in allatis exemplis visitur: materia cujuscumque dati corporis non est per se solam integra colorum, aut soni caussa: quin imo materia corporis colorati vel sonori non est proprie sui coloris, aut soni caussa, sed tantummodo subjectum. Duplex illa qualitas extra animam sunt modificationes materiæ, quæ in materia ipsa a vi extrinseca peraguntur. Prima in actione lucis per motum modificata, secunda in motu etiam tremulo aeris consistit: materia autem per se non est neque vis, neque motus. Color, & sonus in anima sunt perceptiones, quarum caussa non est materia, sed anima ipsa: in neutro igitur sensu argumentum valet.

let: efferrique in hunc modum deberet: caufsa integra, feu fufficiens coloris, aut foni extra animam, hoc eft, vibrationes, & tremor particularum materiæ, neque eft, neque continet colorem, aut fonum: ergo caufsa etiam fufficiens entis cogitantis poteft neque efse cogitans, neque rem cogitantem continere. Hoc autem fenfu argumentum eft falfiffimum. Aliud etiam exemplum minus ad rem facit: Deus non poteft efse ens divifibile in partes ob demonftrationes fuperius allatas: res tamen divifibiles poteft efficere, tum earum rationem, & perfectionem in fe contineat, ut fupra explicavimus.

167. Aliud difficultatis caput contra demonftratam propofitionem in medium producunt, & acriter provent Materialiftæ Philofophi, quod potiffimum eft eorum hominum dogma, & totius Materialifmi cardo. Rei fumma eft: cogitatio, inquiunt, purus eft materiæ motus: cogitare poteft materia: neque id recte ftatuitur peculiaris fpirituum character. Cogitationes perinde ut colores, atque fonos, tamquam puras materiæ modificationes confiderant, atque adftruunt. Cogitatio, pergunt, eft motus fubtiliffimarum partium materiæ in cerebro factus: hujufmodi autem motus a materia, & vi movente materiali, tamquam a ratione, & caufsa fufficiente provenit: etfi igitur neque materia, neque vis materiæ efsent entia cogitantia; caufsa tamen non cogitans poteft efficere cogitationem: perperam igitur ex eo ens necefsarium efse rem cogitantem demonftramus, quod entium cogitantium, feu cogitationum fit caufsa fufficiens. Si igitur entia cogitantia pofsunt efse ab ente non cogitante; ab exiftentia, & perfectione entium cogitantium aliud non demonftratur, præter materiæ exiftentiam: quæ quidem materia non eft Deus: aut fi eam Dei nomine nuncupare velis; tum vero materia, feu univerfum eft per te Deus: quorum primum eft purus Atheifmus, & Materialifmus: fecundum vero Pantheifmus: Hoc argumentum, quod unam potius ex adductis propofitionis noftræ demonftrationibus, quam propofitionis ipfius veritatem aliis ex capitibus luculenter demonftratam impugnat, longiorem a nobis difcuffionem exigit inferius, cum de Materialifmo fermo erit, luculenter exponendam.

PROPOSITIO XIII.

Ens necessarium nequit esse materia, sed necessario est spiritus ab omni materia distinctum.

§. 168. Hæc propositio, quam, perinde ut superiorem, Atheistæ omnes, vel Materialistæ illi sint, vel etiam Pantheistæ, acriter negant, multiplici ex capite demonstrari potest, & nos tandem ad Materialismi, atque Pantheismi examen philosophando deducet.

Demonstratur primo ex infinitate perfectionis entis necessarii: demonstravimus superius, Deum ita esse infinite perfectum, ut tria hæc illi necessario præter alia conveniant. 1. nihil imperfectionis posse habere; 2. omnem puram perfectionem in illo secundum propriam speciem contineri. 3. Nihil perfectionis esse, aut excogitari posse, quam in se se non habeat: modo sic: Est ne materia infinite perfecta? nihil perfectionis ulterius esse aut excogitari potest? hæc ne charta, in qua scribo, atramentum, calamus sunt entia infinite perfecta, aut infinitæ perfectionis partes? possunt ne cum idea infinitæ perfectionis ideæ partium simul componi? Ab hisce omnibus humanæ rationis lumen abhorret, eademque clarioribus, quas habeamus, ideis opponuntur. Hujusmodi oppositionem maximum esse evidentis falsitatis characterem, in Logicis demonstravimus: proba oppositum, si potes: sin minus, nova hæc, atque absurdissima paradoxa lunaribus incolis prædicanda conserves. 2. Esse spiritum est aliqua pura perfectio: quod ex propriis tum spiritus, tum perfectionis notionibus habemus: eam igitur in se habet ens necessarium.

§. 169. *Demonstratio* secunda. Immutabilitas entis necessarii superius demonstrata, aliud est caput, ex quo Deum non esse materiam, sed rem cogitantem ab omni materia distinctam conficitur. Est-ne materia, estne corpus aliquod immutabile? id ex duplici capite impossibile evincitur: 1. Immutabilitas intrinseca, atque essentialis est unius entis infinite perfecti proprietas: est ne autem materia ens infinite perfectum? ejusmodi ne perfectionem in ligni frusto, aut alia materia concipis? In idea materiæ aliud non

vi-

video præter impenetrabilem extensionem: hac una intellecta, licet nihil de entis necessarii, a se, infiniti proprietatibus cogitem, materiæ ideam habeo: eo uno dato, corpus, seu materiam intelligo: aut igitur probes, oportet, materiam esse infinite perfectam, aut illam non immutabilem, & consequenter Deum non esse fatearis. 2. Quidquid est divisibile in partes reales multiplicis intrinsecæ modificationis, omniumque illarum mutationum, atque variationum capax est, quæ in Pysicis corporibus a nobis quotidie observantur, atque ex particularum corporis distinctione, separatione, motu, vario situ, ordine, figura, magnitudine consequuntur. Rem videas in ligno incenso, & in fumos, flammam, cineres converso; & innumeris aliis corporibus; quorum perennes vicissitudines una suarum partium mutatione factas observamus: nullam autem in iis agnoscere mutationem, est, rerum ideas, & idearum nomina mutare.

170. *Demonstratio* tertia. Ex ratione entis necessarii Deum ab omni materia esse distinctum, ita etiam demonstratur. Esse ens aliquod necessarium, superius demonstravimus, & una mecum admittis: si igitur materiam non esse ens necessarium evincamus; invitus fateberis, ens necessarium, seu Deum esse ab omni materia distinctum, & consequenter spiritum. Id autem ita conficio; est ne quælibet pars materiæ ens necessarium, an una tantum, an nulla seorsim ab aliis eo attributo donatur? si primum; innumera essent entia necessaria, ac proinde nullum, ut demonstravimus. Si tertium; ens necessarium ex partibus contingentibus conflaretur; quo nihil absurdius, & rationis lumini magis oppositum dici potest. Secundum præter alia absurda jam a nobis exposita, esset plane fictum. Pars illa materiæ, quam dicis ens necessarium, necessario esset partibus expers: aliter eadem de illa institueretur demonstratio. Esset igitur punctum: illud ergo punctum esset ratio sufficiens hujusce universi, omniumque possibilium rerum, ens a se, & infinitæ perfectionis: ens igitur esset essentialiter & infinite distans a materia, quæ ex ratione sua est imperfecta.

171. Deinde pone parumper, omnem materiam deficere; omnia ne deficerent? ens cogitans, tuum co-

gitare, & esse intelligens deficeret? Neutiquam id ego, sed opposita omnia clare in ideis video: idque est commune omnium hominum testimonium. Mera præjudicia, dicis: unde tamen id, repono: præjudiciorum fontes superius recensuimus: a nulloque nostras hasce de ente necessario ideas provenire, sed ab intimo naturæ lumine derivari probavimus. Id ego in me lumen non animadverto, subjunges, quantumvis in natura proculdubio conveniamus. Quasi scilicet, repono, humana, quæ in te est, rationis flammula multiplici de capite languescere non possit: erit tamen tempus, suntque modo etiam lucida intervalla, quibus sedato parumper humanorum affectuum, atque passionum tumultu, alius tibi est circa id, de quo agimus, argumentum sensus. Age enim, tuismet præjudiciis remedium quære: internam illam anxietatem, atque inquietudinem molestissimam, quæ te invitum in mediis sensuum illecebris angit, turbat, pungit, tandem aliquando depelle: præjudicia illa tibi sunt: macte animi esto, ab iis omnibus te te libera.

172. *Demonstratio*. IV. Eandem veritatem ex ratione entis cogitantis demonstramus, idque duobus modis instituimus. Deus est ens cogitans, & ens cogitans necessarium, a se, infinitum: ex utroque capite spiritum esse demonstratur ab omni materia distinctum. 1. Etsi fieri posset, ut materia cogitaret, & res cogitans esset materia; impossibile tamen semper esset, ens cogitans, a se, & infinitæ perfectionis esse materiam: idque luculenter evincunt superiores demonstrationes. Sed ex generali cogitationis capite potest demonstrari, quidquid cogitat, non esse materiam, quidquid est materia, non esse rem cogitantem. Quoniam tamen postremum hoc caput maximi quidem momenti, & Metaphysice proprium in Materialismum examinandum nos deducit: neque potest pro rei ipsius dignitate explicari, quin insimul Materialismum, atque Pantheismum, celebres, hoc nostro sæculo quæstiones discutiamus; naturalis rerum, atque idearum ordo postulat, ut gravissimos errores demonstratis hactenus veritatibus oppositos, in quos ipsa argumenti ratio nos deducit, pro rei dignitate examinemus. Si igitur Materialismi, atque Patheismi falsitatem ad evidentiam usque demonstremus, una ca-

eademque opera, atque demonstratione Deum esse, non esse materiam, neque universum mundum, sed esse spiritum cogitantem conficiemus.

PROPOSITIO XIV.

Ens cogitans non potest esse materia, seu materia non potest cogitare, neque cogitatio esse potest particularum materiæ motus.

173. Hæc propositio multiplici argumento potest demonstrari: primum sit illud Cartesii. Claram ideam habemus extensionis, atque impenetrabilitatis, quin cogitationis idea in illis appareat, aut ab illis ideis aliquo modo inferatur: rursus non modo cogitamus, sed cogitationis ideam, nostrummet cogitare contemplamur, quin aliquid in cogitatione ipsa animadvertamus, quod extensionis ideam, aut aliquam cum illa connexionem habeat. Quin immo (atque hic est præcipuus demonstrationis cardo) dum cogitationis, seu rei cogitantis, & extensionis seu rei extensæ impenetrabilis ideas medullitus perpendimus; naturalem inter illas oppositionem clare animadvertimus. Facti res est, atque intimæ nostrorum omnium conscientiæ experimentum, & observatio: quam quidem omnes ingenio non destituti, depositis præjudiciis, in se ipsis instituere possunt, & rei fidem tamquam testes, atque insimul judices asserere. Jam vero illa, in quorum ideis claris apparet oppositio, sunt proculdubio distincta, neque in re idem esse possunt. Si assertam illam duarum idearum oppositionem, & nostram de eadem oppositione animadversionem neges; ad communem hominum sensum, conscientiam, testimonium appello. Secundum autem, esse scilicet reapse distincta illa, in quorum ideis claris manifestam oppositionem inspicimus, ex iis, quæ in Logica de veritatis criterio diximus, luculenter constat. Rei summa est: demonstravimus esse Deum, a Deo nos esse, quidquid sumus, ab illo esse naturalem mentis animique nostri indolem, & leges illas physicas quibus caussæ secundæ agunt, atque aguntur. Cum igitur sit naturalis hominum indolès, idearum claritate duci, illaque vera aut falsa, distincta aut non distincta existimare, quæ in claris eorum ideis talia apparent; si hæc indoles a

Deo accepta in errorem nos duceret, à Deo in errorem induceremur: quod Numini infinite bono, & sapienti impossibile prorsus existit.

174. *Demonstratio* secunda. Cogitatio est aliquid physice existens: nihili enim nullæ sunt proprietates, quod nihil est, non cogitat: si ergo non est aliquid distinctum ab omni materia, hoc est, spiritus, aut modus, seu actio spiritus; vel est materia, vel modus materiæ: & vicissim si neque materia, neque modus materiæ existat; necessario erit ens distinctum a materia, spiritus, aut modus spiritus. At 1. non esse meteriam in se se spectatam, facile conveniunt materialistæ; præterquam enim quod ideæ cogitationis, & materiæ sint prorsus diversæ, materiam in se spectatam, & seorsim ab omni suarum partium modificatione, motu nimirum, subtilitate, figura, neque esse cogitationem, neque cogitare, facile admittunt: aliter dicere oporteret, quodcumque rudis, inertisque materiæ frustum, quamcumque demum habeat figuram, massam, motum, aut quietem, cogitare: unum igitur superest, quod admittunt, cogitationem esse modum, seu affectionem materiæ. Id autem est impossibile: etenim modificatio neque esse, neque concipi potest, quin sit, & concipiatur res ipsa, cujus est modificatio: v. g motus, figura, subtilitas sine materia ne concipi quidem possunt: at *cogitationem*, & *cogitare* concipimus, cum nihil de materia, illiusque affectionibus cogitamus. Deinde omnes extensionis, seu materiæ affectiones reducuntur tandem ad relationes distantiarum, ut consideranti patebit: cogitare autem, percipere, velle, nolle non sunt relationes distantiarum partium extensionis. Sed ulterius hæc prosequamur.

175. *Demonstratio* tertia. Motum, figuram, subtilitatem particularum materiæ esse cogitationem, intelligentiam, sensum, omnesque generatim mentis, & voluntatis actus, Atheorum Materialistarum dogma est. Materia igitur rudis non habet ex intrinseca sua indole, & natura cogitandi vim, neque cogitare unquam poterit, aut cogitationes in sese efficere: quod in hunc modum demonstro. Cogitatio, ut dicis, est quidam motus, subtilitas, & figura partium materiæ: nulla autem materia, aut corpus potest in se ipsa efficere & sibi dare motum, figuram, subtilita-

tem

tem: iners materia ex se se moveri non potest: neque etiam se se dividere, aut in figuram conformari: quæ duo motu proculdubio fiunt: non potest igitur cogitare, cogitationes elicere, cogitationis sensum percipere. Cogitare scilicet, cogitationem, sensum in motu, subtilitate, divisione, impactu particularum materiæ statuis: bene est: quod igitur hæc peragere nequeat, id cogitare, percipere, sentire proculdubio non poterit: hic vero est casus materiæ: nullum enim vero corpus, nulla materia in se spectata se ipsam movere, dividere, in alia impingere, suarum partium subtilitatem, aut figuram efficere, aut mutare potest. Ad sensum ego atque experimenta omnia, ad rationem, atque notionem corporis, seu materiæ appello. Evidens illud effatum, *quidquid movetur, ab alio movetur*, ab ipsis etiam materialistis, velint nolint, admittendum est, ut inferius eorum etiam confessione confirmabitur. Motus corporis sine caussa a corpore ipso distincta esset effectus sine ratione sufficiente existens. Sed longius hæc deducemus.

176. *Demonstratio* quarta. Cogitatio, hoc est, ut dicis, quidam motus, subtilitas, & figura partium materiæ est effectus existens in natura: habet igitur caussam, & rationem sufficientem. Hujusmodi caussa vel est materia, vel aliquid distinctum ab omni materia, nempe spiritus: si hoc secundum dares; confecta res esset, spiritum esse admitteres, materialismo vale diceres. Est igitur materia, inquis: bene est: caussa effectrix cogitationis vel est materia illa, quæ peculiarem illum motum, figuram, subtilitatem habet, aut alia materia distincta: primum est impossibile: nulla quippe materia est sui motus, suæ figuræ, suæ divisionis, & subtilitatis caussa effectrix: prima, & sufficiens caussa effectrix motus, figuræ, & subtilitatis materiæ non est ipsa materia, quæ eas affectiones in se patitur, ut omnes sensus, experimenta omnia, & ratio demonstrant: quoniam igitur ista per te sunt cogitatio; nulla materia per se ipsam, aut ex se ipsa cogitat, aut est caussa suæ cogitationis effectrix. Superest igitur alterum, caussam scilicet effectricem sufficientem cogitationis, hoc est, motus, figuræ, subtilitatis particularum non esse particulas ipsas, sed aliam materiam iis affectionibus non

præ-

præditam (nomine enim cogitationis omnem cogitationem, hoc est, ut contendis, omnem materiam cogitantem intelligo): ergo caussa effectrix sufficiens rei cogitantis, seu cogitationis est res non cogitans, *non cogitatio*, caussa scilicet suo effectu imperfectior, contra clarissima axiomata, & rationis lumen.

177. *Demonstratio* quinta. Materia per se ipsam est non intelligens, cum id habeat non ex intrinseca sua indole, sed a contingenti partium motu, subtilitate, atque figura, hoc est, a suarum partium mechanismo, sine quo stat, atque intelligitur essentia materiæ: materia igitur bruta, rudis, atque indigesta, qualem in Epicureo chao extitisse asserunt materialistæ, vel si mavis, materia rudis bruta, iners, sine motu, divisione, & subtilitate partium, proculdubio non est cogitans, non percipit, neque sentit: est igitur ens natura sua non cogitans. Dividi modo incipiat, moveri, & in figuram conformari iners illa materia. Quamdiu ad certam particularum tenuitatem, motum, figuram dividendo non perveneriums; materia non intelligit: ad illum tamen terminum redacta cogitare jam incipit, sentire, percipere, ratiocinari, conciones, poemata, libros componere: in gradu igitur divisionis A tota illa materia, quidquid in universo existit, est ens non *cogitans*, in gradu proximo B tota illa materia, integrum jam universum est res cogitans. Consequentia quidem per se se absurdissima, atque a communi sensu, & rationis lumine abhorrens: quandoquidem tamen in id angustiarum devenimus; ulterius pergamus: ergo ens non cogitans sola partium divisione, & motu fiet cogitans: id tamen impossibile esse demonstro: esset enim effectus sine caussa, & ratione sufficienti, quod est impossibile: quænam enim est caussa effectrix sufficiens cogitationum, & entium cogitantium B? ante ordinem B omnia sunt non cogitantia, nihil est cogitans: in ordine B omnia jam aut quam plurima cogitant, sunt jam innumeræ cogitationes: entia igitur, non cogitantia, *nihil cogitationis*, sunt ne caussa effectrix entis cogitantis, atque cogitationum? est ne cogitatio, & ens cogitans a non cogitatione, ab ente non cogitante?

178. Argumentum ab hypothesi aliqua ficta, aut impossi-

possibili non deduco: rerum statum mihi ipse non fingo: materialistarum ideis insisto, secundum eorum principia argumentor. Secundum eos auctores integrum universum fuit aliquando chaos, a chao sumus, in chaos iterum ralabemur: fuit ne in illo rerum statu aliqua cogitatio, aliquod ens cogitans? Deinde infinities infinitæ sunt partium materiæ combinationes, in quibus partes ipsæ eam non haberent subtilitatem, figuram, motum, quæ cogitationes sunt: nullus id negabit materialista: ad plurimas jam & forte infinitas hujusmodi combinationes materialistarum judicio jam devenit materia, & facillime potest devenire: ex una enim parte sunt omnes possibiles: ex alia vero sunt infinities infinitæ: materiam igitur in uno ex iis infinitis casibus, præteritis, futuris, possibilibus ponamus: totaque inde conficitur demonstratio.

179. Sed argumentum in casu passim vero consideremus. Infiniti pene sunt homines, qui cibis non delicatis v. g. solo pane, aqua, herbis nutriuntur: ex iis vero corporibus constamus, quibus nutrimur; uniuscujusque nostrum sanguis, caro, ossa, cerebrum, spiritus animales eorum corporum, quibus vescimur, sunt substantiæ, & particulæ: a nullo Physico hæc in dubium vocantur. Jam vero duo hæc per te sunt vera, 1. Cogitationes nostras, judicia, ratiocinationes esse subtilium particularum motum in nostro cerebro: 2. Rudem atque inertem panis massam, quamdiu panis formam servat, non cogitare: modo sic: hujusmodi igitur cogitationes, judicia, ratiocinationes aliud non sunt, quam minutissimarum particularum panis motus: illæ sunt perceptiones, & percipiunt: cogitant, & cogitationes existunt: quod si brassicis postea idemmet rusticus homo nutriatur; brassicæ modo partium munus erit, quod antea panis particulis debebatur: hominis cogitatio de bobus, sensus doloris ob acceptum vulnus, iracundia in filios, aut rudis de rebus campestribus ratiocinatio, hæc, inquam, omnia, atque infinita hujusmodi alia purus existunt particularum panis, aut brassicæ in hominis cerebro motus: eædemmet eorumdem ciborum particulæ in homine quidem principe politicarum rerum cogitationes erunt, in philosopho perscrutationes naturæ; pro varia hominum conditione, & statu omnes artes, scientiæ, cogitationes, consilia ex-

existent: quidam hujusmodi particularum motus, incursiones, reflexiones aureum olim fuerunt *Virgilii Maronis* poema epicum, *Tullii* orationes, *Livii* historia &c.

180. *Demonstratio VI.* Materiæ cujuscumque divisio, motus, subtilitas, figura, sunt pura accidentia ipsius materiæ, quæ intrinsecam substantiam, & naturam non mutant: quamcumque auri massam ad quamlibet subtilitatem dividas, moveas, in hanc, vel illam figuram conformes; semper erit aurum, naturam semper servabit: pari ratione materia ex sua intrinseca indole non cogitans, quomodocumque dividatur, figuram, subtilitatem, motum acquirat; erit semper res non cogitans. Præterea vel motus, aut figura particularum materiæ per se sunt cogitatio, vel non: primum non dicis; alioquin quæcumque esset partium massa, dummodo datam illam haberent figuram, & motum, cogitarent, atque proinde ingentes quæcumque massæ solidæ cum data illa figura, & motu cogitarent. Eadem enim stante figura, magis semper, & magis augeri partes possunt, eumdemque interim motum seu velocitatem, & sese movendi rationem habere, ut evidens per sese apparet: cum autem ne ullus quidem materialista, quamcumque materiæ massam, dummodo datam habeat figuram, & motum, cogitare dicat; superest ut dicatur secunda dilemmatis pars, motum scilicet, atque figuram materiæ cogitationem per sese non esse. Bene est: demus igitur quamcumque velis magnarum materiæ partium complexionem eo motu, atque figura præditarum, quas, cum materia evadat subtilior, cogitationem esse contendis: illa data figura cum illo dato motu non est per sese cogitatio in grandioribus massis, ut admittis: neque igitur in minoribus: per sese enim illa duo non sunt cogitatio, & hinc aliud argumentum deduco.

181. *Demonstratio VII.* Per vos, materialistæ, grandiorum massarum motus, & figura non sunt cogitatio: subtilitatem ulterius requiritis; ne omni humano generi irrisioni sitis, dum prægrandibus quibuscumque corporibus, saxis v. g. cogitationem daretis. Materiam fieri subtiliorem, est, magis & magis dividi, alias, & alias ab illa separari partes: grandescere vero, est, alias, & alias sibi partes uniri. His positis,

tis, demus subtilium sanguinis, hoc est, panis, carnis, fructuum particularum in cerebro motum, & figuram esse cogitationes, ideas, judicia, & ratiocinia nostra: singulæ igitur illæ particulæ cum dato illo motu, figura, subtilitate sunt singula entia cogitantia. Ex hisce particulis cogitantibus unam statuamus A: facile concipimus posse illam seorsim grandescere, eadem interim figura, & motu servatis; si similes aliæ particulæ motæ illi uniantur. Neque enim in hoc major est difficultas, quam ut ex pluribus parvis cubis, prysmatibus, quadratis &c. majora seorsim, & majora fiant earumdem specierum, seu figurarum corpora, aut superficies, quod ex geometria fieri posse, facile demonstratur. Particula igitur A seorsim grandescens eumdem motum, atque figuram servans, per solam aliarum particularum adjunctionem fieret non cogitans, illiusque motus amplius non esset cogitatio: ergo illa particula cogitans fieret non cogitans per cogitantium particularum adjunctionem: fieret non cogitans per illud ipsum, cujus ratione, & adjunctione cogitare deberet: ille motus fieret non cogitatio per novi similis motus, hoc est, per alterius cogitationis adjunctionem. Idem hoc est, atque dicere, partem aliquam materiæ extensam, aut impenetrabilem desinere esse extensam, & impenetrabilem, quia alia illi extensio, aut pars impenetrabilis adjungeretur. Si hujusmodi paradoxa admittere audes; tuæ apud homines existimationi, & nomini consulas velim.

182. Quæ hucusque adduximus argumenta, satis opinor, demonstrant, materiam non posse cogitare: rem cogitantem non posse esse materiam, cogitationem neque esse materiam, neque materiæ modum. Quoniam igitur ens necessarium esse, rem cogitantem superius confecimus; consequens inde est, Deum non esse materiam, seu rem corpoream, sed esse substantiam spiritualem, contra materialistas: non esse integram, atque immensam hanc rerum universitatem, ut Pantheistæ palam asserere, & editis libris sustinere maximo humanæ rationis, & totius humanæ speciei dedecore audent. Nos etiam homines esse entia cogitantia, intimo conscientiæ testimonio scimus; ex hujusmodi testimonio, & datis hucusque demonstrationibus in secunda hujus Metaphysicæ parte sub-

stan-

ſtantiam in nobis eſſe ab omni materia diſtinctam demonſtrabimus. Interim pro loci oportunitate, graviſſimi argumenti ratione, & dignitate, atque ut hactenus de Deo demonſtrata a Materialiſtarum, & Pantheiſtarum imaginationibus vindicemus; in Materialiſmi; atque Pantheiſmi examen deſcendamus, errores videlicet hoc noſtro ſæculo late ſerpentes. Quæ Materialiſtæ ad errorem demonſtratæ propoſitioni oppoſitum aliquo tandem modo ſuadendum, in medium producunt, inferius poſt fuſiorem Materialiſmi diſcuſſionem ſolventur.

183. Duo tantum hic opponit Materialiſta, quibus adductas demonſtrationes, & aſſertam propoſitionem enervet. Primo quidem, inquit, pura hæc ſunt religionis præjudicia, quibus expellendis, atque diſſlandis naturalis ratio ſufficit: hac una, pergunt, argumentari permittimus, hac una in ideali hoc mundo agendum. Secundo: Plura de Deo attributa demonſtramus, quorum ideæ inter ſe proculdubio differunt: quin tamen, noſtra etiam ſententia, & judicio, illa Numinis attributa reapſe inter ſe diſtinguantur: quidni igitur de cogitatione atque extenſione impenetrabili eodem modo philoſophamur? Reſp. Quantum in humana ſpecie valeant præjudicia, non ignoro: & fuſe id in Logicis argumentum proſequor: in re tamen præſenti nihil nos præjudiciis concedere, & noſtrum ab iis ſenſum, & aſſertam ideam non eſſe, ex eo ad evidentiam patet, quod a nullo præjudiciorum fonte veritas illa in propoſitione, & demonſtrationibus aſſerta profluat: communiſque ille omnium gentium ſenſus in iis etiam populis, & nationibus deprehendatur, in quibus præjudicia illa omnia oppoſita vigent, ex quibus communis ille ſenſus infringi poſſet. Quod ſecundo loco de attributorum diſtinctione opponitur, nullius momenti eſt: non omnis idearum diverſitas phyſicæ diſtinctionis argumentum exiſtit: iis tantum character ejuſmodi convenit, quæ manifeſtam inter ſe oppoſitionem habent, & ſeſe mutuo excludunt. Is ſane eſt cogitationis, & extenſionis caſus, entis neceſſarii attributis non conveniens. Sed de hac diſtinctionis idearum, atque rerum nota latius infra diſſeremus.

DISCUSSIO METAPHYSICA

Pantheiſmi, atque Materialiſmi: in qua etiam de materiæ, atque Mundi origine, initio, æternitate contra Spinoſam, Epicurum, eorumque ſectatores, cæteroſque cum veteres, tum recentiores Pantheiſtas, atque Materialiſtas.

§. I.

Pantheiſmus.

Adnotatio hiſtorica.

184. POſt ſuperiorem propoſitionem, & demonſtrata hactenus entis neceſſarii attributa, naturalis idearum atque veritatum connexio philoſophantem mentem, & per Metaphyſicam hanc idearum provinciam iter agentem ad Pantheiſmum, & Materialiſmum inſpiciendum deducit. Duo hæc in via offendimus idearum monſtra, quæ accurate non examinare, viatorem Philoſophum dedeceret: quid igitur rei ſit Pantheiſmus, Materialiſmum poſtea relaturi, inſpiciamus. Ut a nomine ipſo, & rei definitione incipiamus, Pantheiſmus, vox græca idem eſt atque latine omni-Deus (*). Idea, & ſenſus hoc nomine ſignificatus, eſt, Deum eſſe omnia, omnia eſſe Deum: *hoc eſt, integrum-mundum, univerſitatem rerum, hoc univerſum eſſe Deum*, Deum nihil eſſe niſi hoc integrum univerſum. Et hæc quidem nominis definitio. Rem vero ipſam, ſeu ſyſtema ita exponunt ejus fautores. Hoc univerſum, inquiunt, ex nullo factum fuit chao, neque ullum unquam fuit in rebus, aut erit aliquando chaos: unde mundus neque ex chao provenit, neque in chaos reſolvetur: neque mundum propterea caſu aliquo enatum dicunt. Quoad hæc omnia capita a Materialiſtis omnibus diſſident. Otioſum etiam Epicuri, ejuſque ſectatorum Deum a mundo, ſeu rerum uni-

(*) Πανθεϊσμός: *omni-Deus*, *Deus omnia*, *omne Deus*: ἐκ παντὸς δὲ πάντα καὶ ἐκ πάντων πᾶν ἐστιν, omnia ex univerſo, univerſum ex omnibus.

universitate distinctum non admittunt. Deum, & universum idem omnino esse statuunt: universum autem & extensione, & virtute infinitum dicunt: unum quidem continuum ob continuitatem partium; immobile secundum totum; cum nihil spatii ultra universum infinitum existat, esse, aut intelligi possit, quo moveatur; mobile tamen secundum partes, quæ seorsim moveri possunt; incorruptibile, necessarium, æternum, cujus scilicet nulla pars aliquando incepit, nulla peribit, aut perire poterit: integrantes ejusdem partes & infinitæ, & semper eædem. Hujus præterea universi materialis, infiniti, æterni, necessarii duo ab iis ponuntur essentialia attributa, extensio, & cogitatio: utraque immensa: immensa extensio cogitans, immensa cogitatio extensa: hoc igitur infinitum universum mens insimul & materia; mens scilicet est & cogitatio extensa, materia infinitæ extensionis cogitans. Ex hac immensa extensione cogitante, & cogitatione infinite extensa fiunt omnia: creaturæ scilicet, corpora, mundus adspectabilis; omnes species rerum aliud non sunt; quam modificationes plurium, pauciorumve partium universi, seu extensionis cogitantis: hæ nimirum partes, modificationibus accedentibus, fiunt pro illarum varietate diversæ corporum species; quin tamen secundum naturam integrantes universi partes esse desinant. Deficientibus modificationibus, ipsæmet partes corpora non amplius essent; universum tamen perinde semper componerent. Omnia igitur ex universo, ex infinita extensione cogitante necessaria per partium modificationes fiunt: omnia atque ex omnibus est universum, omnia in universum iterum resolvuntur: neque hic adspectabilis mundus aliud est; quam exigua pars ejusdem universi infiniti, cogitantis, modificatione partium productus (*a*). Hoc præterea universum infinitum unica est, atque individua substantia infinitis attributis prædita: quorum præcipua sunt extensio, & cogitatio. Corpora secundum Pantheistas sunt modificationes hujus substantiæ, quatenus extensæ; ejusdem vero modificationes, quatenus cogitantis, existunt mentes.

185.

(a) *Sykes* connexion de la Religion naturelle.

185. Habes paucis expositum Pantheisticum systema; hoc universum secundum illos est Deus, Deus est omnia, Deus ex omnibus, omnia Deus & ex Deo. Creaturæ sunt puræ modificationes, infinitæ extensionis cogitantis, universi, Dei, entis necessarii. Præcipuum, ut visitur, Pantheismi caput est materia cogitans, cogitatio corporea extensa; illud tamquam fundamentum ponit, aut statuit verum; eoque cadente, Pantheismus etiam cadat, opus est. Aliqua præterea addit capita, quæ ex ipsa systematis expositione discernuntur; & Pantheistas a puris Materialistis distinguunt. Quid nominis, quid rei sit Pantheismus, exposui: quinam hoc ideale monstrum conceperint, tenuerint, paucis accipe. Pantheismum olim tenuisse Eleatenses aliquos, & Pythagoricos philosophos, aliquorum eruditorum est opinio (a). Id etiam fuisse nonnullorum Stoicorum dogma, a *Seneca* stoico philosopho edocemur (b) conceptis verbis scholæ sensum exponente. Apud Lucanum etiam ita loquens inducitur Cato,

Est ne Dei sedes, nisi terra, pontus, & aer,
Et cœlum & virtus? quid quærimus ultra?
Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris. (c)

186. Eumdem errorem in antiquis aliquot Græcis, & Romanis animadvertimus. Si viatorum aliquot, & nonnullorum etiam Scriptorum fide, rem ut plurimum ex viatoribus transcribentium standum esset; definitum errorem tenent litterati Sinenses, seu Mandarini, cæterique illius imperii doctores, Japonum Bonzii, Indiæ Brachmanes. Viatores tamen ii sunt, aut alii ex viatorum fide pronuntiantes: quorum quanta debeat esse auctoritas, nemo doctus, non videt. Secundum *Des-Landes* communi omnium Mandarinorum doctrina neque Pantheismus, neque Materialismus tenentur, sed natura, hoc est *Anima* mundi

(a) Vide *Budæum* de l'Atheism. & de la superst. cap. 1. Bayle Dict. v. Xenophanes, & v. Zenon Hist. Univ. Introd.
(b) Seneca qq. nat. lib. 2. cap. 45.
(c) Pharsal. lib. 9.

di invisibilis, vis, & virtus supernaturalis (*). Japonum Magnates si non Pantheismum, Atheismum sane tenere existimantur secundum *Charlevoix* (**).

187 Quodsi a me quæras, quid ego de Litteratorum Sinensium, hoc est, de Nationis cæteras omnes antiquitate, numero, cultura, & legum sapientia superantis, quid etiam de Japonum, aut Brachmanum doctrina circa præsens argumentum existimem; hoc unum responsum habe: etsi omnes Europæi, quotquot hactenus gentes illas tractarunt, hanc mihi cantilenam repeterent, & communi testimonio assererent, earum scilicet nationum Pantheismum, materialismum aut atheismum; relatores quidem animi caussa, tamquam fabulatores urbane audirem, eorum tamen dictis intra meipsum omnino incredulus: ne & tot nationibns, & humanæ etiam rationi injurius existerem. *Vide quæ num. 96. de Sinarum gente dixi.*

188. Utcumque tamen rem apud te statuas, hac nostra ætate Pantheismus ab antiquorum cineribus excitatus atque desumptus per Europam serpit, pluresque habet e libertinorum grege in quamplurimis nationibus sectatores. Præcipui impiæ sectæ instauratores Spinosa & Tollandus: quorum primus eo potissimum nomine inter Pantheistas plurimum commendatur, quod relatam doctrinam secundum geometricam methodum adornaverit (*a*), post hominis mortem in lucem editam. Non ille quidem Pantheistica dogmata cogitando invenit; sed ab antiquis collecta in ordinem digessit, atque in systema ordinavit (*b*). Quod Spi-

(*) Cette dernier secte, que professent tous le nobles, & tous les sçavans (Chinois), ne reconnoit autre divinitè que la matiere, ou plutot la nature. *Des Landes*. Hist. philos. tome 1. p. 83. Nomine tamen naturæ, animam mundi invisibilem, vim, & virtutem supernaturalem intelligunt, quæ omnia producit, & gubernat. Idem ibidem.

(**) Mais la plupart des grands passent pour Athees & croyent nostre ame mortelle. Histoire du Japon. l. 1. c. 10.

(*a*) Ethnic. pars 1. 2. &c.

(*b*) Id constat ex epist. auctor. 5. ad D. Oldenburg. Reg. Societatis a Secretis. Vid. *Des-Landes* loc. cit. pag. 253.

Spinosa apud Batavos, in Anglia effecit Tolland; editoque opere (*a*) antiquum errorem inter contribules suos propagavit. Horum vestigia obscurior, sed frequens libertinorum plebecula pene sequitur. In Pantheismum ab *Spinosa*, *Tollando*, & aliis propugnatum acerrime decertarunt *Samuel Clark* (*b*), *Petrus Bayle* (*c*), *Jacquelot*, (*d*) & plures alii: quos recenset *Fabritius* (*e*). Nos Pantheismi, seu peculiaris Atheismi falsitatem paucis demonstrabimus.

PROPOSITIO XV.

189. *Pantheismus est evidenter falsus, atque impossibilis, nulloque argumento ab ejus assertoribus probatur.*

Duplici modo Pantheismum rejicere aggredior. 1. Absurdi dogmatis rationem peto, eaque ad examen voco, quibus systema innititur. 2. Rei ipsius falsitatem argumentis demonstro: id vero duobus iterum modis peragi potest: ad impossibiles nimirum, atque absurdas consequentias Pantheistam adducendo, & ostensiva tandem demonstratione propositionem conficiendo. Ut a primo igitur incipiamus, qua sane argumentandi ratione non satis, ut deberet, adhibita, bene multa recentiorum opinamenta citra pulverem conficerentur (1), ita ego cum Pantheistis litem instituo: rem adstruitis clarissimis omnium ideis, & communi sensui, & rationis dictamini oppositam: eamque geometrarum methodo proponere audetis: definitiones præmittitis, postulata, & axiomata statuitis, propositiones deducitis: utroque igitur ex capite vestrum erit dare, nostrum autem petere claras rerum, atque vocabulorum definitiones: quas ideas, definitiones, principia statuatis, de quibus non conveni-

(*a*) Id opus Pantheisticon inscripsit.
(*b*) De l'existence de Dieu tom. 1. cap. 4.
(*c*) Diction. historiq. art. Spinosa.
(*d*) Demonstr. de l'exist. de Dieu.
(*e*) De veritat. Relig. Christ. c. 13.
(1) Id jam animadvertit auctor operis, *Les Erreurs de Voltaire*.

venimus, demonstrate. Nihil hic non certum assumo, aut deduco. Præ manibus sunt *Spinosæ*, *Tollandi*, & aliorum Pantheistarum libri: quanam methodo utamini, videmus. Quod vero rem attinet, ex vestra systematis expositione vestris fere verbis a nobis proposita serio contenditis 1. universum unicam esse substantiam, infinite tamen extensam: 2. hujusmodi substantiam esse infimul materiam & cogitationem: 3. unumquemque nostrum esse partem, seu modificationem hujusce infinitæ, atque æternæ substantiæ, hoc est, Dei: 4. Deum quidem esse simplicissimum, infimul tamen esse integrum hoc universum, & infinitam hanc variarum rerum complexionem esse Deum: 5. Deum esse ens infinite perfectum, atque infinitis perfectionibus præditum, quidquid tamen rerum est, quidquid imperfectionis, atque inordinati est in hac rerum universitate, Dei attributum, modificationemque esse: 6. Deum esse omnipotentem; nullam tamen substantiam posse producere, aut destruere: 7. esse quidem Deum infinite perfectum; nullam tamen habere libertatem: 8. infinitam esse Dei providentiam, omnia tamen fatali, atque insuperabili necessitate evenire: quidquid fuit jam in sæculis, quidquid est, aut erit, omnia fato ineluctabili volvuntur. Hæc, & quamplurima alia iis eonsona Spinosæ verbis concepta Pantheistici systematis fundum componere, & Pantheismi ideam continere, aperte profitentur. Rursus hæc omnia communi omnium hominum sensui opponi, & ab omnibus non modo philosophis, eruditis atque cultis hominibus, verum etiam a quocumque rationis prædito, & Pantheisticis præjudiciis non imbuto rejici, certa est facti fides: uno verbo, iis ideis prolatis, omnes horrescimus: ad ideas claras, atque evidentes Pantheisticis contrarias appellamus. Hæc etiam experientiæ res est, ab eo etiam demonstrata, quod productus in Europæ scenam Pantheismus ab omnibus cum horrore, atque indignatione fuit explosus.

190. Ad communem hic ego omnium nationum, atque hominum sensum, conscientiam, atque rationis dictamen provoco. Humano igitur generi secundum ideas a vestris toto cœlo remotis cogitanti omnia hæc vestra paradoxa, absurda, & falsissima apparent, & judicantur; neque citra demonstrationem sunt admit-

mittenda. Nisi ergo Pantheismum probetis, atque mentem nostram ab evidentibus principiis, & definitionibus ad alias, & alias propositiones secundum ideas claras deducatis; totum Pantheisticum systema absurdum per sese, nulloque fundamento innixum prolabetur, & ab omnibus jure merito exsibilabitur. Agite igitur, demonstrationes producite. Cum Deum, & universum eamdem esse substantiam, neque nisi unicam esse posse contendis; prius nobis substantiæ definitionem dare ne graveris: quid tibi est substantia, nos doceas: hoc scilicet est primum, & præcipuum totius fabricæ fundamentum.

191. *Per substantiam intelligo*, inquit Spinosa, *id quod in se est, & per se concipitur, hoc est, id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* (a). De substantia igitur hoc modo definita, seu de hac notione substantiæ sequentia theoremata, & systema intelligis: per illam scilicet tantummodo demonstras fundamentales propositiones, totius systematis basim. Rem enucleemus: atque ut omnia in hoc systemate ruinosa esse, nihil plane probari, circulum vitiosum committi, ad evidentiam constet; sequentia brevissime demonstrabimus: 1. ad illam unam definitionem redigi, per illamque unam ab auctore probari primas illas propositiones, quæ sunt totius systematis præcipua basis atque capita, unde cætera omnia, integrumque systema deducuntur. 2. allatæ definitionis duplicem esse sensum, primum quidem verum, sed nihil ad rem nostram facere. 3. eamdem definitionem in sensu auctoris acceptam quæstionem ipsam continere ab auctore probandam, ab omnibus aliis negatam, ac proinde demonstrari oportere: ab illo tamen nequaquam nisi per circulum vitiosum probari demonstrabitur. 4. ipsam denique definitionem secundum auctoris sensum intellectam a nemine admitti, & reapse esse falsam conficiemus. Si quatuor hæc efficiamus, acta res erit.

192. *Primum*: Tres hæ propositiones, *una substantia non potest produci ab alia substantia* (b): *hinc sequi-*

(a) Ethic. pars 1. defin. 3.
(b) Pars 1. Ethic. prop. 6.

quitur substantiam ab alio produci non posse (c): *ad naturam substantiæ pertinet exsistere* (d), illa sunt fundamenta, quibus datis totum Pantheisticum systema deducitur, iisque innititur. Demus parumper tertiam esse veram: ergo omnis substantia per naturam suam, hoc est, per suammet essentiam existit: ergo quidquid est substantia, necessario exsistit: estque proinde ens necessarium, æternum, & *a se*: ens autem necessarium, & *a se* nequit esse nisi unicum: totum igitur hoc universum est unica substantia *a se*, necessaria, æterna, improducta, infinite perfecta, hoc est, Deus: cætera omnia sunt pura accidentia, seu puræ modificationes ipsius unicæ, atque necessariæ substantiæ. Ponantur similiter veræ priores duæ propositiones; ita ex iis argumentum instituitur: si substantia neque ab alia substantia, neque a re quacumque alia potest produci; quidquid est substantia, non est ab alio, sed a se, & improductum: ergo necessarium & æternum: ens autem necessarium, & a se non potest esse nisi unicum; unica igitur est in mundo substantia; universum igitur est unica tantummodo substantia indivisibilis, necessaria, æterna, improducta, a se atque proinde infinita; cætera igitur omnia

---

(c) Coroll. ejusd. prop. 6. ib.

(d) Propos. 7. ib.

Alii Auctoris sensus ad rem præsentem facientes conceptis ipsius verbis, ita ab homine exprimuntur.

Præter Deum nulla dari neque concipi potest substantia. Spin. Ethic. P. 1. prop. 14.

Nihil sine Deo esse neque concipi potest. proposit. 15. ibidem.

In rerum natura nullum datur contingens; sed omnia ex necessitate divinæ naturæ determinata sunt ad certo modo exsistendum, & operandum ibidem prop. 29.

Deum non operari ex libertate voluntatis corol. prop. 32.

Affirmat non nisi unicum posse ens esse. Epistol. 40.

Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt. Res enim omnes ex data Dei natura necessario sequutæ sunt.

mnia aliud esse nequeunt, quam puræ Dei modificationes; quidquid scilicet est, ad duo hæc generalia capita *substantiam*, & *modum* redigitur. Tres igitur allatæ propositiones totius systematis basis, & fundamentum exsistunt; iisque unis systema suum demonstrare conatur Spinosa. Cum tamen illæ inter *data* aut axiomata referri non possint; sed demonstratione opus habeant; unde id tentet *Spinosa*, videamus.

193. Tres allatæ propositiones ad 3. definitionem redigi, ab eaque una rem totam pendere, auctoris verba evincunt: *Ad naturam substantiæ* (inquit) *pertinet exsistere*: Nego, quamdiu non demonstres: *demonstratur*, inquit: *substantia non potest produci ab alio* (*per corollar. prop. præcedentis*): *erit igitur caussa sui, id est* (*definit.* 1.) *ipsius essentia involvit necessario exsistentiam, sive ad ejus naturam pertinet existere*. Bene est: tota ergo hæc demonstratio corollario superius adducto, *hinc sequitur, substantiam non posse produci ab alio*, secundum auctorem innititur: nego tamen corollarium, substantiam ab alio non posse produci non video; proba: 1. inquit, *demonstratur hoc etiam facilius ex absurdo contradictorio: Nam si substantia ab alio produci posset; ejus cognitio a cognitione suæ caussæ deberet pendere* (*per ax.* 4.) Permitto id parumper, prosequamur: *adeoque* (per definit. 3.) *non est substantia*. Ergo tota hæc demonstratio, hoc est, utraque allata propositio in datam definitionem refunditur. Idem corollarium, *una substantia ab alio produci non potest*, demonstrat secundo ex propositione sexta, *una substantia non potest produci ab alia substantia*: at si sextam hanc propositionem probet per secundam, secundam vero per solam definitionem tertiam demonstret; nonne omnia in eamdem iterum definitionem refunduntur? Ita vero res est: en demonstrationem: *in rerum natura non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi* (*per prop. præc.*), *hoc est*, (*per propos.* 2.) *quæ aliquid inter se commune habeant, adeoque* (*per prop.* 3.) *una alterius caussa esse nequit, sive una ab alia non potest produci. Q. E. D.* Propositio secunda, cui hæc demonstratio innititur, est, *duæ substantiæ diversa attributa habentes nihil inter se commune habent. Demonstratio patet ex definitione 3.: unaquæque enim in se debet esse, & per se debet conci-*

pi, *sive conceptus unius conceptum alterius non involvit*: in tertiam igitur definitionem iterum recidimus: Tertiæ igitur allatæ definitioni, quæ secundum auctorem est substantiæ definitio, tres illas propositiones unicam totius systematis basim, totumque proinde systema inniti, demonstravimus: quod erat primum.

194. Dixi secundo, *allatæ definitionis duplicem esse sensum, primum quidem verum, sed ad rem non facere. Per substantiam intelligo*, inquit, *id quod in se est, & per se concipitur.* Esse in se, & per se concipi, duo hæc significare potest: 1. rem ita exsistere, ut in nullo alio innitatur, a quo tamquam a subjecto dependeat ad exsistendum; hoc modo per se exsistit, & in se concipitur corpus quodcumque ex. gr. tabula: in nullo enim alio ad existendum innititur, tamquam in subjecto: etsi perirent omnia alia corpora, stare tamen posset, & conciperetur hæc tabula: contra vero corporum figura, motus, situs, atque ejusmodi alia secundum expositum sensum per se non existunt, neque concipiuntur: neque enim exsistere, neque concipi potest figura, quin exsistat, atque intelligatur corpus aliquod, cujus illa sit modificatio, & in quo tamquam in subjecto exsistat. Atque expositus hic sensus verum habet, ab omnibus probatur, definitionemque hoc modo intellectam nullus inficiatur. Hunc tamen sensum ad rem non esse, allatas superius propositiones, totumque Pantheisticum systema corruere, si unicus ille definitionis sensus statueretur; ex dictis est manifestum: neque a Spinosa ipso negatur. A nullo dependere, tamquam a subjecto, cui innitatur: a nullo dependere, tamquam a caussa, a qua sit, existat, conservetur, duo sunt toto cœlo inter se diversa: primum est peculiaris tantummodo non dependentia: secundum est perfectissima, & universalis non dependentia, est esse *ens a se*, sibi sufficiens, necessarium. Cum eo quod una substantia ex. gr. tabula ab alio non dependeat, tamquam a subjecto, cui innitatur, bene stat, quod ab alio dependeat, tamquam a caussa, a qua fuerit producta, & conservetur, atque proinde cum priori illa tabulæ non dependentia potest illa ab alio esse producta.

195. *Tertium*: Alius datæ definitionis sensus ab auctore

ſtore uſurpatus, & ad rem faciens, eſt; *per ſubſtantiam intelligo id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur*, hoc eſt, *quod eſt* a ſe, quin, ut exiſtat, ab alio, tamquam a cauſa, dependeat, quod concipi conſequenter poteſt ſine ulla ad cauſam aliquam relatione. Uno verbo, ſecundum hominis mentem quidquid eſt ſubſtantia, eſt *ens a ſe, ens improductum*, ens ſine cauſa, ens per naturam ſuam exſiſtens. Contendo igitur hunc ſenſum eſſe non poſſe definitionem, immo rem totam in quæſtione poſitam, a Pantheiſtis aſſertam, ab omnibus aliis negatam continere; quæ proinde neque definitio eſſe poteſt, neque, ut *datum*, poſtulari: ſed evidenti demonſtratione probari deberet: ſingula conficiamus.

196. In eo univerſi homines, maxima ſaltem philoſophantium pars, unanimes convenimus, quod univerſa corpora, ſpiritus, omnia quæ ſentimus, & univerſum hunc mundum componunt, omnia, inquam, ſint, & appellentur ſubſtantiæ: integrum proinde univerſum, tamquam ſubſtantiarum complexionem conſideramus. Inutiles hic ego mihi objectari tricas, modos, qualitates non moror: hæc ego neque ignoro, neque inficior: ad rem tamen iſta nihil faciunt: cum Pantheiſta liberaliter agamus. Hoc poſito, en totum Pantheiſmi fundum: *Juxta omnium hominum ſenſum hoc univerſum eſt complexio ſubſtantiarum, ſeu ſubſtantiæ: quidquid eſt ſubſtantia eſt ens a ſe: ergo hoc univerſum eſt ens a ſe: eſt igitur ens improductum; neceſſarium, a nullo dependens: ergo unicus: ergo ſimplex, ergo Deus*. Prima propoſitio eſt pura notio, ſeu definitio vocabuli ab omnibus admiſſa, nihil ad rem faciens, nihil decidens: ſi ſecundam concedas; acta res eſt, Pantheiſmum admittis: cætera omnia ſunt plana. Non jam in illa de vocabuli ſignificatione agimus, ſed illa omnia, quæ ſubſtantias vocamus, eſſe reapſe entia a ſe affirmamus: ſecunda igitur illa propoſitio, quæ tertia eſt *Spinoſæ* definitio, reapſe affirmat, ſubſtantiam quamcumque ex notione ſua eſſe *ens a ſe*; univerſum proinde hunc mundum, ab omnibus ſubſtantiam, ſeu ſubſtantiarum complexionem nuncupatum, eſſe ens improductum, a nullo dependens: hoc autem eſt ipſius quæſtionis, & totius rei cardo:

197. De ſumma rerum in hac propoſitione agitur: om-

existent: quidam hujusmodi particularum motus, incursiones, reflexiones aureum olim fuerunt Virgilii Maronis poëma epicum, Tullii orationes, Livii historia &c.

180. *Demonstratio VI.* Materiæ cujuscumque divisio, motus, subtilitas, figura, sunt pura accidentia ipsius materiæ, quæ intrinsecam substantiam, & naturam non mutant: quamcumque auri massam ad quamlibet subtilitatem dividas, moveas, in hanc, vel illam figuram conformes; semper erit aurum, naturam semper servabit: pari ratione materia ex sua intrinseca indole non cogitans, quomodocumque dividatur, figuram, subtilitatem, motum acquirat; erit semper res non cogitans. Præterea vel motus, aut figura particularum materiæ per se sunt cogitatio, vel non: primum non dicis; alioquin quæcumque esset partium massa, dummodo datam illam haberent figuram, & motum, cogitarent, atque proinde ingentes quæcumque massæ solidæ cum data illa figura, & motu cogitarent. Eadem enim stante figura, magis semper, & magis augeri partes possunt, eumdemque interim motum seu velocitatem, & sese movendi rationem habere, ut evidens per sese apparet: cum autem ne ullus quidem materialista, quamcumque materiæ massam, dummodo datam habeat figuram, & motum, cogitare dicat; superest ut dicatur secunda dilemmatis pars, motum scilicet, atque figuram materiæ cogitationem per sese non esse. Bene est: demus igitur quamcumque velis magnarum materiæ partium complexionem eo motu, atque figura præditarum, quas, cum materia evadat subtilior, cogitationem esse contendis: illa data figura cum illo dato motu non est per sese cogitatio in grandioribus massis, ut admittis: neque igitur in minoribus: per sese enim illa duo non sunt cogitatio, & hinc aliud argumentum deduco.

181. *Demonstratio VII.* Per vos, materialistæ, grandiorum massarum motus, & figura non sunt cogitatio: subtilitatem ulterius requiritis; ne omni humano generi irrisioni sitis, dum prægrandibus quibuscumque corporibus, saxis v. g. cogitationem daretis. Materiam fieri subtiliorem, est, magis & magis dividi, alias, & alias ab illa separari partes: grandescere vero, est, alias, & alias sibi partes uniri. His positis,

tis, demus subtilium sanguinis, hoc est, panis, carnis, fructuum particularum in cerebro motum, & figuram esse cogitationes, ideas, judicia, & ratiocinia nostra; singulæ igitur illæ particulæ cum dato illo motu, figura, subtilitate sunt singula entia cogitantia. Ex hisce particulis cogitantibus unam statuamus A: facile concipimus posse illam seorsim grandescere, eadem interim figura, & motu servatis; si simul les aliæ particulæ motæ illi uniantur. Neque enim in hoc major est difficultas, quam ut ex pluribus parvis cubis, prysmatibus, quadratis &c. majora seorsim, & majora fiant earumdem specierum, seu figurarum corpora, aut superficies, quod ex geometria fieri posse, facile demonstratur. Particula igitur A seorsim grandescens eumdem motum, atque figuram servans, per solam aliarum particularum adjunctionem fieret non cogitans, illiusque motus amplius non esset cogitatio: ergo illa particula cogitans fieret non cogitans per cogitantium particularum adjunctionem: fieret non cogitans per illud ipsum, cujus ratione, & adjunctione cogitare deberet: ille motus fieret non cogitatio per novi similis motus, hoc est, per alterius cogitationis adjunctionem. Idem hoc est, atque dicere, partem aliquam materiæ extensam, aut impenetrabilem desinere esse extensam, & impenetrabilem, quia alia illi extensio, aut pars impenetrabilis adjungeretur. Si hujusmodi paradoxa admittere audes; tuæ apud homines existimationi, & nomini consulas velim.

182. Quæ hucusque adduximus argumenta, satis opinor; demonstrant, materiam non posse cogitare: rem cogitantem non posse esse materiam, cogitationem neque esse materiam, neque materiæ modum. Quoniam igitur ens necessarium esse rem cogitantem superius confecimus; consequens inde est, Deum non esse materiam, seu rem corpoream, sed esse substantiam spiritualem, contra materialistas: non esse integram, atque immensam hanc rerum universitatem, ut Pantheistæ palam asserere, & editis libris sustinere maximo humanæ rationis, & totius humanæ speciei dedecore audent. Nos etiam homines esse entia cogitantia, intimo conscientiæ testimonio scimus; ex hujusmodi testimonio, & datis hucusque demonstrationibus in secunda hujus Metaphysicæ parte substan-

ſtantiam in nobis eſſe ab omni materia diſtinctam demonſtrabimus. Interim pro loci oportunitate, graviſſimi argumenti ratione, & dignitate, atque ut hactenus de Deo demonſtrata a Materialiſtarum, & Pantheiſtarum imaginationibus vindicemus; in Materialiſmi, atque Pantheiſmi examen deſcendamus, errores videlicet hoc noſtro ſæculo late ſerpentes. Quæ Materialiſtæ ad errorem demonſtratæ propoſitioni oppoſitum aliquo tandem modo ſuadendum, in medium producunt, inferius poſt fuſiorem Materialiſmi diſcuſſionem ſolventur.

183. Duo tantum hic opponit Materialiſta, quibus adductas demonſtrationes, & aſſertam propoſitionem enervet. Primo quidem, inquit, pura hæc ſunt religionis præjudicia, quibus expellendis, atque diſſlandis naturalis ratio ſufficit: hac una, pergunt, argumentari permittimus, hac una in ideali hoc mundo agendum. Secundo: Plura de Deo attributa demonſtramus, quorum ideæ inter ſe proculdubio differunt: quin tamen, noſtra etiam ſententia, & judicio, illa Numinis attributa reapſe inter ſe diſtinguantur: quidni igitur de cogitatione atque extenſione impenetrabili eodem modo philoſophamur? Reſp. Quantum in humana ſpecie valeant præjudicia, non ignoro: & fuſe id in Logicis argumentum proſequor: in re tamen præſenti nihil nos præjudiciis concedere, & noſtrum ab iis ſenſum, & aſſertam ideam non eſſe, ex eo ad evidentiam patet, quod a nullo præjudiciorum fonte veritas illa in propoſitione, & demonſtrationibus aſſerta profluat: communiſque ille omnium gentium ſenſus in iis etiam populis, & nationibus deprehendatur, in quibus præjudicia illa omnia oppoſita vigent, ex quibus communis ille ſenſus infringi poſſet. Quod ſecundo loco de attributorum diſtinctione opponitur, nullius momenti eſt: non omnis idearum diverſitas phyſicæ diſtinctionis argumentum exiſtit: iis tantum character ejuſmodi convenit, quæ manifeſtam inter ſe oppoſitionem habent, & ſeſe mutuo excludunt. Is ſane eſt cogitationis, & extenſionis caſus, entis neceſſarii attributis non conveniens. Sed de hac diſtinctionis idearum, atque rerum nota latius infra diſſeremus.

DIS-

DISCUSSIO METAPHYSICA

Pantheismi, atque Materialismi: in qua etiam de materiæ, atque Mundi origine, initio, æternitate contra Spinosam, Epicurum, eorumque sectatores, cæterosque cum veteres, tum recentiores Pantheistas, atque Materialistas.

§. I.

Pantheismus.

Adnotatio historica.

184. Post superiorem propositionem, & demonstrata hactenus entis necessarii attributa, naturalis idearum atque veritatum connexio philosophantem mentem, & per Metaphysicam hanc idearum provinciam iter agentem ad Pantheismum, & Materialismum inspiciendum deducit. Duo hæc in via offendimus idearum monstra, quæ accurate non examinare, viatorem Philosophum dedeceret: quid igitur rei sit Pantheismus, Materialismum postea relaturi, inspiciamus. Ut a nomine ipso, & rei definitione incipiamus, Pantheismus, vox græca idem est atque latine omni-Deus (*). Idea, & sensus hoc nomine significatus, est, Deum esse omnia, omnia esse Deum: *hoc est, integrum-mundum, universitatem rerum, hoc universum esse Deum*, Deum nihil esse nisi hoc integrum universum. Et hæc quidem nominis definitio. Rem vero ipsam, seu systema ita exponunt ejus fautores. Hoc universum, inquiunt, ex nullo factum fuit chao, neque ullum unquam fuit in rebus, aut erit aliquando chaos: unde mundus neque ex chao provenit, neque in chaos resolvetur: neque mundum propterea casu aliquo enatum dicunt. Quoad hæc omnia capita a Materialistis omnibus dissident. Otiosum etiam Epicuri, ejusque sectatorum Deum a mundo, seu rerum uni-

(*) *Πανθεϊσμός: omni-Deus, Deus omnia, omne Deus: ἐκ παντὸς δὲ πάντα καὶ ἐκ πάντων πᾶν ἐστιν*, omnia ex universo, universum ex omnibus.

universitate distinctum non admittunt. Deum, & universum idem omnino esse statuunt: universum autem & extensione, & virtute infinitum dicunt: unum quidem continuum ob continuitatem partium; immobile secundum totum; cum nihil spatii ultra universum infinitum existat, esse, aut intelligi possit, quo moveatur; mobile tamen secundum partes, quæ seorsim moveri possunt; incorruptibile, necessarium, æternum, cujus scilicet nulla pars aliquando incepit, nulla peribit, aut perire poterit: integrantes ejusdem partes & infinitæ, & semper eædem. Hujus præterea universi materialis, infiniti, æterni, necessarii duo ab iis ponuntur essentialia attributa, extensio, & cogitatio: utraque immensa: immensa extensio cogitans, immensa cogitatio extensa: hoc igitur infinitum universum mens insimul & materia; mens scilicet est & cogitatio extensa, materia infinitæ extensionis cogitans. Ex hac immensa extensione cogitante, & cogitatione infinite extensa fiunt omnia: creaturæ scilicet, corpora, mundus adspectabilis, omnes species rerum aliud non sunt, quam modificationes plurium, pauciorumve partium universi, seu extensionis cogitantis: hæ nimirum partes, modificationibus accedentibus, fiunt pro illarum varietate diversæ corporum species; quin tamen secundum naturam integrantes universi partes esse desinant. Deficientibus modificationibus, ipsæmet partes corpora non amplius essent; universum tamen perinde semper componerent. Omnia igitur ex universo, ex infinita extensione cogitante necessaria per partium modificationes fiunt: omnia atque ex omnibus est universum, omnia in universum iterum resolvuntur: neque hic adspectabilis mundus aliud est; quam exigua pars ejusdem universi infiniti, cogitantis, modificatione partium productus (a). Hoc præterea universum infinitum unica est, atque individua substantia infinitis attributis prædita: quorum præcipua sunt extensio, & cogitatio. Corpora secundum Pantheistas sunt modificationes hujus substantiæ, quatenus extensæ; ejusdem vero modificationes, quatenus cogitantis, existunt mentes.

185.

(a) *Sykes* connexion de la Religion naturelle.

185. Habes paucis expositum Pantheisticum systema: hoc universum secundum illos est Deus, Deus est omnia, Deus ex omnibus, omnia Deus & ex Deo. Creaturæ sunt puræ modificationes, infinitæ extensionis cogitantis, universi, Dei, entis necessarii. Præcipuum, ut visitur, Pantheismi caput est materia cogitans, cogitatio corporea extensa; illud tamquam fundamentum ponit, aut statuit verum; eoque cadente, Pantheismus etiam cadat, opus est. Aliqua præterea addit capita, quæ ex ipsa systematis expositione discernuntur; & Pantheistas a puris Materialistis distinguunt. Quid nominis, quid rei sit Pantheismus, exposui: quinam hoc ideale monstrum conceperint, tenuerint, paucis accipe. Pantheismum olim tenuisse Eleatenses aliquos, & Pythagoricos philosophos, aliquorum eruditorum est opinio (a). Id etiam fuisse nonnullorum Stoicorum dogma, a *Seneca* stoico philosopho edocemur (b) conceptis verbis scholæ sensum exponente. Apud Lucanum etiam ita loquens inducitur Cato,

Est ne Dei sedes, nisi terra, pontus, & aer,
Et cœlum & virtus? quid quærimus ultra?
Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris. (c)

186. Eumdem errorem in antiquis aliquot Græcis, & Romanis animadvertimus. Si viatorum aliquot, & nonnullorum etiam Scriptorum fide, rem ut plurimum ex viatoribus transcribentium standum esset; definitum errorem tenent litterati Sinenses, seu Mandarini, cæterique illius imperii doctores, Japonum Bonzii, Indiæ Brachmanes. Viatores tamen ii sunt, aut alii ex viatorum fide pronuntiantes: quorum quanta debeat esse auctoritas, nemo doctus, non videt. Secundum *Des-Landes* communi omnium Mandarinorum doctrina neque Pantheismus, neque Materialismus tenentur, sed natura, hoc est *Anima* mundi

(a) Vide *Budæum* de l'Atheism. & de la superst. cap. 1. Bayle Dict. v. Xenophanes, & v. Zenon Hist. Univ. Introd.
(b) Seneca qq. nat. lib. 2. cap. 45.
(c) Pharsal. lib. 9.

di invisibilis; vis, & virtus supernaturalis (*). Japonum Magnates si non Pantheismum, Atheismum sane tenere existimantur secundum *Charlevoix* (**).

187 Quodsi a me quæras, quid ego de Litteratorum Sinensium, hoc est, de Nationis cæteras omnes antiquitate, numero, cultura, & legum sapientia superantis, quid etiam de Japonum, aut Brachmanum doctrina circa præsens argumentum existimem; hoc unum responsum habe: etsi omnes Europæi, quotquot hactenus gentes illas tractarunt, hanc mihi cantilenam repeterent, & communi testimonio assererent, earum scilicet nationum Pantheismum, materialismum aut atheismum; relatores quidem animi caussa, tamquam fabulatores urbane audirem, eorum tamen dictis intra meipsum omnino incredulus: ne & tot nationibus, & humanæ etiam rationi injurius existerem. *Vide quæ num. 96. de Sinarum gente dixi.*

188. Utcumque tamen rem apud te statuas, hac nostra ætate Pantheismus ab antiquorum cineribus excitatus atque desumptus per Europam serpit, pluresque habet e libertinorum grege in quamplurimis nationibus sectatores. Præcipui impiæ sectæ instauratores Spinosa & Tollandus: quorum primus eo potissimum nomine inter Pantheistas plurimum commendatur, quod relatam doctrinam secundum geometricam methodum adornaverit (*a*), post hominis mortem in lucem editam. Non ille quidem Pantheistica dogmata cogitando invenit; sed ab antiquis collecta in ordinem digessit, atque in systema ordinavit (*b*). Quod Spi-

(*) Cette dernier secte, que professent tous le nobles, & tous les sçavans (Chinois), ne reconnoit autre divinitè que la matiere, ou plutot la nature. *Des Landes*. Hist. philos. tome 1. p. 83. Nomine tamen naturæ, animam mundi invisibilem, vim, & virtutem supernaturalem intelligunt, quæ omnia producit, & gubernat. Idem ibidem.

(**) Mais la plupart des grands passent pour Athees & croyent nostre ame mortelle. Histoire du Japon. l. 1. c. 10.

(*a*) Ethnic. pars 1. 2. &c.

(*b*) Id constat ex epist. auctor. 5. ad D. Oldenburg. Reg. Societatis a Secretis. Vid. *Des-Landes* loc. cit. pag. 253.

Spinosa apud Batavos, in Anglia effecit Tolland; editoque opere (*a*) antiquum errorem inter contribules suos propagavit. Horum vestigia obscurior, sed frequens libertinorum plebecula pene sequitur. In Pantheismum ab *Spinosa*, *Tollando*, & aliis propugnatum acerrime decertarunt *Samuel Clark* (*b*), *Petrus Bayle* (*c*), *Jacquelot*, (*d*) & plures alii: quos recenset *Fabritius* (*e*). Nos Pantheismi, seu peculiaris Atheismi falsitatem paucis demonstrabimus.

PROPOSITIO XV.

189. *Pantheismus est evidenter falsus, atque impossibilis, nulloque argumento ab ejus assertoribus probatur.*

Duplici modo Pantheismum rejicere aggredior. 1. Absurdi dogmatis rationem peto, eaque ad examen voco, quibus systema innititur. 2. Rei ipsius falsitatem argumentis demonstro: id vero duobus iterum modis peragi potest: ad impossibiles nimirum, atque absurdas consequentias Pantheistam adducendo, & ostensiva tandem demonstratione propositionem conficiendo. Ut a primo igitur incipiamus, qua sane argumentandi ratione non satis, ut deberet, adhibita, bene multa recentiorum opinamenta citra pulverem conficerentur (1), ita ego cum Pantheistis litem instituo: rem adstruitis clarissimis omnium ideis, & communi sensui, & rationis dictamini oppositam: eamque geometrarum methodo proponere audetis: definitiones præmittitis, postulata, & axiomata statuitis, propositiones deducitis: utroque igitur ex capite vestrum erit dare, nostrum autem petere claras rerum, atque vocabulorum definitiones: quas ideas, definitiones, principia statuatis, de quibus non conveni-

(*a*) Id opus Pantheisticon inscripsit.
(*b*) De l'existence de Dieu tom. 1. cap. 4.
(*c*) Diction. historiq. art. Spinosa.
(*d*) Demonstr. de l'exist. de Dieu.
(*e*) De veritat. Relig. Christ. c. 13.
(1) Id jam animadvertit auctor operis, *Les Erreurs de Voltaire*.

venimus, demonstrate. Nihil hic non certum assumo, aut deduco. Præ manibus sunt *Spinosæ*, *Tollandi*, & aliorum Pantheistarum libri: quanam methodo utamini, videmus. Quod vero rem attinet, ex vestra systematis expositione vestris fere verbis a nobis proposita serio contenditis 1. universum unicam esse substantiam, infinite tamen extensam: 2. hujusmodi substantiam esse insimul materiam & cogitationem: 3. unumquemque nostrum esse partem, seu modificationem hujusce infinitæ, atque æternæ substantiæ, hoc est, Dei: 4. Deum quidem esse simplicissimum, insimul tamen esse integrum hoc universum, & infinitam hanc variarum rerum complexionem esse Deum: 5. Deum esse ens infinite perfectum, atque infinitis perfectionibus præditum, quidquid tamen rerum est, quidquid imperfectionis, atque inordinati est in hac rerum universitate, Dei attributum, modificationemque esse: 6. Deum esse omnipotentem; nullam tamen substantiam posse producere, aut destruere: 7. esse quidem Deum infinite perfectum; nullam tamen habere libertatem: 8. infinitam esse Dei providentiam, omnia tamen fatali, atque insuperabili necessitate evenire: quidquid fuit jam in sæculis, quidquid est, aut erit, omnia fato ineluctabili volvuntur. Hæc, & quamplurima alia iis concona Spinosæ verbis concepta Pantheistici systematis fundum componere, & Pantheismi ideam continere, aperte profitentur. Rursus hæc omnia communi omnium hominum sensui opponi, & ab omnibus non modo philosophis, eruditis atque cultis hominibus, verum etiam a quocumque rationis prædito, & Pantheisticis præjudiciis non imbuto rejici, certa est facti fides: uno verbo, iis ideis prolatis, omnes horrescimus: ad ideas claras, atque evidentes Pantheisticis contrarias appellamus. Hæc etiam experientiæ res est, ab eo etiam demonstrata, quod productus in Europæ scenam Pantheismus ab omnibus cum horrore, atque indignatione fuit explosus.

190. Ad communem hic ego omnium nationum, atque hominum sensum, conscientiam, atque rationis dictamen provoco. Humano igitur generi secundum ideas a vestris toto cœlo remotis cogitanti omnia hæc vestra paradoxa, absurda, & falsissima apparent, & judicantur; neque citra demonstrationem sunt admit-

mittenda. Nisi ergo Pantheismum probetis, atque mentem nostram ab evidentibus principiis, & definitionibus ad alias, & alias propositiones secundum ideas claras deducatis; totum Pantheisticum systema absurdum per sese, nulloque fundamento innixum prolabetur, & ab omnibus jure merito exsibilabitur. Agite igitur, demonstrationes producite. Cum Deum, & universum eamdem esse substantiam, neque nisi unicam esse posse contendis; prius nobis substantiæ definitionem dare ne graveris: quid tibi est substantia, nos doceas: hoc scilicet est primum, & præcipuum totius fabricæ fundamentum.

191. *Per substantiam intelligo*, inquit Spinosa, *id quod in se est, & per se concipitur, hoc est, id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* (a). De substantia igitur hoc modo definita, seu de hac notione substantiæ sequentia theoremata, & systema intelligis: per illam scilicet tantummodo demonstras fundamentales propositiones, totius systematis basim. Rem enucleemus: atque ut omnia in hoc systemate ruinosa esse, nihil plane probari, circulum vitiosum committi, ad evidentiam constet; sequentia brevissime demonstrabimus: 1. ad illam unam definitionem redigi, per illamque unam ab auctore probari primas illas propositiones, quæ sunt totius systematis præcipua basis atque capita, unde cætera omnia, integrumque systema deducuntur. 2. allatæ definitionis duplicem esse sensum, primum quidem verum, sed nihil ad rem nostram facere. 3. eamdem definitionem in sensu auctoris acceptam quæstionem ipsam continere, ab auctore probandam, ab omnibus aliis negatam, ac proinde demonstrari oportere: ab illo tamen nequaquam nisi per circulum vitiosum probari demonstrabitur. 4. ipsam denique definitionem secundum auctoris sensum intellectam a nemine admitti, & reapse esse falsam conficiemus. Si quatuor hæc efficiamus, acta res erit.

192. *Primam*: Tres hæ propositiones, *una substantia non potest produci ab alia substantia* (b): *hinc sequi-*

(a) Ethic. pars 1. defin. 3.
(b) Pars 1. Ethic. prop. 6.

quitur substantiam ab alio produci non posse (c): *ad naturam substantiæ pertinet exsistere* (d), illa sunt fundamenta, quibus datis totum Pantheisticum systema deducitur, iisque innititur. Demus parumper tertiam esse veram: ergo omnis substantia per naturam suam, hoc est, per suammet essentiam existit: ergo quidquid est substantia, necessario exsistit: estque proinde ens necessarium, æternum, & *a se*: ens autem necessarium, & *a se* nequit esse nisi unicum: totum igitur hoc universum est unica substantia *a se*, necessaria, æterna, improducta, infinite perfecta, hoc est, Deus: cætera omnia sunt pura accidentia, seu puræ modificationes ipsius unicæ, atque necessariæ substantiæ. Ponantur similiter veræ priores duæ propositiones; ita ex iis argumentum instituitur: si substantia neque ab alia substantia, neque a re quacumque alia potest produci; quidquid est substantia, non est ab alio, sed a se, & improductum: ergo necessarium & æternum: ens autem necessarium, & a se non potest esse nisi unicum; unica igitur est in mundo substantia; universum igitur est unica tantummodo substantia indivisibilis, necessaria, æterna, improducta, a se atque proinde infinita; cætera igitur omnia

(c) Coroll. ejusd. prop. 6. ib.

(d) Propos. 7. ib.

Alii Auctoris sensus ad rem præsentem facientes conceptis ipsius verbis, ita ab homine exprimuntur.

Præter Deum nulla dari neque concipi potest substantia. Spin. Ethic. P. 1. prop. 14.

Nihil sine Deo esse neque concipi potest. proposit. 15. ibidem.

In rerum natura nullum datur contingens; sed omnia ex necessitate divinæ naturæ determinata sunt ad certo modo exsistendum, & operandum ibidem prop. 29.

Deum non operari ex libertate voluntatis corol. prop. 32.

Affirmat non nisi unicum posse ens esse. Epistol. 40.

Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt. Res enim omnes ex data Dei natura necessario sequutæ sunt.

omnia aliud esse nequeunt, quam puræ Dei modificationes; quidquid scilicet est, ad duo hæc generalia capita *substantiam*, & *modum* redigitur. Tres igitur allatæ propositiones totius systematis basis, & fundamentum exsistunt; iisque unis systema suum demonstrare conatur Spinosa. Cum tamen illæ inter *data* aut axiomata referri non possint; sed demonstratione opus habeant; unde id tentet *Spinosa*, videamus.

193. Tres allatæ propositiones ad 3. definitionem redigi, ab eaque una rem totam pendere, auctoris verba evincunt: *Ad naturam substantiæ* (inquit) *pertinet exsistere*: Nego, quamdiu non demonstres: *demonstratur*, inquit: *substantia non potest produci ab alio* (*per corollar. prop. præcedentis*): *erit igitur caussa sui, id est* (*definit.* 1.) *ipsius essentia involvit necessario exsistentiam, sive ad ejus naturam pertinet existere*. Bene est: tota ergo hæc demonstratio corollario superius adducto, *hinc sequitur, substantiam non posse produci ab alio*, secundum auctorem innititur: nego tamen corollarium, substantiam ab alio non posse produci non video; proba: 1. inquit, *demonstratur hoc etiam facilius ex absurdo contradictorio: Nam si substantia ab alio produci posset; ejus cognitio a cognitione suæ caussæ deberet pendere* (*per ax.* 4.) Permitto id parumper, prosequamur: *adeoque* (per definit. 3.) *non est substantia*. Ergo tota hæc demonstratio, hoc est, utraque allata propositio in datam definitionem refunditur. Idem corollarium, *una substantia ab alio produci non potest*, demonstrat secundo ex propositione sexta, *una substantia non potest produci ab alia substantia*: at si sextam hanc propositionem probet per secundam, secundam vero per solam definitionem tertiam demonstret; nonne omnia in eamdem iterum definitionem refunduntur? Ita vero res est: en demonstrationem: *in rerum natura non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi* (*per prop. præc.*), *hoc est,* (*per propos.* 2.) *quæ aliquid inter se commune habeant, adeoque* (*per prop.* 3.) *una alterius caussa esse nequit, sive una ab alia non potest produci*. *Q. E. D.* Propositio secunda, cui hæc demonstratio innititur, est, *duæ substantiæ diversa attributa habentes nihil inter se commune habent*. *Demonstratio patet ex definitione* 3.: *unaquæque enim in se debet esse, & per se debet conci-*

 pi,

pi, *sive conceptus unius conceptum alterius non involvit*: in tertiam igitur definitionem iterum recidimus: Tertiæ igitur allatæ definitioni, quæ secundum auctorem est substantiæ definitio, tres illas propositiones unicam totius systematis basim, totumque proinde systema inniti, demonstravimus: quod erat primum.

194. Dixi secundo, *allatæ definitionis duplicem esse sensum, primum quidem verum, sed ad rem non facere. Per substantiam intelligo*, inquit, *id quod in se est, & per se concipitur*. Esse in se, & per se concipi, duo hæc significare potest: 1. rem ita exsistere, ut in nullo alio innitatur, a quo tamquam a subjecto dependeat ad exsistendum; hoc modo per se exsistit, & in se concipitur corpus quodcumque ex. gr. tabula: in nullo enim alio ad existendum innititur, tamquam in subjecto: etsi perirent omnia alia corpora, stare tamen posset, & conciperetur hæc tabula: contra vero corporum figura, motus, situs, atque ejusmodi alia secundum expositum sensum per se non exsistunt, neque concipiuntur: neque enim exsistere, neque concipi potest figura, quin exsistat, atque intelligatur corpus aliquod, cujus illa sit modificatio, & in quo tamquam in subjecto exsistat. Atque expositus hic sensus verum habet, ab omnibus probatur, definitionemque hoc modo intellectam nullus inficiatur. Hunc tamen sensum ad rem non esse, allatas superius propositiones, totumque Pantheisticum systema corruere, si unicus ille definitionis sensus statueretur; ex dictis est manifestum: neque a Spinosa ipso negatur. A nullo dependere, tamquam a subjecto, cui innitatur: a nullo dependere, tamquam a caussa, a qua fit, existat, conservetur, duo sunt toto cœlo inter se diversa: primum est peculiaris tantummodo non dependentia: secundum est perfectissima, & universalis non dependentia, est esse *ens a se*, sibi sufficiens, necessarium. Cum eo quod una substantia ex. gr. tabula ab alio non dependeat, tamquam a subjecto, cui innitatur, bene stat, quod ab alio dependeat, tamquam a causa, a qua fuerit producta, & conservetur, atque proinde cum priori illa tabulæ non dependentia potest illa ab alio esse producta.

195. *Tertium*: Alius datæ definitionis sensus ab auctore

ſtore uſurpatus, & ad rem faciens, eſt, *per ſubſtantiam intelligo id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur*, hoc eſt, *quod eſt* a ſe, quin, ut exiſtat, ab alio, tamquam a cauſſa, dependeat, quod concipi conſequenter poteſt ſine ulla ad cauſſam aliquam relatione. Uno verbo, ſecundum hominis mentem quidquid eſt ſubſtantia, eſt *ens a ſe*, *ens improductum*, ens ſine cauſſa, ens per naturam ſuam exſiſtens. Contendo igitur hunc ſenſum eſſe non poſſe definitionem, immo rem totam in quæſtione poſitam, a Pantheiſtis aſſertam, ab omnibus aliis negatam continere; quæ proinde neque definitio eſſe poteſt, neque, ut *datum*, poſtulari: ſed evidenti demonſtratione probari deberet: ſingula conficiamus.

196. In eo univerſi homines, maxima ſaltem philoſophantium pars, unanimes convenimus, quod univerſa corpora, ſpiritus, omnia quæ ſentimus, & univerſum hunc mundum componunt, omnia, inquam, ſint, & appellentur ſubſtantiæ: integrum proinde univerſum, tamquam ſubſtantiarum complexionem conſideramus. Inutiles hic ego mihi objectari tricas, modos, qualitates non moror: hæc ego neque ignoro, neque inficior: ad rem tamen iſta nihil faciunt: cum Pantheiſta liberaliter agamus. Hoc poſito, en totum Pantheiſmi fundum: *Juxta omnium hominum ſenſum hoc univerſum eſt complexio ſubſtantiarum, ſeu ſubſtantia: quidquid eſt ſubſtantia eſt ens a ſe: ergo hoc univerſum eſt ens a ſe: eſt igitur ens improductum, neceſſarium, a nullo dependens: ergo unicus: ergo ſimplex, ergo Deus*. Prima propoſitio eſt pura notio, ſeu definitio vocabuli ab omnibus admiſſa, nihil ad rem faciens, nihil decidens: ſi ſecundam concedas; acta res eſt, Pantheiſmum admittis: cætera omnia ſunt plana. Non jam in illa de vocabuli ſignificatione agimus, ſed illa omnia, quæ ſubſtantias vocamus, eſſe reapſe entia a ſe affirmamus: ſecunda igitur illa propoſitio, quæ tertia eſt *Spinoſæ* definitio, reapſe affirmat, ſubſtantiam quamcumque ex notione ſua eſſe *ens a ſe*; univerſum proinde hunc mundum, ab omnibus ſubſtantiam, ſeu ſubſtantiarum complexionem nuncupatum, eſſe ens improductum, a nullo dependens: hoc autem eſt ipſius quæſtionis, & totius rei cardo:

197. De ſumma rerum in hac propoſitione agitur: om-

omnem substantiam esse ens a se, aperte dicis: propositionem igitur affirmas, affirmatam demonstra. Forsitan ut *postulatum* eam propositionem tractas, aut ut *datum* supponis? Verum ad postulatum ea requiritur evidentia, quæ a nullo in dubium verti possit: at propositionem non modo non damus, non modo evidens non est, sed illam omnes homines inficiantur, & falsam esse demonstrabo. Definitione agimus, dices: bene est, definitione tamen, repono, quæ est definitio rei, qua scilicet adstruis *omnem substantiam esse ens a se*: liberum mihi est, perges, quo libuerit nomine ideam, aut rem quamcumque significare. Peccare id est, respondeo, contra definitionis leges (*a*). Id tamen parumper, & liberaliter permittamus: quid inde? *substantiæ nomine*, subjungis, *quod est a se, intelligo*: esto, ut placet: quid ulterius? *at hoc universum est substantia*, pergis: id vero demonstres, amabo, prolatæ modo a te substantiæ notioni insistendo: proba hoc universum esse substantiam, *prout substantia est ens a se*. Id vero, reponis, *datum* suppono, eo nomine ab omnibus donantur omnes hujus universi partes. Hic ego, si eo Pantheista deveniret, bonam eorum fidem appellarem. Nullus hominum est, qui universum dicat esse substantiarum complexionem, si substantiæ nomine intelligatur, *ens a se exsistens*: maxime vero si in alio sensu superius a nobis allato usurpetur, ut accipi merito debet, substantiæ vocabulum.

198. Allatam igitur popositionem neque *Dati*, neque *postulati*, neque *definitionis* nomine demonstras; illam tamen proba; quamdiu non demonstres, rejicimus. Definitio illa 3. dices, satis per septimam hanc propositionem, *ad naturam substantiæ pertinet exsistere*, demonstratur. Enim vero si substantia per naturam suam, hoc est, per essentiam, hoc est, necessario exsistit; necessario est ens a se, in se est, & per se concipitur; quin ab alio dependeat, ut exsistat, aut concipiatur. Recte quidem argumentaris, repono, ex propositione 7. supposita vera: propositionem tamen ab omnibus negatam, per eamdem definitionem demonstras, ut modo tuismet verbis confeci: definitio-

(a) Vide Logicæ nostræ partem secundam.

tionem igitur per propositionem, propositionem per definitionem tantummodo probas, hoc est, vitioso circulo, & sophismate agis.

199. Dixi quartò, *definitionem illam* 3. *in auctoris sensu a nemine admitti, nullo modo probari, reapse esse falsam*. Primum est res facti: pantheismum enim continet, pantheistam esse oportet, ut illam admittas. Secundum ex modo dictis, ex ipso Spinosæ opere, atque ex omnibus Pantheistarum scriptis est evidens. Tertium tandem ita breviter demonstro. Quidquid est aut concipitur ita exsistens, ut in nullo subjecto insit, nulli inhæreat, a subjecto non dependeat; non sit tamen ens a se, sed a caussa sua productum, atque dependens, id, inquam, non est substantiæ modus, accidens, aut qualitas: hæc scilicet tria a substantia, tamquam a subjectò dependent, juxta omnium, Pantheistarum etiam notionem: id igitur est substantia, nisi de nomine litem moveamus: substantiæ igitur notionem continet: esse igitur a se, & a nulla caussa pendere, ad communem substantiæ ideam non spectat.

200. At nihil ejusmodi est in rebus, aut esse potest, opponit Pantheista. Respondeo: etsi id parumper permitterem; nihil inde deduceres. Etsi non esset; conciperetur tamen. Mente concipe extensionem impenetrabilem a nullo subjecto dependentem: aliquid reale in idea concipis: neque enim nihil in mente habes: non modum, non accidens, non qualitatem: ergo substantiam. 2. cum dicis, nihil ejusmodi esse in rebus; ut dictum probes, velim: unde id habes, demonstra; oppositum enim omnes homines verum esse existimant: humanum genus innata aut communia hæc præjudicia dedoce. Enimvero quidquid sensibus percipimus, quidquid corporum in hac rerum universitate exsistit, compositionis, imperfectionis, dependentiæ notam, atque characterem secum defert. Da enim vero corpus, quodcumque velis; illud tractamus, dividimus, immutamus, in simpliciora elementa resolvimus; quod compositum est, mutabile, solubile, imperfectum, non est simplex, immutabile, infinite perfectum; non est igitur *ens a se*, seu necessarium, & non dependens; tria enim illa sunt entis necessarii consequentiæ, quidquid ergo corporum in rebus existit, non est *ens a se*, necessarium, infini-

finite perfectum, æternum, sed ab alio dependet. Quid in hac demonstrationis, atque consequentiarum serie negas? His & aliis demonstrationibus evidentibus ducti integrum hoc universum, corpora omnia esse contingentia atque ab alio dependere, invictissime tenemus. Tuum erit humanum genus instruere, præjudicia nostra demonstrare, & nos omnes a communi sensu jure possessionis asserto dimovere.

201. Hucusque dicta satis evidenter, opinor, absurdissimum opinamentum rejiciunt. Satis scilicet confecimus, 1. totum pantheismum esse absurdissimarum idearum complexionem a communi omnium hominum sensu, atque ratione abhorrentium. 2. Nihil ejusmodi ab auctore probari: quid inde inferri debeat, facile unusquisque animadvertet. Porro quæ in primis Ethicæ Spinosisticæ principiis, definitionibus, fundamentis est ambiguitas obscuritas, falsitas, integro in opere visitur. Systematis tamen falsitatem ulterius breviter demonstremus.

202. *Demonstratur* 2. ad impossibile. Totum hoc universum, hoc est, Pantheistarum Deus, eorum judicio est infinita extensio, & tamen unicum, atque indivisibile exsistit: est ergo aliqua infinita extensio materialis indivisibilis, hoc est, linea materialis infinite longa, & tamen puncto physico æqualis: quod est impossibile.

203. *Demonstratio* 3. Deus, seu totum hoc universum est unica substantia simplex, immobilis secundum totum, mobilis autem secundum partes, ut conceptis verbis pantheistæ statuunt: est igitur eademmet substantia simplex, indivisibilis, & tamen habet partes: quod iterum est impossibile; ubicumque enim sunt partes, est compositio, ubi unitas & simplicitas, nullæ partes: hæ nimirum nobis sunt claræ notiones, secundum quas argumentamur; Compositio, & simplicitas; esse simplex, & habere partes; esse perfectissimum, & compositum inter se opponuntur. Ex quamplurimis aliis capitibus ad impossibilia absurda pantheisticum systema demonstrari potest falsum, quibus supersedeo, ne in longum protrahamur.

204. Pantheismi falsitas demonstratione etiam ostensiva in hunc modum evincitur. Impossibilis est materialismus, seu materia cogitans, ut superius demonstravimus; materialismum autem ponit, illique innititur

ritur Pantheismus. Ev dens enim est, exsistere corpora (id nos jam demonstravimus, neque a Pantheistis negatur): si ergo est pantheismus, si omnia sunt Deus, si quidquid rerum est, integrumque universum est unica substantia: hæc sane substantia est materia, hæc materia cogitat: verumque proinde statuitur præcipuum materialismi fundamentum. Cum ex pluribus capitibus materialismi falsitatem demonstravimus; satis impræsentiarum est, illud de materia cogitante indicasse: cui quidem absurdo novum addit pantheista, materiam scilicet non modo cogitare, verum etiam per naturam suam, hoc est, per essentiam, atque necessario cogitare: per naturam suam esse cogitationem, per naturam esse extensionem.

205. *Demonstratio* 2. Infinitæ imperfectiones non efficiunt, seu componunt totum seu ens infinite perfectum: Deus igitur, qui secundum ipsos etiam Pantheistas est ens infinite perfectum, non potest componi ex infinitis imperfectionibus: Deus igitur non est materiale hoc universum, quod ex infinitis partibus imperfectis constat. Esse compositum, seu constare infinitis partibus, non negat pantheista, qui universum statuit *infinitum immobile secundum totum, mobile secundum partes*: sunt igitur universi partes: hujusmodi autem partes sunt singula corpora & portiones materiæ. Non negabit autem pantheista, inter hanc chartam ex. gr. aut quodcumque aliud corpus datum, & ens infinite perfectum esse infinitam distantiam, esseque singula corpora tot entia imperfecta: singulis autem imperfectis suæ sunt imperfectiones, per quas imperfecta dicuntur, & ab ultima, & summa perfectione distant: est igitur universum ex infinitis imperfectionibus compositum. Non est igitur Deus, qui ex notione, atque natura sua secundum Pantheistas etiam philosophos est ens summe, atque infinite perfectum.

206. Pantheismus quamplurima capita cum materialismo, seu Epicurismo habet communia, ex quibus etiam novæ, & communes contra utrumque demonstrationes desumuntur. Omnem e mundo tollit libertatem, omniaque fatali necessitate accidere, & veluti volvi statuit: nihil aliud admittit possibile præter id, quod vel jam accidit, vel modo est, vel fatali

tali necessitate in futurum existet. Hæc, & alia errorum capita suo quæque loco falsa demonstrabuntur. Si Spinosisticum systema, totque absurda ab hominis principiis profluentia expendisti; facile mecum convenies, quam merito pronunciaverit *Bayle*, philosophus quidem Pantheistis non suspectus, nihil absurdius, & monstro similius ab humana mente excogitari posse (*). Eumdem ego sensum dum probo, dum pantheisticum systema monstrosum dico, absurdum, & ab omni humana ratione penitus abhorrens; nihil in humanitatis, & modestiæ leges committere existimo, quas homini cuicumque sacræ in primis esse debent. Nihil apud me valent, quominus auctorum ingenium, eruditionem, merita magni faciam, peculiaris eorum opinio, atque cogitandi modus a meo sensu penitus diversus, natio, patria, mores, & alia iis similia hominum præjudicia: hominis sententias, sensum, religionem rejiciam; hominem tamen, ut philosophum decet, humanitate amplectar, ingenium, doctrinam, indolem, mores, si bona hæc sint, uno verbo, philosophum, qua par est humanitate prosequar, & pro rei merito semper faciam. Infinita ego Petri Bayle sensa, opiniones, dubia, falsa esse pronuncio. Singularem tamen hominis eloquentiam, styli venustatem, ingeniosam jucunditatem, & eruditionem negare, aut parvi facere non possum.

207. Cum ita a natura sim comparatus, Spinosæ, si olim cum illo agerem, amice suaderem, ut si se nomenque suum amaret, a scribendo penitus abstineret. Id enim apud me est hominis Ethica, ut ejus lectio optimum sit docto lectori, ne illi credat, remedium; & hausti antea forsan veneni, atque erroris medicina. Si Pantheismum tuamet infelicitate amplexus esses; Spinosam attente lege: legendo enim non modo admissi erroris pœnas lues, sed temet a contracti mali tabe purgabis. Præter ruinosa enim fundamenta, & arbitrarias rerum notiones, mira idearum confusio, ambiguitas verborum, implexæ de-

(*) C'est la plus monstrueuse hypothese, qui se puisse imaginer, la plus absurde, & la plus diametralement opposeè aux notions les plus evidentes de notre esprit. Dict. v. Spinosa.

deductiones toto in opere deprehenduntur: uno verbo, intelligenti prudentique homini Spinosistici operis lectio Spinosistici erroris remedium est. Adeo vera est illa *Baconis de Verulamio* sententia, quod etsi superficialis, ut dicitur, philosophia in Atheismo ducere possit, profunda tamen ab Atheismo ad veri Numinis exsistentiam, atque providentiam agnoscendam, & statuendam adducat (*a*). Experimentis scilicet compertum est, a nullo efficacius, quam a philosophis profundiori rerum meditatione contritis Atheismum profligari (*b*). Quod præter adductum jam Spinosæ ratiocinium ad Pantheismum probandum ulterius adducit auctor, ad communem illum Materialistarum omnium errorem, *ex nihilo nihil fit*, eorum sensu usurpatum redigitur, de quo statim erit dicendi locus.

108. Si universum corporaque omnia, seu potius substantiæ non sunt *a se*, ens necessarium æternum; ex nihilo fuere extracta per veram creationem; intelligi autem nullo modo potest, substantiam ex nihilo extrahi, incipere esse quod non erat, novamque in mundo substantiam produci. Quidquid igitur est substantia, ab alio non est, aut fuit productum; omnis igitur substantia est ens a se necessarium æternum. Incredibile prorsus esset, nisi rem videremus, homines ratione prædìtos, *Spiritus fortes*, gloriæ caussa a se ipsis mutuo nuncupatos, tantulæ difficultati succumbere, eaque duci ad mira pantheismi portenta, humanæ rationis deliria statuendum (*). Pro respon-

(*a*) Baconis de Verulamio de nat. & universali philos.

(*b*) Vide Chambers dict. des Arts v. Atheiste.

(*) Une matiere creé de rien n'est pas concevable, quelques efforts que l'on veuille faire pour se former une idee d'un acte de volonté, qui convertisse en une substance reelle ce, qui n'étoit rien auparavant. Ce principe des anciens, *ex nihilo nihil fit*, se presente incessament a notre imagination. *Bayle* dict. v. *Spinosa* Rem. &c. *In eumdem sensum loquitur Rousseau*. Lettre a Monf. *Beaumont* Archeveque de Paris. Tant d'hommes & de philosophes, qui dans tous les temps ont medité sur ce sujet, ont tous unanimement rejetté la possibilité de la creation, excepté peut etre un tres petit

ponſione ſatis ſit, a pantheiſta ipſo quærere, intelligiſne tu idearum tuarum naturam, geneſim, indolem, quonam pacto ſentias, doleas, videas; tuumnet ſyſtema intelligis? quanam ratione eadem ſubſtantia cogitet, & ſit materia: cogitatio atque extenſio impenetrabilis eadem res ſint: hoc materiale univerſum in infinitum ſit diſtenſum, ex infinitaque rerum varietate compoſitum, ſit tamen unica ſubſtantia ſimplex indiviſibilis? Melius ne hæc, & infinita alia ejuſdem ſyſtematis abſurda, aut innumeras veritates phyſicas quotidianis experimentis confirmatas, omnem tamen humani ingenii apicem fugientes; melius, inquam, hæc, quam aliquid ex nihilo creari de novoque incipere, intelligis? Nihilominus licet hæc & infinita alia non intelligas, neque intelligere poſſe fatearis, illa tamen exiſtere, eſſe vera, atque certa aſſirmas: humanæ igitur imaginationis, atque intelligendi infirmitas (te ipſo fatente) argumentum eſſe non debet neque poteſt ad rem, quam non capimus, negandam. Et hæc quidem reſponſio argumentum nihil omnino probare, ad hominem, ut dicitur, demonſtrat. Ut argumentum tamen penitus ſolvatur, directe reſpondeo 2. Rem fieri ſeu extrahi ex *nihilo*, tamquam a ſubjecto, ſeu cauſſa materiali antea exſiſtente, hoc eſt, ex *nihili* viſceribus extrahi, aut *nihilum* converti in rem aliquam phyſicam; effectum etiam fieri ex nihilo, hoc eſt, produci a *nihilo*, tamquam a cauſſa effectrice, ita ut *nihil* ſit cauſſa ſufficiens rei productæ; principium, inquam, *ex nihilo nihil fit*, in duplici hoc ſenſu uſurpatum non modo intelligi non poteſt, ſed rationi penitus repugnat, atque aperte falſum, & impoſſibile exſiſtit. Creatio rerum ex nihilo aliud plane eſt ab illo principii ſenſu penitus diverſum: *rem creare*, aliud non eſt, quam

---

petit nombre, qui paroiſſent avoir ſincerement ſoumis leur raiſon a l'authorité; ſincerité, que les motifs de leur interet, de leur ſeureté, de leur repos rendent fort ſuſpecte; & dont il ſera toujours impoſſible de s'aſſeurer, tant, que l'on riſquera quelque choſe a parler vrai. = *Eadem mens eſt Domini le Marquis d'Argens*, Philoſ. du bon ſenſ. Tom. 1. Reflex. 3. §. 2. 3.

quam voluntate, & virtute Omnipotentis, atque infinitæ caussæ rem producere nullo modo antea exsistentem. Hoc concipere, non imaginationis, sed rationis, atque intelligentiæ opus est; quæ, infinita entis a se, seu Omnipotentis caussæ perfectione, atque virtute perspecta, insimulque omnium naturalium rerum imperfectione, defectibus, mutationibus animadversis, fieri non potest, quin creationis ideam sibi comparet, comparatam vero verissimam esse pronuntiet.

§.

De antiquo, & recentiori Materialismo, seu Materialistarum systemate.

209. *Materialismus*, perantiquus humani intellectus error, Idealismo penitus opponitur. Quidquid in rebus est, aut esse apparet, non sunt corpora, sed puræ ideæ, statuit Idealista: nihil corporeum, seu materiale in rebus existere, omnia esse spiritus, ideas, repræsentationes, imagines: corpora vero aut non esse, aut certe non demonstrari, eorum hominum sensus est. Contra vero, inquit Materialista, quidquid in hac rerum universitate est, est materia, sunt corpora. Quid sit Idealismus, quinam Idealistæ, superius jam breviter exposuimus, atque rejecimus. Cum Materialistis modo fusius agendum; propterea quod Idealismus absurditate sua, & reluctantium semper sensuum oppositione repressus in dies evanescit, & dissipatur, cum ex adverso Materialismus sensuum potissimum oblectamentis innixus, & grata verborum, atque idearum jucunditate a quamplurimis libertinis expositus, latissime per universam Europam serpit. *Materialismus* illud philosophorum dogma nuncupatur, quod omnia materiam esse statuit, cæteraque tenet, quæ inde deducuntur. Qui ista amplectuntur, *materialistas* nuncupamus: numerosissimam scilicet sectam, ex multiplici, diversoque hominum ordine compositam, & in varias etiam materialistarum classes distinctam.

Est primo purus materialismus; quem qui tenent, *materialistæ puri* nuncupati, nihil omnino a materia distinctum, nullos spiritus agnoscunt: integrum humanum compositum, nos homines puram esse

materiam, animam humanam puriorem quamdam, & sublimiorem materiæ portionem dicunt. Secundum ejusmodi homines omnes nostræ ideæ, & cogitationes actus animæ puræ sunt subtilioris ejusdem materiæ modificationes, motus, figuræ, combinationes: nihil nostri post mortem superest: nullum esse Deum: materiam esse æternam, ab æterno motum habuisse: universum esse infinitum: materiam ab æterno semper motam chaos composuisse: ex chao alias semper, & alias atomorum, seu corporum combinationes emersisse, casu quidem factas, casu dissolutas, & in alios & alios ordines transformatas, & transformandas: a chao in illam rerum combinationem casu devenisse materiam, quæ mundus hic adspectabilis exsistit: mundi igitur materiam esse æternam; formam vero pulchritudinem, ordinem, figuram, magnitudinem, fines, originem fortuiti casus opus esse: mundum casu factum, casu solvendum, atque in alios subinde, & alios mundos, seu atomorum, corporumque combinationes, solvendas etiam ipsas, & in æternum mutandas transformandum. Habes purum materialismum, plurimorum hujus temporis sciolorum, politicorum, libertinorum sectam, purum putum Atheismum.

210. Præter purum materialismum, & relatum superius pantheismum, qui materialismi species quædam exsistit, est & alius hominum ordo, qui integrum quidem universum, animantia, homines, cætera puram materiam esse dicunt, seque ipsos, hoc est, totam humanam speciem machinas exsistimant: præterea tamen Deum aliquem fatentur (spiritum, aut materiam): sed omnem Numinis providentiam negant, mundumque illam habuisse originem adstruunt, quam puri materialistæ admittunt.

211. A veritate non multum abluderet, qui Diistarum plurimos veris materialistis adnumeraret; quidquid vocabula ipsa *Diismus*, *Diista* in oppositum indicare appareant. Sed cum iis tandem agemus, cum religionem naturalem in Ethica examinabimus: ad quem locum peculiaria numerosæ hujus sectæ dogmata spectant. Habes, quid sit materialismus, quot materialistarum classes. A remotiori antiquitate ad nostram usque ætatem per omnia sæcula transmissus est ille error. Inter Græcos (de antiquioribus enim gen-

gentibus nihil certi statuo) primi illum propugnarunt *Leucippus* (*a*), *Democritus* (*b*), potissimum vero *Epicurus* (*c*), qui acceptam ab aliis doctrinam longius promovit, explicavit, in novam sectam, & systema ordinavit, indeque materialistarum patriarcha vulgo audit. Longum hic ego non texam Epicureorum catalogum: non paucos in philosophica historia recensui: multos pantheismo addictos superius numeravi. Diistas, affinem atque amicissimam Epicuri familiam, nisi hunc Diistarum potius patriarcham nuncupes, nostra aetate vulgatissimam suo loco recensebimus. Materialismum a Graecis acceptum ahsmonaeorum principum saeculo numerosa illa Hebraeorum secta profitebatur; qui Sadducaei communiter nuncupantur: in qua viros principes, quamplurimos ejus gentis primores divitiis affluentes, & similes alios de *Epicuri grege porcos* numerabant. (*d*). A Graecis pariter eundem errorem quamplurimi etiam veterum Romanorum *Lucretius* (*e*), *Horatius* (*f*), *Petronius* (*g*), alii acceperunt, quos hodie tantopere praedicant, imitantur, sequuntur illa sciolorum classis, *belli spiriti* vulgo nuncupati, amoenioribus litteris, dictionis, stylique jucunditate, & gratia plurimum valentes, philosophia leviter solummodo instructi. *Montagne* (*) *Evre-*

(a) Vide *Bayle* dict. v. Leucippe, Tullium. Nostram Phil. Histor.

(b) Vide *Stanleyum* de Atomist.

(c) Vide Epic. opus a Gassendo editum.

(d) Vide *Josephum* de Antiquit. *Prideaux* histoire des Juifs &c.

(e) Lucret. de Princip. & nat. rer.

(f) Horat. Odarum. Lib. 1. ode 34. & saepe alibi.

(g) Vide Auctoris opus. Bayle v. Petrone.

(*) Je me plonge la tete baissée stupidement dans la mort sans la considerer & reconnoitre, comme dans une profondeur muette & obscure, qui m' engloutit d'un saut, & m' etoufe en un instant d' un puissant sommeil plein d' insipidité & d' indolence. Essail. lib. 3. chap. 9........ c' est une chose trop momentainee: un quart d' heure de passion sans conse-

 sequen-

vremond (**), *Helvetius* (***), *d'Argens* (1) materialismum non obscure tradunt. Optandum esset, ne in tot scriptis Domini de *Voltaire*, Poetæ clarissimi, invenirentur sententiæ, quæ ab omni materialismi, aut Diismi nævo liberari non possunt (2).

212. Materialismum prætérea aperte & acriter propu-

---

sequence, sans nuisances ne merite pas de preceptes particuliers. Ibid. lib. 3. chap. 12.

(**) Petronii mortem Epicureo more, nullo religionis sensu habitam impense laudat = c'est la plus belle mort de l'antiquiteé. Tom. 3. pag. 9. Quin etiam animam jam jam efflaturus, atque ab amico efflagitatus, ut postremo saltem vitæ termino Deum sibi reconciliaret; cum appetitu, inquit, reconciliari vellem, qui a me penitus aufugit.

(***) Ce qui est, & ce qui sera, ne' est qu' un devolopement necessaire. Il (Dieu) a dit a la matiere, je te donne de la force: aussitot les elemens soumis aux loix du mouvement, mais errans & confondus dans les deserts de l'espace ont formé mille assemblages monstreux, ont produit mille chaos divers, jusqu' a ce qu'enfin ils se sont placés, dans l'equilibre & l'ordre physique, dans le quel on suppose maintenant l'univers rangé. L' Esprit. Disc. 3. chap. 9.

(1) Vide librum, la philosophie du bon sens, hujus Auctoris opus, in quo materiæ creationem ex nihilo rationi opponi, & probabiliori opinioni oppositam dicit. Tom. 2. Refl. 3. §. 7.

(2) La spiritualité de l' ame est une invention de la politique Ægiptienne. Dieu donne des portions d'intelligence a des portions de materie organisé pour penser. Amusements litt. tom. 2. Quin immo parum interesse religioni, sit necne anima spiritus an materia, aperte docet, ut statim videbimus, Voltaire De la relig. naturelle.

Usages, interets, cultes, loix, tout differe;
Qu'on soit juste, il suffit, le reste est arbitraire.
Id. ib. Erreurs de Vol. t. 2.

pugnant *Thomas Hobbes* (a), *Toland* (b), *Collins* (c), *Charp* (d). *Dodvvelus*, ut alios omittam, illam veterum aliquorum Patrum de humanis animabus sententiam renovavit; quam nos statim indicabimus, & fusius suo loco exponemus (e). Dodvvelum antiqui erroris instauratorem acerrime impugnavit *Samuel Clarkius*, nobilis metaphysicus Anglus (f). Cum materialismus maximi momenti argumentum existat; quod summam etiam apud homines ejus auctoribus atque professoribus invidiam creat; ad ejusmodi invidiam, atque irreligionis notam declinandum, id in triviis, & circulis fere semper dictitant *spiritus fortes*, animæ humanæ materialismum rem esse pure philosophicam, ad religionem nequaquam spectare, immo & antiquos patres materialem illam tenuisse repetunt.

213. A bene multis incusari leges *Joannem Locke* doctum metaphysicum Anglum, quasi ille materialismo faveret, illiusque fundamentum poneret, dum demonstrari a nobis non posse suspicatur, nullam materiam cogitare (1). Ego tamen nullo partium studio, sed puro veritatis amore ductus ita existimo. 1. Lockium neque loqui, neque suspicionem illam suam modestius proponere potuisse. 2. Materiam cogitantem admittere, ad materialismum viam sternit; primumque est materialistarum dogma, & fundamentum: 3. Idem tamen non est, dubitare utrum demonstrare aliquando possimus, materiam non posse cogitare, atque materialistam, & impium reapse existere. Qui scilicet Deum, & animas humanas, & alios spiritus ab omni corpore prorsus distinctos admit-

(a) Leviathan cap. 12. &c.
(b) Apud Fayum defens. Relig. par. 1. c. 24.
(c) Bibl. Choisie tom. 26. p. 2.
(d) Hist. naturelle de l' ame.
(e) Bibl. Choisie tom. 26. par. 2.
(f) Bibl. Choisie ibid.
(1) Nous ne serons peut etrè jamais capables de conoitre, s' un etre purement materiel pense ou non -- Essais de l' entendement humain, loco jam sup. cit.

mittat, & teneat, ut reapse tenebat *Lockius*; interim tamen hæc a se revelatione quidem constare affirmet; & tenaciter amplectatur; materialista proculdubio non existit: licet non satis sibi naturali tantum mentis lumine agenti, & cogitanti constare dicat, quod nulla omnino materia cogitare possit. Uno verbo, materialista non est, qui Deum, animas, angelos spiritus esse fide credit, sola ratione naturali demonstrare diffidit. Qui hæc tenent, spirituum rationem, atque existentiam a cogitatione non probant, ut philosophis solemne est, sed a revelatione potissimum, peculiari cogitandi modo, aliisque capitibus demonstrant. Neque unus solum, aut alter est, qui religionem naturalem (cujus fundamenta sunt Dei, atque spiritus humani existentia) non a ratione, sed revelatione tantum probari existiment: e quorum numero sunt illustris *Huetius* (*a*), *Samuel Clark* (*b*), Dominus *VVats* (*c*) & alii. Qui hæc igitur duo dicat, falsam ille quidem in metaphysica sententiam tenere dicetur, irreligiosus tamen, impius, aut etiam heterodoxus ex eo capite dici non potest. Et hæc quidem in gratiam potius modestissimi hominis, & illustris philosophi, quam ut ejus sensum probem, dicta intelligantur. Quod antiqui etiam aliqui Ecclesiæ Patres falsam de humanis animabus sententiam tenuerint, in loco dicam. Interim certum est, a materialistarum systemate, & erroribus toto cælo illos distare.

PRO-

(a) La foiblesse de l' entendement humain. Criterium veritatis in sola revelatione constituebat. Vide quæ in Logica de hoc argumento dicimus.

(b) In aureo illo opere, la verité de la religion chretienne.

(c) The Strenght and VVeaknefs of human reason.

PROPOSITIO XVI.

214. *Materialismus, seu quidquid rerum existit, esse puram materiam, naturali rationi communique hominum sensui apertissime opponitur, falsum, & impossibile demonstratur.*

In materialismo præcipua hæc sunt capita, & totius systematis cardines: 1. materiam esse rem cogitantem: 2. materiam esse ens necessarium, æternum, ab alio non dependens: 3. hunc adspectabilem mundum esse fortuiti casus effectum: 4. Hæc vero, atque omnia systematis capitá, & corollaria a falso illo veterum principio, *ex nihilo nihil fit*, secundum eorum sensum accepto potissimum deduci. Si singula hæc evertamus, materialismum penitus profligabimus. Quod primum attinet, *materiam scilicet posse cogitare*, satis, opinor, falsum esse demonstravimus. Dixi jam; primum hunc esse ad materialismum aditum, & philosophicum scopulum, quem qui non vitet, omnibus philosophicis argumentis ad religionem naturalem probandum valedicit, & sese contra Diistas, & naturalistas omnem revelationem rejicientes exarmat. Si materia non potest cogitare, cum proculdubio in mundo sint entia cogitantia, quæ quidem causæ non cogitantis effectus esse non possint, ne effectus caussam suam perfectione superet; consequens inde est, esse aliquod ens cogitans non materiale, omnium aliorum entium cogitantium aut non cogitantium caussam. Hoc iterum argumentum in 2. parte, cum animam nostram spiritum esse adstruemus, ulterius confirmabitur:

215. *Materiam esse ens necessarium, & æternum*, nullumque aliud esse ens necessarium a materia distinctum, quod aliud est præcipuum materialistarum fundamentum, ita falsum esse demonstramus.

Demonstratio. 1. Si nihil est, nisi materia æterna, necessaria, infinita; hæc materia esset mobilis, & insimul immobilis, seu inmota omnisque motus incapax: quod est, hujusmodi dogma esse prorsus impossibile. Priorem partem facile concedunt omnes materialistæ: omne scilicet corpus, omnis materia modo est mo-

bilis, motus capax, ad motum saltem indifferens: quam autem modo habet, ab æterno habuit naturam. At insimul esset immobilis: 1. quia impossibile ponitur quodcumque aliud distinctum a materia: ergo materia illa æterna motum ab alio non accepit: de hoc etiam convenit materialista: ergo quomodocumque in materia æterna sit, & fuerit motus; origo, caussa, & principium ipsius motus est ipsa materia: materia igitur, seu corpus se ipsum tandem ad motum excitat, motum in se ipsa producit; suique motus caussa existit. Id autem esse falsum, & impossibile, universalis experientia demonstrat: nullum scilicet est corpus, quod se ipsum ad motum umquam egerit, eumque in se ipso produxerit: omnia tam ad motum, quam ad quietem indifferentia deprehenduntur: eamdem igitur indifferentiam semper habuerunt: neque enim mutarunt naturam. Præter constantem experientiam, a notione etiam & idea materiæ eadem consequitur veritas. Extensionem impenetrabilem mente parumper concipe: hac una idea verum concipis corpus: aliquodne tamen motus vestigium, caussa, origo in hujusmodi notione apparet? A vulgari lapide gravitatem, & omnem aliam motus vim extrinsecam sola mente, aut re etiam detractam parumper concipe: illene lapis sola gravitatis detractione spiritus evaderet? nonne massa adhuc iners, verumque corpus permaneret? sed opposita infantiæ præjudicia alio loco expensa impræsentiarum omittamus. A costanti sensuum experimento, atque testimonio, ab ipsa corporis idea argumentemur. Materia quiescens sese non deliberat, & reducit ad motum; mota vero non deliberatur ex se se ad quietem: cum igitur materia ponatur ens necessarium æternum, eamdem semper natura sua habuit indifferentiam. Si aliud diceretur; quænam caussa materiam ab æterno ex se se deliberatam, & actam effecit postmodum indifferentem, & rerum naturam immutavit? neque igitur in materia, neque extra materiam motus corporum principium atque origo existit.

216. Unum corpus, respondet *Spinosa*, ab alio, hoc aliud ab alio iterum ad motum agitur, atque impellitur & sic in infinitum (*a*). Verum hæc responsio ne-

(a) Etich. P. 2. prop. 13.

neque est ad rem, neque ipsimet Spinosæ placere umquam potuit. Sæpe enim cum ab amicis de origine, & caussa motus quæreretur, unde nimirum esset motus, quandoquidem neque materiæ essentialis, neque a caussa externa esse, ab illo ponebatur; quæstionem semper, & responsionem declinavit (*a*). Unde Tolandus, alter Pantheismi princeps, Spinosæ systema hac in parte sustineri non posse fatetur (*b*). Argumenti etenim summa est, unde est motus in materia existens? quænam ejus origo, & caussa? non Deus, ensve aliud a materia distinctum, ut fatentur: non materia ipsa, ut demonstravimus, & Spinosa non inficiatur: nulla igitur: materiaque proinde est, & fuit semper immota. A se ipsa, respondet 2. Toland, (*c*) movetur materia: ad motum non est indifferens, sed per naturam suam est actuosa, ad motum sese semper acta, motum semper producens, ipsa sibi est sui motus caussa.

217. Bene est; in ultimum confugisti profligati materialismi recessum, facile tamen expugnandum. Primo tamen rem affirmas a nullo concessam, sensibus, constantibus experimentis, iisque rerum contrariam: proba igitur, amabo, novum hoc paradoxon, *materia suum in se motum producit, est per naturam suam actuosa*: quamdiu id non efficias (efficere autem impossibile), caussa cecidisti, expositæ demonstrationi succumbis. 2. Omnium hominum, & sensuum experientia constat, omnem materiam, universa corpora esse indifferentia ad motum: naturam suam neque mutarunt, neque mutare umquam potuerunt: per naturam igitur ad motum fuere semper indifferentia. 3. Tandem etsi parumper daremus, materiam ex natura sua esse actuosam motus; non unam tamen præ alia directionem sibi assumeret. Corpus concipiamus in puncto, seu loco quocumque dato: ab eo loco infinitæ directionis lineæ ducuntur: corpus ab eo loco moveri non potest, nisi ad unam directionem præ alia deliberetur: ut est per sese evidens: deliberatio igitur

(*a*) Gurdon. l'incredulité sans excuse; idque patet ex litt. 63. ipsius Spinosæ.

(*b*) Letters to Serena. Lett. 4.

(*c*) loco citato.

tur ad motum deliberationem, seu electionem unius directionis præ omnibus aliis secum defert: at corpus ex natura sua ad omnes directiones est indifferens. Quod corpus moveatur ad dexteram vel ad sinistram, non definit esse corpus, seu naturæ corporis non opponitur, quod moveatur per hanc vel per aliam directionem. Id enim in omnibus corporibus quotidie videmus: moveri igitur, aut contendere ad dextram præ sinistra, non est ex natura corporis: caussa igitur, origo, seu electio directionis motuum non est ex natura materiæ, neque in materia ipsa consistit: ergo est in caussa ab omni corpore distincta. Rursus quoniam actio, seu deliberatio ad motum est insimul deliberatio ad certam directionem; si hæc secunda a materia esse non potest, non erit etiam prima. Tolandum igitur, & Epicurum pariter atque Spinosam demonstratio premit (*).

218.

(*) Pour moi, inquit Rottyseau, adversariis nequaquam suspectus, pour moi je me sens tellement persuadè, que l'etat naturel de la matiere est d'etre en repos, & qu'elle n'a pas d'elle meme aucune force pour agir, qu'en voiant un corps en mouvement, je juge aussitot ou que c'est un corps animé, ou que ce mouvement lui a eté communiqué. Mon esprit refuse tout acquiescement a l'ideè de la matiere non organiseé se mouvent d'elle meme ou produisant quelqu'action. J'ai fait tous mes efforts pour concevoir une molecule vivante sans pouvoir en venir a bout, l'idee de la matiere sentant sans avoir des sens me paroit inintelligible, & contradictoire. Emile. vol.3. pag. 34. . . . . Les premieres causes du mouvement ne sont point dans la matiere. . . . . il faut toujours remonter a quelque volonté pour premiere cause: car supposer un progres de causes a l'infini, c'est n' en point supposer du tout. . . . Je crois donc, qu'une volonté meut l'univers, & anime la nature . . . . . N'est il pas clair, que si le mouvement etoit essentiel a la matiere, il en seroit inseparable, il y seroit toujours au meme degré, toujours le meme dans cheque portion de matiere, il seroit incommunicable, il ne pourroit augmenter, ni diminuer, & l'on ne pourroit pas meme concevoir la matiere en repos? Ibid. pag. 37. 38.

218. *Demonstratio* II. Si materialistarum systema ponatur verum; materia & imperfecta, & insimul infinitæ perfectionis exsisteret: quod iterum est impossibile. Materiam esse ens imperfectum, facile nobiscum conveniunt materialistæ, quibuscum modo agimus. Materiæ frustum per se ipsum iners, ut probavimus, mobile, non simplex, non sapiens, ex partibus compositum, modo hanc, modo illam figuram, situm, ordinem ab aliis caussis pro lubitu accipiens, ab iisque circa hæc omnia dependens, rem esse imperfectam, atque ab idea infinitæ perfectionis infinite distantem, per se ipsum est manifestum: At insimul illa esset infinite perfecta: Ens scilicet, cujus perfectio, & natura a nullo esset limitata, & nullis finibus circumscripta, necessarium, omnino independens, atque æternum, est summa & infinita perfectio: nullos enim habere perfectionis limites, nulla majori perfectione possibili carere, esse ens per naturam suam necessarium, & a se prorsus existere, omnia, inquam, hæc sunt infinitæ perfectionis character. Enimvero ex eo quod aliquid dicatur esse ens necessarium & perfecte independens, æternum, & a se; necessaria connexione deducitur, esse Deum, seu ens infinitæ perfectionis exsistere (*a*). Etenim si est ens necessarium; est unicum, ut demonstravimus supra; si est unicum necessarium; omnia alia sunt contingentia: si contingentia; ergo sunt ab alio, hoc est, ab ente illo *necessario*, & *a se*: ergo ens necessarium continet rationem sufficientem, & perfectionem omnium possibilium; hoc est, infinitorum entium seu perfectionum finitarum: ergo est summe & infinite perfectum, hoc est, Deus. Materia igitur in systemate materialistarum & est Deus infinite perfectus, & insimul substantia imperfectissima.

219. *Demonstratio* III. In materialistarum hypothesi materia esset ens necessarium & simul contingens, manifesta idearum atque proprietatum contradictio: necessarium quidem, ut materialistæ omnes admittunt: con-

(*a*) Hanc porro connexionem inter perfectam independentiam ac necessitatem, & Deum ipse etiam fatetur *Petrus Bayle*, Philosophus quidem Epicureis non suspectus. Dict. critiq. v. Epicure. Rem. t.

contingens vero in hunc modum demonstratur. Materia vel esset, atque probaretur necessaria ex propria natura; atque perfectione, aut ex caussa necessario illam producente, & conservante, vel tandem ex effectu necessario atque ab illa pendente. At ex neutro capite materia est ens necessarium: non ex natura sua: ens enim ex natura imperfectum, immo & imperfectissimum, qualem esse materiam ipsimet materialistæ non negant, non est ens ex natura sua necessarium: hoc enim necessario esse ens infinitæ perfectionis, superius demonstravimus. Deinde ens necessarium non potest esse nisi unicum: plura entia necessaria involvunt contradictionem. Duæ illæ materiæ infinitæ portiones, quæ telluris, & Saturni globum componunt, sunt duo entia penitus distincta, & nihil a se mutuo dependent; cum sint per materialistam entia necessaria: si earum una deficeret; reliqua omnia mundana corpora permanerent: illa igitur materia non est necessaria. At omnis alia materia ejusdem plane rationis, aut perfectionis existit: quænam enim esset caussa, unde illa naturarum, & perfectionum inæqualium diversitas in entibus necessariis proveniret? universa igitur reliqua materia est pariter ens contingens.

220. Duæ aliæ dilemmatis partes adeo sunt per se se evidentes, ut nullus etiam Philosophus materialista materiæ necessitatem ab iis capitibus derivet. Quod caussam non habet, exsistendi necessitatem a caussa non accipit. Omnes tandem materiæ effectus, hoc est, atomorum combinationes, & motus ab ipsis etiam materialistis fortuiti ponuntur, nullaque necessitate in rerum naturam inducti: quæ hujusmodi sunt, entis necessarii sufficiens ratio esse non possunt.

221. Dico 3. *Falsum prorsus esse, atque impossibile quod adspectabilis mundus fortuiti casus, seu fortuitæ atomorum incursionis effectus exsistat:* quod aliud est præcipuum materialistarum dogma.

Demonstratio prima. Mundanum hoc universum illa est ordinatissima machina, cujus ingenium, compositio, ordo omnem humanam intelligendi vim longissimo intervallo superat. Propositionem per totam Physicam late demonstravimus, varias subinde ejusdem machinæ partes, seu corpora ita explicando, ut & nostra ad res tantas intelligendum imbecillitas, & insa-

ipsarum rerum dignitas, atque perfectio pari evidentia paterent. Nullus sane materialista est, qui vel vilissimi cujuscumque corporis naturam, texturam, partes, & intimum mechanismum intelligat, aut tamquam intelligentiæ ordinis superioris opus non admiretur. Ordinatissimos etiam non modo totius machinæ, sed peculiaris etiam cujuscumque ejus partis, ceu peculiaris machinæ motus, ingenium, mechanismum nulla temporum perennitate immutatum omnia entia cogitantia suspicimus, demiramur, non comprehendimus. A tot annorum millibus eadem semper astra easdem revolutiones conficiunt, eædem in tellure rerum vicissitudines, perennis & constantissimus ordo: ab humanis machinis (parumper enim materialistarum idiomate loquamur) aliæ, & aliæ in infinitum machinæ similes generantur, seu materia, ut materialistis placet, iisdem semper constantissimis legibus, atque ordinatissimis motibus dirigitur, & obtemperat. Modo sic: Nihil est in rebus sine ratione, & caussa sufficienti, a qua sit, & conservetur: at fortuitus, atque inordinatissimus atomorum concursus sine lege, neque ratione dirigente ratio & caussa sufficiens ordinatissimæ machinæ construendæ, atque constantissime conservandæ esse non potest: nihil scilicet rationi naturali magis opponitur, quam ipsummet perennem ordinem effectum confusionis existere, confusionem ipsam constantis ordinis caussam esse: quoniam igitur nihil est sine ratione sufficienti, confusio autem rerum constantissimi ipsarum rerum ordinis sufficiens ratio esse non potest; aliud ab hujusmodi rerum confusione opus est, quod effectrix, atque conservatrix hujus universi ratio, atque caussa existat. (*)

222.

(*) Quid potest esse tam apertum, tam perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur . . . . an vero si domum magnam, pulcramque videris, non possis adduci, ut etiamsi dominum non videas, muribus illam, & mustellis ædificatam putes? tantum vero ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum cælestium, tantam vim, & magnitudinem maris, at-
que

222. 2. *Demonstratio*. Ex eodem principio caussæ sufficientis demonstratio etiam in hunc modum instruitur. Aut universi machina est a materia, ut vi cogitandi prædita est, aut a materia, ut cæco tantum impetu, atque inordinatissimis motibus in se mutuo incurrit. Secundum data modo demonstratione falsum conficitur: superest igitur primum: modo sic: caussa, quæ effectum, seu machinam aliquam non cognoscat, non est ejusdem operis faciendi, & construendæ machinæ ratio, & caussa sufficiens, ut per se notissimum existit; atqui materia universam hanc machinam non cognoscit, ut materialistæ ipsi, hoc est, secundum eosdem Philosophos, pura materia cogitans, animadvertunt: eorum enim sensu & sententia materiales illi sunt hujus machinæ partes cogitantes, machinam vero non comprehendunt: idemque de omnibus aliis materiæ partibus cogitantibus dicere oportet. Sunt enim omnes eadem homogenea materia motu, figura, subtilitate cogitans: omnes igitur materiæ cogitantes, quæ in universa hac machina comprehenduntur, eamdem machinam non cognoscunt: universa igitur materia cogitans non est ejusdem universi construendi, atque conservandi ratio, & caussa sufficiens.

223. Utraque hæc demonstratio mentem cogitantem præjudiciis, atque animi passionibus non obcæcatam penitus persuadent. Enim vero hominem quemcumque, viatorem, Philosophum, rusticum, & quemlibet alium velis, viæ tibi comitem statue, & confabulatorem admitte; iis vero persuadeas, amabo, palatium quod demirantur mira arte constructum, Ægyptianum labyrinthum, amplissimam civitatem habitatorum numero, munimentis, architectura, divitiis, magnificentia, ordine ornatissimam, maritimam classem bellicam rebus omnibus instructissimam, Virgilii Maronis Æneida, omnia, inquam, hæc fortuito casu esse nata, nullius mentis, aut industriæ opus esse, a magno aliquo rudis, atque inertis materiæ cumulo inordinatissime tumultuante fuisse nata, & conservari.

---

que terrarum, si tuum, & non deorum immortalium domicilium putes, nonne desipere plane videare. Cic. de nat. deor. l. 2.

ri. Casu accidit, perge, ut atramenti particulae hac illac volitantes nulla cogitantis manu ductae, in eam tandem combinationem devenerint, ut Æneida composuerint. At haec omnia a me modo relata ab integra universi machina infinito fere intervallo superantur. Quid inde consequatur, facile vides: 1. nullus sanae mentis homo est, qui illa omnia (& potiori jure universum) ab intelligenti caussa esse, vel minimum dubitet: tumet ipse Philosophus materialista, cum animi caussa diversas civitates, provincias, regna, machinas invisis, cum libros evolvis, & mille id genus alias contemplaris, non cogitantium hominum, sed fortuiti casus opera te contemplari aliquando existimasti, aut tibi umquam in mentem venit? Pari animi aequitate, atque sinceritate de tota hac mundana provincia judicium feras; neque tibi ipsi perpetuo imponere incassum adnitaris. 2. Naturae id vox est, atque judicium, ea indole comparati sumus homines, ut puro rationis lumine ducti ex relatis operibus Deum, caussam intelligentem ab omni materia distinctam deducamus: Physica igitur humanae mentis indoles, conscientia, testimonium praesentem semper Dei demonstrationem suppeditant.

224. Duo ad demonstrationem declinandam reponunt materialistae: primum, hanc demonstrationem rhetoricam potius ad vulgus suadendum aptam, quam Metaphysicam ad Philosophi mentem debellandum opportunam. Tot rerum naturalium descriptionibus, imaginibus, atque pulcherrimis picturis phantasiam quidem, & imaginationem confundendo obruitis, quod commune oratorum vitium est; animam cogitantem, Philosophicam mentem ab hisce sensuum imaginibus, atque illecebris sese abstrahentem non convincitis. Respondeo: a rhetoricis descriptionibus, atque poetarum imaginibus consulto me in proponenda demonstratione abstinuisse (*), quod rem fuse in Physica pro-se-

(*) Longas hasce rerum physicarum descriptiones legere potes apud *Pluche*. Spectacle de la nature. *Derham*.... *Nieuwentit*.... & quamplurimos alios in oper. saepe a nob. citatis.

sequar, & quod impræsentiarum post materialem rerum universitatem perlustratam in idearum mundo cum materialistis spatiemur: omnia præcidamus, unique rei fundo tantummodo insistamus. Pura confusio non est ratio sufficientis ordinis: en totius argumentationis summam. Ordinatissimæ scilicet hujus universi machinæ, humanam intelligentiam infinito fere intervallo superantis, non modo formandæ, sed per plura jam annorum millia constantissime perennantis caussa, atque sufficiens ratio nequit esse confusio: cum igitur nihil sit in rebus sine ratione sufficienti; aliud sane a materia distinctum mundi universi ratio sufficiens existit. Hanc vero demonstrationem per se evidentem communi naturæ, atque humanæ mentis indole, & voce, cum in ingeniosissimam aliquam machinam incidit, confirmavimus. Quid hisce est cum rhetoricis imaginibus, atque descriptionibus commune?

225. Reponunt igitur 2. Dato semel chao, habemus rationem sufficientem hujus universi: quod in hunc modum probare contendunt. Præsens rerum ordo, combinatio & systema partium hujus adspectabilis mundi una est, atque fuit semper ex possibilibus combinationibus, in quam atomi ab æterno semper motæ devenire potuerunt: in eam semel devenientibus atomis, hoc est, præsenti rerum combinatione, & ordine posito, ad singula elapsæ jam mundanæ durationis instantia, *in eodemmet ordine conservari*, una iterum erat combinationum possibilium, in quas singulis momentis possent atomi incidere: habemus igitur possibilitatem rei, impossibile igitur non est, (quod demonstrationis scopus erat) præsentem mundum fortuiti casus effectum existere. Nullus, credo, erit materialista, qui aliquid a me eorum argumentis detractum esse queratur. Respondeo. Hæc omnia inutilia esse profligati materialismi effugia, quibus consistere non posse, ulterioris ejusdem demonstrationis expositione conficitur. Primo igitur in hac rerum universitate plures sunt perennes, constantissimæ, atque ordinatissimæ entium cogitantium series: hujusmodi *cogitare*, non erat in immensa æterni chaos confusione, in quo nihil erat, nisi infinitæ atomi tumultuantes, nulloque ordine hac illac æternum volitantes: in chao igitur non erat ratio sufficiens hujus universita-

sita-

sitatis rerum. Uno verbo, *cogitare*, *velle*, *amare*, *dubitare*, *odio habere*, *sentire*, *dolere*, *gaudere*, *eligere*, atque omnia alia cogitantis substantiæ munera sunt perfectiones, quæ modo sunt, non tamen erant in chao. Quod si ulterius contendat materialista, cogitationem, atque omnia alia rei cogitantis munera esse pura phænomena ab explicatione, evolutione ipsius chaos, a subtilitate, figura, & motu materiæ consequentia; iis omnibus demonstrationibus premeris, quibus ens cogitans non esse materiam; corpus non posse cogitare, superius demonstravimus.

226. Dico 2. Prætermissa etiam ratione sufficienti entis cogitantis, quæ non erat in chao, illic etiam non fuisse constantis rerum materialium ordinis rationem sufficientem. Integer hic mundus adspectabilis, atque singula corpora, & corporum ordines non modo eumdem servant constantissimum motuum, figuræ, proprietatum ordinem, sed insuper vim insuperabilem habent, conatum, & energiam ad eumdem ordinem conservandum; eumque conatum nullæ contrariæ vires quæcumque destruere, aut immutare possunt. Et hoc quidem facti veritas est: modo sic: etsi verum daremus, quod universæ atomi ad singula infinitorum sæculorum elapsa jam temporis momenta in eadem fortuiti casus combinatione, & motibus perseverare potuerint, eamque rerum, atque motuum combinationem fuisse in singulis possibilem; nisus tamen, ac vis insuperabilis eumdem ordinem conservandi fortuito casui contraria est, atque naturæ, & constitutioni chaos opponitur. Infinita scilicet illa atomorum, atque motuum confusio, atque oppositio principium non est, unde atomos ipsas, & elementa, cum in hanc, vel illam combinationem inciderint, illam semper insuperabili nisu conservaturas deducatur. In chaos igitur constitutione non est prædictarum virium, seu præsentis universarum rerum ordinis ratio sufficiens. Unde est, quod atomi, elementa, corpora habitum semel motum, & ordinem conservare adnitantur? Estne id ex natura materiæ, ex natura confusionis, ex natura chaos? Iis potius omnibus lex illa opponitur. Hæc est universalis lex omnium corporum, dices, quod semel in statu aliquo posita in eodem serventur: bene est, ad ultimum effugium devenimus. Vis tamen hæc atque lex physica omnis mate-

riæ non est a chao, seu infinitarum atomorum confusione: non est etiam a natura, & essentia materiæ, seu atomorum, secundum omnium philosophorum etiam materialistarum sententiam: extensio enim impenetrabilis corpus, & materiam constituit, habeat, vel non habeat vim sese in acquisito semel statu conservandi. Et quidem omnes, qui hanc in corporibus inertiam statuunt, ab externa semper caussa, suprema Omnipotentis Dei voluntate derivant: a primo igitur ad ultimum constat in materialistarum chao rationem sufficientem hujus universi adspectabilis non esse.

227. Aliqua tamen, reponit *Maupertuis* (*a*), superest probabilitas, posse mundum ex atomorum concursu fortuito combinari: qua stante probabilitate, nulla amplius est demonstratio. Respondeo, ne levissimam quidem probabilitatis umbram in re hujusmodi agnosci: neque satis mirari possum, quo pacto id sibi Maupertuis suadere tandem potuit. Esse aliquam probabilitatem, ut ab inerti materia inordinatissimo motu tumultuante fiat ens cogitans, ut materia ratiocinetur, ut mirabilis rerum omnium ordo, constansque materiæ ad ordinem servandum nisus, purum putum sit confusionis, atque indifferentis materiæ effectus, idearum nostrarum claritati, rationisque lumini opponi, superius confecimus resque ipsa demonstrat. Hanc tu alicujus probabilitatis cantilenam in medium producas, cum hominibus quibuscumque doctis aut in doctis, cultis aut rusticis persuadere adnitaris, ornatissimam, quam vident, civitatem, palatia, domos, animantia omnia, se ipsos, a tumultuanti luto fuisse casu fortuito formata. Tumultuantem iis potius cerebri tui materiam, & chaos sub cranio tuo inordinatissimum demonstrabis: teque interim ridendo ad insanorum carcerem amice conducent.

§. Ma-

(a) Essais de cosmologie. Avant propos.

§.

Materialistarum argumenta, seu sophismata.

228. Materiam esse rem cogitantem, primum illud est materialismi fundamentum, quod materialistæ ita stabilire adnituntur.

Primum. Anima humana ad cogitandum, atque ad cæteros omnes ejusdem animæ actus peragendos a materiæ, seu corporis organizatione, atque ab externorum corporum actionibus dependet: id scilicet nos etiam admittimus, & fuse per totam physicam viventium probavimus, & quotidie in omnibus hominibus animadvertitur: cogitatio igitur est a materia dependens: poteſtque proinde corpus cogitare (a). Me fere pudet hæc afferre, in his immorari: neque philosophus aliquis, si se amat, tantilla hæc ad rem gravissimam, & certissimam impugnandam adducere meo saltem judicio deberet. Eodem modo aerem vivere, & esse animam in nobis viventem probares: omnes vitæ nostræ functiones pendent ab aere, neque sine aere fieri, ant stare possunt: vita igitur nostra est ab aere, & consequenter aer in nobis vivit. Respondeo igitur, duo esse inter se diversa, esse substantiam cogitantem, & cogitationem de aliquo corpore, hunc vel illum sensum, aut objecti cognitionem habere: hoc secundum a statu corporis, & ab objectorum actionibus dependet: primum a secundo penitus diversum ipsamet animæ essentia existit.

229. *Secundum*. Negari in animantibus brutis sensus, perceptiones, & alia multa humanarum animarum cogitationibus similia non possunt: quod enim hæc *instinctus* nomine donentur, parum refert; de re convenimus: eorum tamen animæ juxta communem scholasticorum saltem sententiam sunt substantiæ materiales: quin immo non defuere etiam, qui ejusmodi materiales animas dicerent esse divisibiles: si ergo materialis substantia divisibilis cognoscit, instinctu percipit, sentit; cur hæc omnia efficere non poterit sub-

(a) Ita argumentatur *Charp*: histoire naturelle de l'ame.

substantia materialis proprie dicta, seu materia; si enim habere partes, & esse substantiam materialem cogitationi non opponuntur; poterit etiam materia cogitare. Resp. Hujus argumenti caussa, quod late in Physica viventium prosequimur, animas brutorum neque divisibiles, neque materiales esse adstruximus, sed aut inferioris ordinis, conditionis, & generis, quam nostræ hominum animæ existant, spiritus esse, aut substantias immateriales simplices inter materiam & spiritum medias, probavimus. Nobis igitur potius favet, quam opponatur relatum argumentum. Uno verbo, adducta difficultate soli Peripatetici premuntur, quam declinare numquam poterunt; nisi animas brutorum animantium simplices esse dicant, illasque reapse, sin minus voce, substantias medias inter materiam & spiritum statuant.

230. 3. Opponitur. Parum digne de Divina omnipotentia sentire videmur, quam magnopere deprimimus. Cur enimvero materiam efficere cogitantem, cogitationem corpori tribuere posse, omnipotenti caussæ negabitur? Qui ita argumentatur (*Joannes Locke*) (*a*), materialista proculdubio non est, ut ex ipsa argumenti propositione constat, & jam superius diximus. Resp. Non demisse, atque indigne de Divina omnipotentia sentit, qui ab illa creari non posse existimat quadratum circularem, cubum sphæricum, creaturam necessariam, materiam, quæ sit ens a se, & infinita hujusmodi alia contradictionem per se involventia: id scilicet in omnipotenti caussa defectus, aut imperfectionis argumentum non est, sed idearum in objecto ipso contradictio, atque impossibilitas existit. Nullus est, ne ipse quidem, a quo ista proponuntur, qui hæc ignoret, aut non fateatur. Parem vero nos in materia cogitante idearum contradictionem agnoscimus, & huc usque demonstravimus.

231. 4. Quonam jam nostra hominum industria in mirabilibus phænomenis ope mechanismi edendis non devenimus? eo sane materiam humanum ingenium adduxit, ut actiones edat humanis a cogitatione provenientibus non dissimiles: si ergo tanta ab humano ingenio in materia peracta sunt, a caussa scilicet igno- ran-

(a) Essais de l'entendement. l. 4.

tantissima; quare a Deo ipso, ut materia cogitet, effici posse negabitur? Major enimvero est inter hominem, atque Deum distantia, quam inter humana artefacta & animantia bruta, seu materiam cogitantem intercedat. Hoc argumentum, quo *Des-Cartes*, ut bruta animantia machinas esse probaret, usus jam fuerat, hoc loco ad rem suam ex Cartesio desumpsit *Locke*: illud tamen in re præsenti est plane enerve. Ita enim argumentando, æquo jure materiam seu corpus spirituale, horologium cogitans, ratiocinans, liberum, doloris, gaudii, amoris, atque odii capax, & similia alia monstra effici a Deo posse contenderes. Omnia tamen hæc, perinde ut materia cogitans, a machinis illis humanis, seu humani ingenii in construendis machinis subtilitate, & inventione nullo modo deducuntur: Inter horologium, seu machinam quamcumque aliam ab hominibus, aut a Deo factam, & materiam cogitantem eadem distantia est, quæ inter circulum & circulum quadratum, hoc est, inter rem existentem & aliam impossibilem, quæ neque dimetiri, neque superari potest. Sed hoc argumentum in Physica fusius solvimus.

232. Non existere Deum aliquem, ens a se, ab hac rerum universitate distinctum, quod est alterum materialismi caput; hisce sophismatibus suadere conantur materialistæ: I. Deus secundum nos est substantia spiritualis infinita: at neque spiritus, neque substantia non infinita extensa, seu non divisibilis ab humano intellectu concipi potest: quidquid concipimus est extensum, materiale, divisibile: Deus igitur, quem credimus, & demonstramus theistæ, rationi naturali repugnat; neque aliud est ab hac rerum universitate diversum. Respondeo: Imprimis ab ipsis etiam materialistis suum etiam sophisma solvi opus est. Infinita sunt, quæ humana materialistarum, aliorumque hominum ratio neque intelligit, neque ullam de iis ideam habet; cum tamen ipsa sint verissima, atque sensibus, conscientia, ratione ipsa existere demonstrentur. Ut e multis pauca attingam, ingenione tuo atque ratione assequeris, materialista, inertem per se materiam cogitare, quæ modo fuit vegetans in hortis lactuca, fieri postea in te cogitantem substantiam? Ideas rerum habemus, acquirimus, servamus: quid

 hæc

hæc tamen sunt, quomodo comparantur, ubinam servantur? quidnam rei est, te tibi, sensibus omnibus feriantibus, hoc universum in tenebris repræsentare? quamnam habes de rebus hisce, de tuamet natura ideam? existis tamen in rebus tibi ipsi ignotus, atque a ratione tua numquam comprehensus: fatearis igitur, opus est, quamplurima certissime existere, quæ nos nequaquam intelligimus; aliud esse existentiam, aliud vero modum, & naturam rerum: passimque fieri, ut rem esse, ratione ipsa, conscientia, aut sensu demonstremus, rei tamen modum, ratio ipsa ignoret. Omnia hæc materialistas non latent; argumenti infirmitatem apprime etiam norunt: ne tamen nihil in medium adducere videantur; quidquid ratio suggerit, avide arripitur.

233. Attamen, repones, non modo infinitam substantiam sine extensione ratione non comprehendimus; verum etiam necessariam connexionem inter infinitam substantiam atque extensionem clarissime perspicimus: quidquid autem claræ ideæ repræsentant, est verum: substantia igitur infinita sine partibus rationi opponitur: ens igitur necessarium habet partes infinitas, est materia. Resp. De ente necessario demonstramus esse substantiam infinitam in perfectione, seu infinite perfectam, nequaquam vero esse extensione infinitam perinde, ut materiales substantiæ etensæ existunt. Tantum vero abest ut prima illa idea substantiæ infinitæ perfectionis secundam aliam de extensione infinita in partes divisibili secum deferat, ut potius maxima inter hasce ideas oppositio clarissime appareat: esse enim compositum ex partibus est imperfectio; nulla autem imperfectio in substantia infinite perfecta in omni perfectionum genere esse potest: recte igitur stat nostra demonstratio, secundum clarissimas ideas rem semper promovemus, nullaque est inter hujusmodi ideas oppositio.

234. Argumentantur 2. Si aliquis est Deus, ens a se infinite sapiens, rerumque omnium principium, & caussa, ut statuimus; nihil sane Deus ille ageret, quod non esset ordinatissimum, atque secundum constantes leges semper regeretur: in quocumque igitur primæ caussæ effectu, in adspectabili hoc mundo nihil esset non ordinatum: at opposita omnia ubique terrarum observamus; quot scilicet in terraqueo hoc

globo

globo monſtra, inconcinnitates, phænomena nullo ordine, nulla conſtanti regula conſtituta, atque a præſcripto rerum fine aberrantia? Hominis enim vero, potiſſimi in mundo viventis, cauſſa materiale hoc rerum ſpectaculum conditum eſſe dicitis: quorſum igitur lethalia tot ſerpentium venena, ferarum crudelitas, tot incommodiſſima inſecta, tot monſtra a ſuis quæque ſpeciebus degenerantia, atque homini proculdubio noxia, aut inutilia? quid quod infinita fere rerum phænomena ignoramus, eorum cauſſas neſcimus, neque ulla ſciendi ſpes affulget: omnia, inquam, hæc, atque infinitæ aliæ rerum abſurditates mundum ſane demonſtrant nullo ſapientiſſimi conditoris conſilio conditum, ſed caſu potius ex æterno chao eductum, atomorum combinatione factum, iterumque in primævum chaos ſolvendum.

235. Reſp. In toto hoc argumento nihil aliud viſitur præter obſcuram idearum confuſionem: non ab ideis claris, ut fieri deberet, argumentum deducit materialiſta, ſed ex confuſis aliquot imaginationis ideis male ſenſu comparatis, obſcura imaginatione auctis citra connexionem aliquam clare viſam materialiſmum deducit. Ut res ad evidentiam pateat, ſatis eſt a materialiſta quærere, unde hæc argumenti capita habeat, aut demonſtret: 1. omnia propter hominem a ſummo rerum auctore condita eſſe, neque aliter fieri potuiſſe: quid ſi negem? quis infinitæ incomprehenſibilis ſapientiæ conſilia perſcrutatus viliſſimis homuncionibus revelavit? 2. unde etiam monſtra generali, atque ordinatiſſimo rerum ſyſtemati, & ordini conſona eſſe non poſſe? Si Deus eſt, ut eſſe demonſtravimus, infinitæ ſapientiæ, atque conſilii Deus, nos vero homines, entia imperfectiſſima, atque infinito intervallo a Dei perfectione diſtantes; infinita Numinis conſilia, eorumque ordinem, atque rationem non attingimus: unde ergo, quæ in mundo vocamus monſtra, ab ignorato a nobis ſupremi Numinis conſilio diffidere pronuntiabimus? ad ejuſmodi enimvero ſententiam ferendam omnia Numinis conſilia introſpicere, & effecta ipſa, corpora, monſtra, eorumque naturam penitiſſime ſcire opus eſſet: eſt tamen hominum aliquis, qui hæc omnia craſſiſ-

fime non ignoret ? 3. qui etiam probabis, veram te mali physici ideam habere? quamdiu scilicet generalem systematis rationem, ordinem, & finem ignoras (ad quæ ratio mali refertur), nihil physice malum esse, pronuntiari potest. Quid enim, si hæc ipsa venena generali rerum ordini, atque systemati, quem ignoras, consonant? tum vero mala amplius non erunt, quantumvis peculiari alicui entium speciei opponantur. 4. Quis etiam materialista umquam demonstrabit, mala hæc physica, ita enim, per me licet, parumper illa nuncupemus, a morali aliquo hominis ipsius malo tamquam veram pœnæ rationem non derivari, eoque pacto generalis ordinis, atque systematis rationi necessarium potius esse, quam dissonum? Omnia hæc in argumento a materialista ponuntur, & confusissime secundum vulgi ideas assumuntur: conscius ille sibi est, nihil ex iis probari posse, ut paucis hic indicavimus; fusius infra rem demonstraturi, cum Numinis providentiam contra materialistas Epicureos vindicabimus; atque *malum* Manichæorum principium rejiciemus. Quod infinita fere ignoremus rerum phænomena, caussas; materialia hæc corpora comprehendere nequeamus; quorsum a materialista adducatur, satis non video: quid enim mirum, si infiniti Numinis consilia, & opus imperfectissima homuncionis ratio non assequatur? necessaria id est demonstratæ a nobis veritatis consequentia. Mirum magis esset, si fortuitum inertis materiæ opus cogitans alia, atque perfectior materia non comprehenderet.

236. 3. Opponunt. Ut mundum adspectabilem neque a chao, & fortuita atomorum incursione, neque ulla alia ratione mechanica, sed a solo Numine cogitante; atque a materia distincto originem habere posse pronunciemus; opus sane esset rerum corporearum, mundique ipsius naturam prius habere exploratam: qui enim effectum certum a certa etiam caussa esse non posse dicemus, dum neque effectum, neque caussam, neutriusque vires agnoscimus? at omnesne nos naturæ vires novimus? in præsenti igitur statu; atque rerum ignorantia, dum effectrices totius naturæ, omniumque caussarum vires nos latent, Dei existentiam ab hoc adspectabili mundo demonstrare non possumus

ſumus (*). Indecorum ſane eſt humano intellectui; atque voluntati poſt tot clariſſimas demonſtrationes in tot ſcientiarum, atque ingeniorum lumine iis adhuc quiſquiliis ad rem maximi momenti decidendam duci; hæc ſcribere, atque in medium producere: Reſpondeo: Pedetentim igitur cum adverſario materialiſta agamus, ab idea ad ideam clara ſemper connexione hominem deducamus. Eſtò, parumper id permittamus, ſit aliqua cauſſa naturalis in intimo rerum ſinu latens, humano intellectui occultiſſima, a qua forſan adſpectabilis mundus exiſtit: bene eſt: illa cauſſa, quæcumque tandem ſit, eſt per te corpus, pura materia, ex partibus compoſita: non eſt res cogitans, ut fuſe ſuperius demonſtravimus: non eſt igitur ratio ſufficiens entis cogitantis: ab illa igitur non ſunt entia cogitantia contra ſtatutam a te hypotheſim: Rurſus eſt pura materia, omniaque puro motu producit ſecundum materialiſtarum dogma: at neque motum habet ab alio ſecundum hypotheſim, neque a ſe, ut materialiſtæ ipſi fatentur, & contra Tolandum ſupra demonſtravimus. Sed hæc, & alia hic iterum repetere ſuperfluit: Hæc duo demonſtravimus: I. quæcumque ponatur cauſſa, a qua cætera moveantur, ipſa vero a nihilo dependeat, illa proculdubio eſt *ens a ſe*, cogitans, ſimplex, infinite perfectum. II. Ut adſpectabilem mundum ab Epicureo caſu originem habere non poſſe; a nulloque alio eſſe, niſi ab ente neceſſario cogitante ab omni materia diſtincto, affirmemus; opus non eſt, omnium corporum, atque materialium cauſſarum vires ſingillatim exploratas habere: non omnia, quæ poſſunt, ſed quod non poſſunt, clariſſimis ideis inſpicere

(*) Ita ſcilicet opponit recentior materialiſta Anglus — connoiſſon nous aſſez la nature des choſes, pour decider, qu' un monde ne peut venir a etre, que de la maniere, que nous le concevons? Qui ſait, s' il n' y a pas dans le ſein de l' etre mille reſſources, dont nous n' avons pas meme l' idee? Qui ſait, s' il ne ſe trouve pas dans l' etre des forces productrices pour telles productions? Biblioth. Raiſonnée t. 48. p. 267.

cere sufficit. Satis, inquam, est, clarissimis nostris ideis intelligere, secundum naturales rerum notiones ab ipsismet materialistis probatas, a cæca materia non cogitante, ab infinitarum atomorum nullo ordine tumultuantium confusione ordinatissimum universum, atque adspectabilem hunc mundum, constantissimas naturæ leges, vim ad ordinem & leges servandum insuperabilem, entia demum cogitantia esse non posse, nullam harum rerum esse in data illa hypothesi rationem sufficientem, effectusque perfectionem non modo Epicuream illam caussam infinite superare, sed clarissime caussæ ipsi opponi. Eo usque rem videmus, nihil aliud requiritur.

237. 4. Opponit idem materialista: Hujusce mundi structura, atque contemplatio argumentum existentiæ Numinis esse non potest; nisi antea omnis existentiæ caussam rem esse *a se*, & cogitantem metaphysicis rationibus conficiamus (1). Respondeo: Hujus argumenti falsitatem hactenus dicta satis demonstrant: licet nullum alias esset argumentum metaphysicum, quod citra adspectabilis mundi considerationem ens aliquod a se & cogitans demonstraret; satis tamen ejus existentiam mundus ipse ordinatissimus conficeret, ut luculenter in superioribus ostendimus. Præterea vero metaphysicas demonstrationes evidentes in argumento indicatas non desiderari, tota hac quæstione evincimus.

238. 5. Opponit idem scriptor: Exiguam tantum mundi, seu corporum partem cognoscimus: quodnam autem absurdum est, tantillæ rerum cognitioni totum systema superstruere, unde omnium rerum caussa deducatur? (2) Respondeo: Non modo exiguæ mundi par-

(1) Il est impossible que la structure du monde devienne jamais preuve de rien, jusqu'a ce qu'on ait fait voir par le secours de la metaphysique, que le principe de l'etre est un agent, un etre intelligent, & existant par soi. Biblioth. Raisonnée. ibid.

(2) Nous ne connoissons, qu'une tres petite partie du monde: or n'y a t-il pas de l'absurditeé de vouloir, qu'une si petite partie serve de base au systeme, qui doit rendre raison du principe de tout ce qui est? ibidem.

partis, sed vel unius tantum corporis, aut rei cogitantis cognitionem ad supremum aliquod Numen *a se*, cogitans demonstrandum satis esse, in prima hujusce Metaphysicæ propositione ad evidentiam demonstravimus: ubi ab una etiam cujusque nostrum cogitantium existentia Deum existere clarissime deduximus. Locum citatum videas, ne rem actam iterum agamus. Sed quid? Integrum a te universum cognosci, & mente comprehendi ponamus: quid hæc? universum integrum tantilla res est, & fere nihil, si ad Deum comparetur.

239. 6. Opponit idem Philosophus: Argumentum a mundi contemplatione ad Numinis existentiam demonstrandam desumptum, in eam caussarum seriem infinitam nos deducit, a qua extricari mens humana non potest. A mundi enim consideratione tanti operis auctorem quærimus; inde vero in ipsius auctoris caussam, atque originem devenimus, & ita deinceps, quin ullum invenire valeamus primum seriei caput: adducta igitur demonstratio vulgare potius, atque Rhetoricum argumentum est ad indoctæ plebis mentem, & aures pulchris imaginibus percellendas, quam philosophicum ad philosophi cogitantis mentem evincendam atque suadendam efficax (3).

240. 7. Idem vero argumentum alia etiam ratione proponit *Hume*. Ens necessarium, seu Deum ex mundi consideratione ob necessariam, atque evidentem connexionem deducitis, inquit; at ex effectu par solummodo perfectio demonstrari potest in caussa; ea siquidem caussæ debet esse perfectio, quæ ad effectum requiritur, & sufficit: ad effectum autem producendum æqualis in caussa perfectio opus est, atque sufficiens: a mundo igitur, effectu scilicet *ab alio*, finito, imperfecto ens a se

(3) Je n'avois d'abord qu'un embarras: c'etoit de savoir ce qui peut avoir produit ce monde si bien ordonné, si plein de merveilles: pour m'en tirer, vos me jettez dans un autre un peu plus grand, savoir, d'ou peut etre venu le merveilleux auteur, le subtil artisan, qui a fait tout cela. Au lieu d'une merveille en voici deux: & la derniere renchérit meme sur l'autre. Bibl. Raisonneé. ib.

a se, infinitum, hoc est, Deus demonstrari omnino non potest (a).

Respondeo: Nego ex allata demonstratione in seriem aliquam caussarum infinitam nos deduci: idque ex demonstratione ipsa patet; & ulterius in hunc modum conficitur. Nullum ens ab alio est ratio, & caussa ultima sufficiens mundi adspectabilis; seu universitatis rerum. Illud scilicet ens in eadem rerum universitate comprehenditur: sique esset totius universitatis caussa; sui etiam ipsius caussa sufficiens & ratio ultima esset; amplius igitur non esset ens ab alio, sed *a se*: ultima enim sibi esset existentiæ ratio. Deinde sit mundi auctor ens ab alio, & quamcumque velis seriem tibi finge: integra hæc series existit: mente igitur considerari potest perinde ut existit, hoc est, ut unum objectum existens totum simul; simul enim existit. Si igitur non est ens a se; tota series est ab alio: ens autem ab alio non est ratio ultima sufficiens & caussa suæ existentiæ: ergo integra series entium ab alio non modo integri mundi adspectabilis, sed cujuslibet etiam entis ab alio ratio sufficiens esse non potest. Habet tamen mundus rationem sufficientem: ea igitur necessario est ens a se. En igitur Numinis demonstrationem ab adspectabilis mundi consideratione deductam citra ullam omnino seriem.

241. Secundum pari facilitate diluitur: Ab effectu certo existente caussa, & ratio illius sufficiens ultima demonstratur: ratio ultima sufficiens effectus est *ens a se*: ens scilicet ab alio non esse ultimam rationem sufficientem, evidens per sese existit. Ex idea autem *entis a se* ob necessariam connexionem illud esse necessarium, infinitæ perfectionis, cogitans, spiritum &c. demonstratur: a mundo igitur adspectabili, ex effectu ab alio major perfectio in ultima illius caussa & ratione sufficienti deducitur; quam illa ejusdemmet effectus existat.

242. Sequentia etiam contra Dei existentiam opponunt materialistæ: & primo quidem *Toland* (b), & *Gil-*

(a) *Hume* Essais philosophiques.
(b) Lettre 3. sur le mouvement.

Glidon (a). Etsi Deus per nos sit ens neque divisibile, neque figuratum, neque mobile, materiam tamen divisibilem, figuratam, mobilem creavit; pari igitur ratione statui a nobis potest, licet aliqua sint entia cogitantia, &, si vultis, etiam libera, Deum tamen neque esse ens cogitans, neque spiritum, neque liberum: eumque proinde dicere merito possumus materiam ipsam æternam, necessariam, unicam. 2. Quid sit Deus, plane nescimus, illum mente non comprehendimus, non intelligimus, de illo ideam non habemus. 3. Infinitum dicimus, atque æternum; interim tamen quid sit infinitum, quid æternum, non capimus; quid est æternitas, quid esse æternum? 4. Dicimus esse spiritum, & universale omnium motuum principium, motumque ab ipso fuisse corporibus primo impressum; quo autem pacto moveri potest corpus a spiritu, re scilicet non impenetrabili?

243. Respondeo: Hæc omnia ejusmodi sunt, quæ ab ipsis etiam materialistis, tamquam sophismata rejiciantur, opus sit. Ad primum: non posse a caussa perfectiorem se ipsa effectum produci, omnemque effectus perfectionem in caussa contineri oportere, rationis lumen demonstrat: contra vero opus non esse, ut effectus caussam semper perfectione adæquet, ratio & communis omnium experientia ostendunt. Neutrum materialistæ inficiari possunt; agisne semper, quantum potes? falleret autem primum, si a caussa non cogitante res cogitans efficeretur: contra vero esse divisibile, mobile, figuratum imperfectionem secum continent, quæ in caussa necessario esse non oportet. Ad *secundum*: Si, quæ non intelligis, inficiari jure potes; nega te ipsum, materialista; tuasmet ideas, memoriam, tempus, & infinita alia a te negari oportet, quæ a nullo mortalium proculdubio capiuntur. Aliud igitur est, rei naturam, aliud vero existentiam intelligere, sentire, demonstrare. Clariora hæc per se sunt, quam ut demonstrari opus existat; neque ab ullo materialista in dubium vertuntur. Si terrena hæc & finita corpora non comprehendimus finitæ etiam mentes; quomodo infinitum, ad quod nullam habemus rationem, vilissimæ creaturæ capiamus?

(a) Oracles de la raison.

mus? Deus non esset, si a finita aliqua mente posset comprehendi.

244. *Tertium* ejusdem furfuris existit, & eadem ratione solvitur. Materiam statuunt æternam materialistæ; quin tamen vel æternitatem, vel quid sit, esse æternum ipsi intelligant. Æterni nomine duo illa significamus, & intelligimus superius definita. Duplicem illam æternitatis cum intrinsecæ, tum extrinsecæ notionem quam enti *necessario & a se* per naturam suam convenire demonstravimus, satis intelligimus. Quod si claram de fluxa jam æternitate ideam non habemus; quid inde inferes? tempusne esse, & perenniter fluere dubitabis, propterea quod neque tempus, neque temporis fluxum satis intelligis? Quod quarto loco opponitur, eodem modo solvitur, nihilque difficultatis continet, quod luculenter jam non fuerit in superioribus dilutum. Postremo tandem loco vulgatissimum, & celebre illud veterum effatum, *Ex nihilo nihil fit*, nobis opponit materialista. Ex nihilo, inquit, nihil fit: ergo materia non est facta ex nihilo: æterna igitur, atque increata: a nullo idcirco dependet: est ergo ens necessarium: præter materiam igitur nihil est; cum unicum esse possit ens necessarium: materia igitur cogitat: mundus nihil est, nisi materia: non est ergo Deus ens aliquod spirituale distinctum a materia.

Hoc argumentum ad hujus mundi originem explicandum, meditandum, evolvendum nos deducit: ut igitur rem pro dignitate examinemus, peculiare argumentum statuamus.

§.

Origo mundi, atque celeberrimum illud antiquorum effatum, ex nihilo nihil fit, *aliud materialistarum argumentum, exponitur, & examinatur.*

245. Ut alia materialistarum argumenta superius indicata, & a diversis Dei attributis desumpta prosequamur; a celeberrimo hoc veterum principio *ex nihilo nihil fit*, quod materialistæ semper crepant, incipiamus. Evidens illud est, inquiunt, philosophorum effatum, *ex nihilo nihil fit*: quidquid ergo rerum existit, necessario semper fuit, ex nihilo incipere

pere non potuit : materia igitur universi est ens æternum necessarium : necessarium autem non nisi unicum : præter materiale igitur universum non est aliud ens necessarium. 2. Ex eodem principio alia ratione argumentum deducit *Bayle*, ut *Spinosam* excuset. Creatio ex nihilo, inquit, est impossibilis juxta notissimum illud principium, *ex nihilo nihil*: materia igitur est æterna: rem aliquam esse æternam, quin illa sit Deus, humanæ rationi opponitur. Alia vero ex parte a spiritu infinito, infinite bono opus adeo imperfectum, qualis est adspectabilis mundus, fieri potuisse, impossibile apparet: id igitur unum superest, ut universam materiam Deum dicamus. Atque inde omnia Pantheismi absurda deducit. Habes materialistarum argumenti summam. Responsio ab ipsis etiam materialistis, velint nolint, probanda, facillima est. Ut planior tamen fiat; duo animadvertamus, quisnam philosophorum, quisnam principii ipsius sensus sit.

246. *Primum*: Si *Grotium* (*a*), *Huetium* (*b*), *Pfanerum* (*c*) *Dikinson* (*d*), Anglos historiæ universalis auctores (*e*), *Fabritium* (*f*), & alios audiamus; veteres Philosophi Græci, Phœnicii, Ægyptii, Magi, Indiani, Sinenses creationem rerum ex nihilo agnoverunt, & tenuere. Contra vero secundum *Tullium* (*g*) & *Gassendum* (*h*) alia plane fuit & opposita omnium veterum sententia: Tullii sensum longa, & accurata dissertatione confirmat Moshemius (*i*). Negari non potest, *Boetium*, egregium Philosophum Platonicum ex magistri sententia materiam posuisse æternam, a Deo tamen creatam (*l*). Rem ulterius pro-

(a) De verit. relig. christ. l. 1. §. 16.
(b) Quæst. Alnet. L. 7. c. 5.
(c) Syst. theolog. gentil cap. 5.
(d) Phys. vet. cap. 10.
(e) Tom. 1. Introd.
(f) Bibliot. græca, l. 2. c. 12. §. 7.
(g) De divinat., l. 2. n. 37.
(h) Phys. t. 1. sect. 1. l. 1. cap. 6.
(i) Moshem. dissert. ad Syst. intell. Cudvvorth.
(l) De consolat. philos. lib. 5.

promovit *Budæus*, creationemque ex nihilo sola revelatione innotescere hominibus posse existimat: eo igitur auctore, si qui antiqui Philosophi, aut nationes creationem rerum ex nihilo a Deo in tempore factam tenuerunt; ii quidem aut rem traditione Patrum acceperunt, aut ab Hebræorum commercio didicere. Hactenus quidem pro utraque parte philosophica controversia, atque eruditionis caput innoxie agitatur, atque dirimitur. In Theologiam tamen committunt *Burnet* (a), & *Beausobre* (b), quorum opinione creatio rerum ex nihilo ex *sola* Christiana Theologia hominibus innotuit: *Moyses* igitur, *David*, Prophetæ, Hebræi omnes materiam tenuerunt æternam, quod asseri citra piaculum non potest.

247. In tanta opinionum circa veterum philosophorum sensum varietate, quid tenendum, atque de antiquis ipsis credendum sit, curiose ex me quæres: nihil, respondeo. Mea hæc sententia est circa sexcenta alia eruditionis capita, in quibus de veterum sensu post duo aut tria annorum millia acerrime disputamus; cum neque linguas, neque mores, neque ideas aut cogitandi modum earum antiquissimarum gentium ne mediocriter quidem calleamus. Homines post duo aut tria annorum millia perinde video, ut saturnum, & planetas cæteros. Eadem fere rerum obscuritas ex temporum, atque ex locorum distantia. Post factum non semel periculum ita sententiam fero. Quid igitur de principio, *ex nihilo nihil fit*, antiqui philosophi existimaverint, in medio relinquo. Verosimilius crediderim, ut in rebus fere omnibus humanis, diversam fuisse etiam in præsenti argumento sententiam; neque ullum ab eorum testimonio duci posse ad partem aliquam probandam documentum.

248. Secundo dico, celeberrimi illius principii triplicem esse sensum, superius jam a nobis expositum: quorum primus est, *nihil nullius rei seu effectus potest esse caussa*. Secundus, *nihil nullius rei potest esse subjectum, ex quo aliquod fiat, vel quod aliquam formam accipiat*: seu *ex nihilo tamquam ex subjecto*

(a) Hist. Eccles. vet. test. Prolegom.
(b) Archæol. phil. lib. 1. cap. 7.

jecto nulla res potest educi. Tertius, *nulla res de novo creari potest, ita ut antea non fuerit: seu nulla res incipere absolute potest, quæ antea jam, imo & ab æterno non fuerit*. Quonam sensu principium usurpaverint veteres: idem necne ii omnes intelligerent; an potius, ut sæpe fit, in rei etiam idea non convenirent; dubium iterum esse pronuntio.

249. Dico 3. Principium, *ex nihilo nihil fit*, in duplici priori sensu acceptum evidens per se est, atque naturali rationis lumine manifestum. Purum scilicet *nihil* alicujus effectus caussam esse posse: purum *nihil* in hunc vel illum modum posse modificari, seu, quod idem est, purum *nihil* subjectum esse posse, in quo aliquid recipiatur, vel quod hoc vel illo modo in diversas formas modificetur, rationi penitus opponitur. In quocumque ex hujusmodi sensibus principium illud veteres Philosophi intellexerint, verissimum statuebant axioma, a nemine in dubium vocatum.

250. Principium *ex nihilo nihil fit*, in tertio tandem sensu ad rem nostram attinente acceptum ipsimet naturali rationi cogitanti, atque ideas suas expendenti apparet, & evidenter demonstretur falsum; atque in hujusmodi falsitatis detectionem ipsamet humana ratio cogitans, atque ab evidenti in evidentem semper cognitionem progrediens suopte ingenio devenit. Alius necne fuerit veterum aliquorum de illo effato sensus, nihil pensi habeo. Primo quidem, quod aliquid nullo modo antea existens (nisi in archetypa caussæ omnipotentis idea) existentiam accipiat, a statu pure ideali, & possibili ad physicæ existentiæ statum, a non esse ad esse virtute omnipotentis caussæ transeat, hoc est, a caussa penitus de novo producatur, nullam per se falsitatis, aut impossibilitatis speciem refert: neque conceptu difficile existit. Id vero est ipsissima creationis idea, rei scilicet nullo modo antea existentis perfecta productio. 2. In id etiam mens humana cogitando facile devenit. In entis necessarii, cogitantis, a se existentis cognitionem cogitando pervenimus. Hujusmodi ens reapse existere, infinite perfectum, & unicum esse, ratiocinando demonstramus. Ex infinitate perfectionis, & ratione entis necessarii duo insuper hæc de ipso demonstramus, esse illud scilicet rationem sufficientem univer-

sitatis rerum, & omnipotentem insuper omnium rerum caussam (id statim ex sola clara idea entis necessarii jam demonstrati conficiemus). Esse etenim omnium rerum possibilium caussam, omnium perfectionem continere, universa ab illo pendere, suumque esse accipere, & tamen non omnia posse, duæ sunt contradicentes ideæ. At in omnipotentiæ notione data modo creationis idea comprehenditur: esse scilicet omnipotens, hoc est, infinita agendi virtute præditum, & tamen creare non posse, singulare esset paradoxon, quod tum solum probares, cum ad hujus calami creationem plusquam infinitam virtutem & omnipotentiam opus esse demonstrares. Id autem est suimet propositione absurdum, philosophorum cachinnis accipiendum.

251. 3. Ipsemet motus, obvium & universale phænomenon in creationis ideam materialistas etiam deducit. Est enimvero motus: non est tamen a materia pure tali: id quod ne ipse quidem *Spinosa* inficiatur. Licet igitur materia poneretur æterna, non idcirco motum habuisset necessario æternum: incepit igitur aliquando motus in materia: rei igitur plane incipientis, hoc est, de novo omnino productæ ideam in se continet motus, atque in creationis ideam nos sponte deducit. At motus, reponit *Tolandus*, est ipsi materiæ essentialis: materia est per naturam suam activa, motumque necessario producit. Rem dicis, respondeo, vel ipsismet materialistis judicibus falsam, neque sine argumento gravissimo asserendam. Materiam sane absque motu concipi, ipse fatetur Bayle (*a*): sine motu stare, superius demonstravi. Unde oppositum probabis? Communis, inquit, philosophorum sensus de materiæ divisibilitate materiam sine motu concipi non posse demonstrat; uno enim motu distinguitur, uno motu dividitur materia (1).

Resp.

(a) Diction. Critiq. v. Leucippe. Rem. &c.

(1) Le sentiment commun de la divisibiliteé de la materie est un argument incontestable, qu' on ne peut la concevoir sans mouvement; puisque c' est le mouvement, qui la diversifie, & qui la divise. Toland lett. to. Serena.

Resp. aliud est materiam esse mobilem, aliud vero moveri. Primum est pura capacitas motus, secundum in ipso motu consistit: sed a primo nullo modo sequitur secundum: nisi dicere velis, quidquid moveri potest, necessario actu, & activitate sua movetur. Sed pudet in iis amplius immorari.

252. 2. Longe facilius, & clarius intelligo creatiotionis ideam, quidque rei sit materiam de novo penitus produci; aliquid de novo incipere, quod antea non erat; quam absurda illa materialistarum dogmata, materiam cogitare, suum in se motum producere, esse æternam, mundum adspectabilem fortuiti atomorum casus opus existere, & sexcenta alia ejusdem farinæ dogmata a naturali rationis indole abhorrentia. Quot enim vero nos, tantillæ nimirum caussæ, quotidie agimus suo modo nova, quæ, ut effectus nostri sunt, antea plane non existebant? In veræ creationis ideam hæc humanam mentem non deducunt? Ex te ipso ad Deum, ex nihilo fere ad infinitum cogitando conscende.

COROLLARIA.

Ex hactenus demonstratis quamplurima deducuntur corollaria, quibus veritates huc usque probatæ illustrentur amplius atque confirmentur.

COROLLARIUM I.

253. *Quoniam igitur falsum est antiquum illud principium in sensu materialistarum acceptum, cui un totus materialismus, atque pantheismus innititur; omnia iterum cadunt eorumdem philosophorum dogmata. Nominatim vero mundi adspectabilis, atque universitatis rerum origo neque est Epicurea, neque Pantheistica.*

Duo hæc non modo jam directe falsa esse demonstravimus; sed præterea cum a prædicto illo tantum effato a suis auctoribus deducantur; diruto fundamento, sponte etiam superstructæ machinæ prolabuntur. In origine rerum duo potissimum intelliguntur, caussa efficiens, & tempus productionis: universitatis etiam rerum nomine duo significantur, mundus ex

materia factus, atque ordinatus, & materia ipsa, ex qua constructus fuit mundus. De singulis sensim dicamus. Et primo quidem quod caussam attinet, ab origine, seu caussa rerum Epicurea, hoc est, a materia fortuito casu, citra ullam scilicet intelligentiam agitata, ratione etiam pantheistica mundum esse non posse, satis jam fuit demonstratum.

COROLLARIUM II.

254. *Caussa efficiens hujus adspectabilis mundi est caussa intelligens, unicum scilicet illud ens necessarium, a se, infinitum, & æternum, quod infinite intelligens esse demonstravimus.*

Mundum cogitantis caussæ opus existere, præter alia fuse in superioribus discussa, mirabilis ille in primis atque constantissimus rerum ordo demonstrat, quem in omnibus adspectabilis hujus machinæ partibus, singulis corporum speciebus demiramur, & a pura materia, cæco atque fortuito atomorum incursu provenire non posse perspicue intelligimus. Duo hæc se mutuo probant, atque evidenti connexione confirmant, mirabilis rerum omnium materialium ordo, harmonia, & constantissimæ leges omnium sensuum testimonio evidentes, earum caussæ seu auctoris sapientiam atque plusquam humanam intelligentiam demonstrant: rursus primæ ipsius caussæ sapientia, quam infinitam esse aliis ex capitibus confecimus, perennem, constantissimum, atque mirabilem semper esse in mundo ordinem ostendit. Quid enim ab ipsomet ordine, nisi ordinatum esse potest? Fierine posset, ut ab infinitæ sapientiæ auctore, omnia non nisi perfectissime agente, mundus aliquis crearetur nullo ordine, nullis legibus directus, sed tumultuantium elementorum confusione gubernandus? Sed de naturali rerum ordine, atque legibus vide inferius dicenda.

CO-

COROLLARIUM III.

255. *Universæ etiam materiæ, ex qua adspectabilis hic mundus constituitur, & componitur, auctor est Deus, ens illud unicum necessarium & a se, hucusque demonstratum.*

Perinde inter se mundus & materia distinguuntur ut machina quæcumque, palatium, civitas, ab eorum elementis. Si auream statuam dissolvas, atque in informem massam, aut minutissimum pulverem resolvas; eadem tibi adhuc superest statuæ materia; statua tamen desideratur. Qui statuam informat artifex, illius materiam non creavit, sed, in qua laboraret, invenit. Satis igitur non est, auctorem mundi demonstrasse Deum, ut materiæ pariter existimetur creator. Facile tamen ex dictis corollarii veritas apparet. Unicum esse potest ens necessarium, ens a se, atque infinite perfectum, ens cogitans, atque simplicissimum: hujusmodi ens esse Deum, fuit in superioribus demonstratum: materia igitur, in qua omnia hæc desiderantur, ens scilicet neque cogitans, neque simplex, imperfectionis, atque dependentiæ notam in sese habens, ab unica illa sufficiente omnium rerum caussa existit, atque naturam accepit.

COROLLARIUM IV.

256. *Rejecto illo principio*, ex nihilo nihil fit, *nulla amplius ratio materialistis suppetit, ut mundum aut materiam dicant æternam.*

Uno scilicet illo principio ducti materialistæ omnem creationem rejiciunt, atque impossibilem statuunt: nihil de novo fieri, omnia esse æterna, ex eodem principio deducunt. Semel igitur demonstrata principii falsitate, id quod ex notione, atque demonstrata entis necessarii *omnipotentis* existentia confecimus, novæ aliarum rerum, materiæ, mundi creatio possibilis apparet: nullaque amplius ne contradictionis quidem umbra in creationis idea deprehenditur.

257. Bene est, mundi atque materiæ creationem, atque caussam hæc omnia evincunt: Pantheismum, atque materialismum evertunt, theismum demonstrant, omnia a Deo originem habere conficiunt, mundi tamen atque materiæ ætatem, tempus, aut æternitatem non definiunt. Unus est Deus harum rerum omnium origo & caussa; quonam tamen tempore seu ætate condita hæc a Deo existunt? suntne una cum Deo ipso, libera tamen Numinis voluntate, ab æterno; an potius in tempore ab aliquot tantum annorum millibus vastissimam hanc rerum universitatem statuit Deus? Si hoc secundum; quot ab annorum millibus conditum a Deo credimus mundum? Rursus suntne & materia & mundus in tempore a Deo facta, an mundum potius in tempore conditum præcessit ab æterno materia? quid circa hæc omnia potest naturalis hominum ratio? estne horum aliquid sola Numinis revelatione definiendum?

258. Deinde hisce omnibus quæstionibus, in quas mens humana ab una in aliam ideam descendendo sponte incidit, pro tenuitate nostra examinatis, in hæc alia ob idearum connexionem deducimur. 1. *Secundum aliquas stabiles leges, consilium, ideam, archetypon ab infinitæ sapientiæ & consilii auctore mirabilem hanc machinam fuisse conditam opus est: quæ tamen hæ leges?*

2. *Quantumvis tota creaturarum collectio fuerit a Deo in tempore condita; condendi tamen consilium, idea, archetypon in infinita auctoris mente ab æterno præcessit.*

3. *Secundum ideam igitur æternam, archetypon, & constantes leges auctoris per essentiam suam Boni, Veri, Unius, his etiam tribus attributis præditane sunt entia omnia universitatem rerum componentia?*

4. *Quid tamen rei est Unitas, Bonitas, Veritas cujuscumque entis?*

5. *Ad alia ex aliis sponte deducimur: qidquid ab ente illo summe Bono existit, bonum etiam esse concludimus; quid tamen? optimus præterea est Deus; idemne etiam de effectu ipso pronuntiabimus?* Estne mundus optimus? Teneturne ad optimum? mundus quicumque alius melior, aut imperfectior estne Deo plane impossibilis? En quo nos sensim deducit idearum nostrarum connexio, ad optimismum.

259.

259. Neque satis hæc: ad optimismi examen ipsa nos idearum connexio deduxit, ducendo tamen ea nobis in mundo mala atque imperfectiones ostendit, quæ non modo mundum non esse optimum demonstrant, verum etiam in id tandem ratio cogitando devenit, ut a se ipsa quærat, ab uno tantum Deo, principio Bono & optimo, mundus non omni ex parte bonus pendeat. *Estne Deus optimus malorum etiam principium atque origo; an potius quidquid mali in rebus existit, a principio alio malo originem habet; duplexque proinde æternum rerum principium, Bonum & Malum statuendum oportet?* En tibi longam idearum seriem, metaphysicarum atque intelligibilium rerum provinciam a mente philosophante peragrandam. Rem aggrediamur.

COROLLARIUM V.

260. *Quod mundum aspectabilem attinet, non modo non est æternus, sed ne sex quidem annorum millia adhuc attingit.*

Duo in propositione affirmamus, mundum scilicet, seu præsentem hanc materialium rerum constitutionem non esse æternam; præterea non modo non esse æternam dicimus, sed ne sex quidem annorum millia attingere affirmamus. Utraque hæc propositionis pars amplissimus est eruditionis campus, triplicisque ordinis argumento conficitur, negativo, ratione, auctoritate. En rationum summam. Nullum caput est, quo aut æterna, aut major 60. sæculorum duratio mundo vindicetur: omnia quæ in mundo animadvertimus, novitatem sapiunt, æternitati opponuntur, humana facta, artes, scientiæ, imperia, leges, naturalis rerum constitutio, montes adhuc extantes, valles etiamnum depressæ, fluminum cursus, oceani littora, & alia quamplurima mundum non æternum demonstrant: omnes præterea de rerum primordiis scriptores, imprimis vero antiquissimi omnium *Moyses*, *Sanconiaton*, alii eamdem veritatem confirmant. Omnia hæc impræsentiarum tantum indicamus; utramque enim propositionis partem ex hisce potissimum capitibus in Astronomia physica de mundo disputantes late probavimus, in eumque locum lectorem remittimus.

Adverſus eamdem propoſitionem plurima cum ab auctoritate & hominum teſtimoniis, tum etiam ab intrinſeca ratione petita adducuntur: quæ præcipua ſunt, in citato loco diluimus, quæ ſuperſunt, ex Platonicis & Peripateticis propoſita ſtatim ſolvemus. Unum hic lectori philoſopho animadvertimus; cum Moyſen, aut alios ſcripturæ ſacræ ſcriptores materialiſtis, aut naturaliſtis opponimus, eos ſaltem ut antiquiſſimos & graviſſimos ſcriptores objicimus: revelationem interim omittimus; quibuſcum enim res nobis ſit, non ignoramus.

Quod ſi ut majorem mundo antiquitatem vindices, *Præ Adamitarum* ſyſtema mihi opponas, Americanos incolas in medium producas, primum Æthiopum parentem commemores, aut etiam notiſſimas Ægyptiorum, Chaldæorum, Sinarum de earum gentium antiquitate cantilenas objicere non erubeſcas; priora quidem capita in geographia Phyſica late diſcuſſimus; poſtremum in citato Aſtronomiæ loco proſequimur.

QUÆSTIO INCIDENS.

261. Adſpectabilem hunc mundum in tempore a Deo conditum modo diximus, alio in loco probavimus: quæſtionem facti ſolvimus, illudque præterea in ſuperioribus demonſtravimus, & modo iterum indicabimus, neque factum in tempore, neque ab æterno exiſtentem concipi poſſe mundum, quin ab ente neceſſario & cogitante per naturam ſuam dependens exiſtat. Duo hæc, præter alia, atheiſmum, materialiſmum, Pantheiſmum penitus evertunt: qui primus nobis eſt diſputationis ſcopus. Perperam atheiſtæ a poſita mundi æternitate contra Numinis exiſtentiam argumentantur: quaſi ſcilicet mundus, ſi eſſet æternus, opus Dei eſſe non poſſet, aut mundi æternitas cum Dei exiſtentia pugnaret. Ita eſt, inquiunt, ſi mundus eſt æternus, non eſt Deus. Reſpondeo, etſi parumper darem hypotheſim, ſeu mundi æternitatem; conſequens tamen theſis falſiſſima eſſe ita demonſtratur. Mundus, æternus aut temporaneus ponatur, auctoris cogitantis, atque ſapientiſſimi notam ſecum defert, atque evidens argumentum exiſtit. Illum quantumlibet æternum pone: ordinatiſſimum tamen opus eſt conſtantiſſimis legibus directum: quod non fortui-

ti casus, sed rationis effectum esse demonstravimus. 2. Mundus, etiam æternus, ab æterno in sese non haberet existentiæ atque motus rationem sufficientem: utrumque in superioribus confecimus. 3. Tandem mundus, ut modo est, notam dependentiæ ab alio in sese habet; si a 6. mille annis existit; a tot etiam annis hujusmodi notam habuit. Multiplica pro libito annorum seriem in æternum; eamdem semper dependentiæ notam secum deferet. Series scilicet quantumvis infinita aut æterna rerum dependentium, seu insufficientium non tollit, neque minuit dependentiam: nisi diceres insufficientiam atque dependentiam esse ipsiusmet *sufficientiæ*, atque *non dependentiæ* rationem; quo nihil absurdius dici posset. Etsi igitur atheistis mundi æternitatem ut hypothesim darem; nihil tamen atheistarum caussa promoveretur.

262. Attamen, opponunt, caussa effectu suo prior esse debet: mundus igitur, si est æternus, non habet caussam; æterno enim numquid prius aliquid esse potest? unde tandem consequitur, mundum æternum non esse ab alio, per sese existere, opus Dei non esse, Deum ex mundi origine & natura non demonstrari. Respondeo, si sol poneretur æternus; ab æterno etiam lucem produceret: ex quo fuerit sol, fuisset etiam lux; æterna nihilominus lux a sole esset, solem haberet caussam; res igitur æterna ab alio tamquam a caussa esse potest: velint nolint, hæc omnia atheistæ probabunt. Quonam igitur modo effectum præcedere debet caussa, tempore, an natura seu ratione? natura, respondent fere omnes philosophi, ne ipsis quidem materialistis, seu atheistis exceptis; quæ præcessio in eo tantum consistit, quod effectus a caussa fiat, & pendeat, quin tamen temporis præcessio interveniat. Hæc una communiter admittitur præcessio in caussis necessariis: hanc unam inter caussam & effectum necessariam statuunt, qui mundanæ æternitatis possibilitatem admittunt. Etsi igitur atheistæ daremus æternæ mundanæ existentiæ hypothesim; etsi ejusdem hypothesis possibilitatem theistæ non pauci admittant; nihil hæc tamen materialistis favent. Sed quoniam metaphysicos agimus, in intelligibili mundo versamur, & per amplissimam rerum universitatem idealem divagamur, ab hypo-

thesi

thesi ad thesim gradum faciamus. Estne ab æterno mundus? fuitne saltem possibilis illius duratio æterna? Priorem quæstionem in Astronomia solvimus, solutam modo indicavimus: secundam igitur tantummodo ulterius quæramus. *Potuitne saltem mundus esse ab æterno, &, ex quo est Deus, etiam mundus existere?* Hic ego forsan a cæteris omnibus philosophantibus dissentio. Mentem meam paucis aperiam. Sed quoniam de rebus obscurissimis modo agimus; ideas, quo fieri poterit clariores, quæramus, & distinguamus. Primo igitur notiones æterni, infiniti, æternitatis cum extrinsecæ, tum intrinsecæ, infinitatis intensivæ, & numericæ seu extensivæ superius expositas in mentem revocemus. Secundo non hic a philosophis æternitas essentialis intelligitur: unum scilicet Deum per essentiam suam esse æternum, hoc est, ens a se, improductum absque ullo principio, demonstravimus. Una in dubium vocatur æternitas extrinseca temporis, & perennis motus: quæ una potest creaturis convenire. Mundum scilicet adspectabilem motu incepisse, motu stare, atque citra hanc motuum perennitatem intelligi ne quidem posse, per totam Physicam probavimus. Si vel tantillum cessaret motus; nullus amplius esset calor, lux, vita; functiones viventium, sol, astra, tempora &c.: hæc enim omnia motu peraguntur. Ea propter mundi æternitatem statuere, idem est ac motum ab æterno esse, motum numquam incepisse, seriem infinitam initio carentem jam esse prӕterlapsam. Habes quæstionis sensum. Si metaphysicos etiam theistas, immo & christianos audias; mundi, motusque æternitas a bene multis adstruitur possibilis, a quamplurimis item negatur; utraque pars efficacius suum probat sensum, quam opposito respondeat: neutra mihi rem satis persuadet.

263. Qui mundi æternitatem adstruunt possibilem, hac potissimum præter alias ratione ducuntur. Ex quo est Deus, potuit ab ipso creari mundus: quid enim liberrimam atque omnipotentem caussam impedimento esset? Quoniam sol est caussa necessaria lucis, & opacum corpus illuminatum umbras necessario efficit; ex quo sol, & opacum corpus statuatur, lux & umbræ ab iis erunt productæ: si priora illa duo æterna adstruas, æterna pariter erunt, lux a primo,

um-

umbra a secundo producta. Est etiam Deus caussa necessaria possibilitatis mundi, ejusdem autem existentiæ caussa est libera & omnipotens: ex quo igitur est Deus, ab æterno scilicet, & præter omne initium temporis Deus necessario potuit mundum libere producere. Non major sane est efficacia solis ad lucem efficiendum, quam omnipotentis Dei ad mundum creandum efficacia existat: si igitur caussa finita effectum toto existentiæ tempore efficere valet; qui id omnipotenti, liberrimæ, atque infinitæ rerum omnium caussæ inficiabimur?

264. Alio etiam modo eadem propositionis pars a suis auctoribus efficaciter potest suaderi. A mundo condito ad nostram hanc ætatem sex annorum millia numeramus: quidni posset ante centum millia a Deo condi? potuit etiam taliter a Deo creari, ut 200. annorum millia jam modo duraverit, & ita deinceps per numeros quoscumque datos aut dandos & in infinitum crescentes: mundus igitur ita a Deo potuit creari, ut ejus duratio datum aut dandum quemcumque annorum numerum superet: hujusmodi autem duratio est proculdubio infinita. Si enim finitam statuas; annorum additione augetur: ergo dato quocumque annorum numero major non esset, contra hypothesim. Nullus sane negabit validum satis esse harum rationum pondus: neque reprehensione digni sunt, qui iis & aliis argumentis ducti æternam mundi durationem adstruunt possibilem, a Deo tamen semper pendentem.

265. Contra hæc omnia pro æternitate mundi impossibili statuenda non leviora adducuntur argumenta, quibus ducti ejusmodi possibilitatem quamplurimi inficiantur. Primo enim, inquiunt, quidquid est infinitæ durationis, pertransire, & penitus elabi omnino non potest: æterna & infinita motuum series absolvi ne imaginatione quidem aut cogitando posse apparet. Ab eo, quod vivimus, temporis momento duplex cogitando statuatur motuum, fluentium, seu fluxarum durationum series, alia quidem retrorsum per anteactos jam motus, altera versus futurum: secunda hæc tempore quocumque dato, aut in infinitum cogitatione dando exhauriri, atque pertransiri numquam poterit: quod quidem ex ipsamet infiniti notione derivatur. Par autem est utriusque ratio: quodcumque tem-

tempus datum inverso ordine effluere concipiamus, ante datas quascumque motuum durationes finitas æterna illa, quam ponimus, duratio extenditur: nullis igitur quibuscumque durationibus finitis in infinitum æterna illa duratio exhauriri, pertransiri, aut æquari potest. Idem autem est, ab una vel ab alia parte seriem aggrediamur: si æternam illam antecedentem seriem in præteritum semper procedendo numquam exhaurimus; ad finem numquam pertingimus; ita etiam inversa ratione spectata neque exhauriri umquam poterit, neque incipere: ubicumque scilicet incepisse statuatur, illic jam esset absoluta.

266. Hæc etiam secundæ opinionis argumenta humanam mentem implicant: quid igitur tenendum? potuitne mundus esse æternus æternitate motuum & temporis; an potius quæcumque fluxio temporis necessario est finita? Nihil ego circa hæc ab humana mente statui posse arbitror: neutrum statuo, obscurissima illinc apparet caligo. In supradictis omnibus argumentis obscuri, nescio quid plane animadverto, quo fit, ut me non satis moveant. Quacumque tandem mentis contentione quæstionem enucleem, argumenta pensitem, aliquid in iis desidero, quo assensum meum extorqueant. Rem penitus examinando, duplicem hujusce rei caussam comperio, idearum defectum, atque nostram finitæ mentis ad infinitum capiendum ineptitudinem. Circa primum hæ potissimum ideæ in argumento sunt, *temporis scilicet*, *fluxus rerum*, *tempus æternum*, *infinita extensio*, *numerus infinitus*: claras hujusmodi rerum ideas non habeo. Quænam autem in argumento esse potest claritas, aut evidentia; dum nonnisi per caliginem præcipuas argumenti ideas percipio? De altero ejusdem confusionis capite in Logica disseruimus, cum ea distinximus, de quibus disputare, inutile prorsus esse diximus. Quænam inter finitæ mentis vires intelligendi & infinitum capiendum potest esse proportio? Parne est finita hominum ratio angustissimis cancellis inclusa infinito numerico, infinitæ extensioni, durationi æternæ, fluenti æternitati capiendis? Non hic scilicet agitur de Entis a se infinite perfecti existentia demonstranda: rerum enimvero, quas non intelligimus, existentiam passim probamus, atque demonstramus. Rerum hic ab humana mente non intelligibilium essentia in ar-

gu-

gumentum adducitur: fluxionem infiniti, atque æterni statuimus, aut negamus; dum interim non modo infinitum, & æternum ignoramus, verum etiam ne in tempore quidem, & finito fluxionem ipsam, atque fluxionis modum capimus.

267. Atque ut ad evidentiam usque appareat, finitam hominum mentem ad ejusmodi de infinito quæstiones evolvendas imparem omnino existere; rem unico exemplo edocebimur. Infinitum hominum numerum statue: quisnam major, hominum an manuum numerus? manuum, repones; sunt enim, ut duo ad unum: rem clarissime videre contendis. Id quidem in numero finito evidens, & certissimum esse admitto. At etiam in infinito, reponis: in primo casu sunt infinitæ unitates, infiniti binarii in secundo. Bene est: si tamen in priori etiam infinitos esse binarios, & utrumque æquale esse demonstrem; quid tum de tua sententia pronuntiabis? Ita vero est. Enim vero quantitates quæcumque finitæ finito etiam numero quocumque repetitæ non efficiunt infinitum, seu datus quicumque numerus finitus finite assumptus non constituit infinitum: finitus igitur numerus binariorum componere non potest infinitum: in infinito igitur hominum infiniti binarii hominum comprehenduntur: eademque ratione numerus quicumque alius finitus in infinito numero infinite continetur; omne igitur infinitum est infinite, seu infinities infinitum: in infinito unitatum est pariter infinitas millionum, numerusque millionum infinities infinitus: eo plane modo, quo in eodem infinito unitates infinities infinitæ continentur. Quid in utraque hac ratiocinatione sibi opposita inficiabimur? Quam partem alii præferes? Quomodo oppositum dilues? Meo quidem judicio hac una ratione nodum solves, a labyrintho extricaberis, *nescio, quod nescio*: infinitatis ideam, modum, rationem non comprehendo: infinito conveniant necne ideæ illæ æqualitatis, inæqualitatis, excessus, & similes aliæ in argumentum adductæ, & finitarum rerum propriæ, penitus ignoro.

268. Mea quidem hæc est circa propositam quæstionem sententia: quam si non probes, mundum, per me licet, potuisse esse a Deo æternum, adstrue aut nega: rem tuam profunde cogita: post corrosas ungues, & caput delira meditatione lassum, facto inu-
tili

tili periculo atque vano tentamine edoctus in meam forsan sententiam descendes. Unum hoc animadvertas oportet; si mundi æternitatem adstruas possibilem; illum etiam per anteactam æternitatem a Deo ex natura sua pendentem statuas.

QUÆSTIO ALIA INCIDENS.

269. Quid tamen de materia tenendum? fuitne, potuitne esse ab æterno? Hæc cum inquirimus, eo sensu rem intelligimus, ut materia absque ente necessario cogitante ab illa distincto neque stare, neque intelligi ullo modo possit: ut hactenus demonstravimus. Dico igitur primo: materiæ æternitas a ratione humana neque possibilis, neque impossibilis satis demonstratur. Circa id etiam hæreo, ex utraque parte quid mentem inflectere possit, & quid etiam ab assensu retrahat, cogitando animadverto. Non modica scilicet etiam hic idearum penuria, atque obscuritate laboramus; eaque propter in oppositas sententias hac etiam quæstionis parte philosophi abierunt. Ex una enim parte, quæ modo pro mundi ipsius possibilitate æterna adstruenda adduximus, potiori jure materiæ æternitatem possibilem demonstrare videntur: omnipotentia æterna libera, seu caussa ab æterno existens libera, & omnipotens, seu infinite potens, quo pacto ab æterno fuisset necessarium Numinis attributum, si nihil ab æterno potuit creare? Hæ, inquam, duæ ideæ, *infinita omnipotentia rerum omnium ab æterno*, *impossibilitas rerum omnium ab æterno*, sese mutuo evertere videntur. Scio quo pacto distingui possit omnipotentia æterna creandi in tempore, omnipotentia æterna creandi ab æterno: Verum statne cum vera omnipotentiæ æternæ idea nihil posse creare *ab æterno*? Quid? Ex quo caussæ finitæ necessariæ aut liberæ existunt; proprios effectus aut necessario producunt, aut libere possunt producere, ut luminosa corpora, mens, voluntas & cætera omnia: id vero uni omnipotenti caussæ erit impossibile? Deterior sane in eo esset Primæ omnipotentis caussæ infinitæ, quam creatarum hujusmodi secularum, & vix non entium conditio.

270. Adde, contra materiæ creationem locum non habe-

habere adducta illa superius argumenta ex perenni æternitate temporis, & infinito desumpta, quæ mundi æternitatem impugnant. Esto, impossibilis pronuntietur motus ab æterno, infinita atque æterna actionum series jam prætersapsa; talia hic a nobis non adstruuntur, de re tantummodo agitur, quæ nulla motuum aut temporum perennitate indiget, aut constituitur: qua igitur ratione materiæ æternitatem dicemus impossibilem? caussam materiæ sine ulla omnino successione ponimus æternam: neque igitur ens æternum, neque æternitas in fluxu temporis non consistens cotradictionem implicant: quare igitur duo hæc in materia conjungi non poterunt? Qui oppositum citra omnipotentis caussæ injuriam statui a philosopho poterit?

271. Non leviter humanam mentem hæc argumenta inflectunt. Rem tamen alia e facie adspiciamus. Ens æternum potestne esse e nihilo extractum, hoc est, creatum? Potestne aliquid e nihilo ad esse extrahi, suamque naturam ab alio accipere, quin ejusdem rei negatio, & caussa prius fuisse intelligantur? Ratione, inquies, non tempore caussam præcessisse sufficit. Bene est, unde tamen id certo probabitur? Si quis id neget, aut in dubium vertat; quanam demonstratione a sententia removebitur? Sunt scilicet qui utramque partem teneant: quod rei ipsius incertitudinis argumentum existit. Deinde esse æternum & non esse a se, esse æternum æternitate illa permanenti atque intrinseca, quæ omnem motuum successionem excludit, & tamen non esse necessarium, cogitanti animo, ideasque suas enucleanti contraria esse apparent.

272. Sed tamen, iterum dico, obscura hic etiam idearum caligine premimur, & penuria laboramus. Ut ideam æterni cum idea creaturæ componi posse dicamus; illam prius ab omni parte rimari, atque inspectam habere opus esset.

273. Dico 2. *Materia hujus universi fuit a Deo in tempore creata; id tamen sola revelatione constat, atque probari potest.*

Propositio duas habet partes, quarum secunda est, creationem materiæ temporalem solius religionis, seu revelationis dogma esse, seu sola fide probari posse. Id vero est quod a Philosophorum nemine negari potest,

est, quamcumque illi circa æternitatis materiæ possibilitatem teneant opinionem. Enimvero materiæ æternitas aut fuit possibilis, aut saltem neque ratione neque sensu demonstratur impossibilis: hoc secundum in dubium verti non potest: ab innumeris scilicet philosophis possibilitas æternitatis materiæ adstruitur, neque ab aliis hæc illorum sententia demonstratur falsa: omnium igitur confessione neque humana ratio, neque sensus materiam ab æterno esse non posse, evincunt. Præterea vero materiam mundum præcessisse, aut saltem præcedere potuisse, non dubitamus: ex una igitur parte æternitatem materiæ probare non possumus impossibilem; ex alia vero priorem mundo constitui a Deo posse, fatemur. Hucusque philosophando, dubitando, & adstruendo devenimus. Possibilitatem aut fatemur, aut non negamus: quid tamen de actu? potuit esse ante mundum? Ita quidem: potuit esse æterna? nihil ratio adstruit: ad actum deveniamus: fuitne reapse æterna? Naturalistæ, aut Deistæ philosopho rem demonstrare non possumus: sensus nostri, hoc est, experimenta physica ante mundum conditum non extenduntur: res tantum mundanæ sensibiles eorum provincia sunt, materia pura sensus nostros fugit. Nullum etiam argumentum philosopho incredulo opponi dignum ratio sufficit ad litem dirimendam idoneum: neque ratio igitur, neque sensus temporalem materiæ creationem possunt demonstrare.

274. Altera propositionis pars erat, hujus universi materiam æternam non esse, revelationis argumento constat. Materiam in tempore a Deo optimo maximo creatam, communi omnium hominum consensu tenetur: universalis hic nationum sensus neque a ratione, neque ab experimentis, seu observationibus originem ducit, ut modo probabimus: communi traditioni ab eodem fonte derivatæ acceptum id referri oportet. Universæ hominum nationes ab uno, eodemque homine originem accepimus: fuse hanc veritatem in Geographia evicimus. Quam primus ille hominum parens de rerum creatione cognitionem habuit ab æterno Numine acceptam, in ortam ab illo progeniem perenni generationum serie transmisit. Porro ipsemet tot diversarum nationum, sibi mutuo a tot jam annorum millibus ignotarum, circa hujusce

facti

facti quæstionem consensus commune ejusdem principium, atque originem demonstrat. Primus humani generis parens materiæ creationem temporaneam ratione, aut sensu non didicisse, hactenus exposita luculenter conficiunt: alium idcirco tanti arcani magistrum non habuit, nisi ipsummet rerum omnium, atque hominum auctorem.

275. Præter commune hoc traditionis argumentum, eamdem facti revelationem probat illud *Moysis* testimonium, *In principio creavit Deus cælum, & terram*, quod in eo sensu intelligitur, quod in principio temporum omnia Deus ex nihilo extraxerit. Scio quid circa verba illa, *In principio*, quid circa *creavit*, quid tandem circa *cælum*, *& terram* alii quidem cavillentur, alii vero interpretentur: nec me etiam latent diversæ cum Hebræorum, tum cæterorum circa hebraici verbi *barà* (ברא) significationem sententiæ; quas retulimus, quum de mundi ætate in Astronomia physica disputavimus. Quæcumque tamen sit eruditorum circa hæc omnia sententiarum varietas, eo semper sensu citata Moysis verba Christiani, & Hebræi intellexerunt, ut mundi, & materiæ universæ creationem in tempore significent. Communis hæc testimonii Mosaici intelligentia, atque universalis etiam nationum sensus circa *factum* sola revelatione probabile facti ejusdem veritatem, & revelationis existentiam ita saltem probat, ut ab eo sensu citra oppositi demonstrationem recedere non possimus. Philosophum Deistam, naturalistam, & universim omnes atheistas hujusmodi argumenta non admittentes Scriptura sacra, & communis traditio in metaphysica quæstione non premunt: cum iis igitur impræsentiarum agendo id satis habebimus, necessariam materiæ a Deo dependentiam, creationem, conservationem, & allati insuper principii falsitatem demonstrasse: de cætero ut materiæ ætatem pro lubito statuant, dum philosophos tantum agunt, & Religionis argumenta non tractant, liberaliter permittamus.

PROPOSITIO XVII.

276. *Quandoquidem adſpectabilis mundus ab infiniti Conſilii, atque Sapientiæ Numine conditus demonſtratur; ſapientiſſimus idem artifex, atque architectus mirabilem hanc Univerſi machinam ſecundum aliquas leges condidit, quibus poneretur, & conſtanter regeretur.*

Mundus eſt opus Dei: hoc unum propoſitionem probat, machinæ auctorem, & architectum pronuntiaſſe. Ab auctore enim eſſe, qui per naturam ſuam ipſamet ratio, atque conſilium exiſtit; at nihilominus citra certas, conſtanteſque leges, atque regulas poni, ſtatui, gubernari; id vero eſt rationis lumini oppoſitum, & auctoris ideam penitus evertit. Quin immo neque machina aliqua ſine certis quibuſdam partium regulis intelligitur; neque rationabilis cauſſa, omnia infinito conſilio agens, aliquid citra ullam legem condere poteſt, aut nullum ſibi in ejuſdem operis conſtitutione præſtituere finem. Ordo ſcilicet, regulæ, finis id potiſſimum ſunt, quibus caſus, & rationalis cauſſa, opus fortuitum & effectus conſilii inter ſe diſtinguuntur. Citra lectoris injuriam propoſitionem ulterius explicare, aut probare non poſſumus.

277. In mundana hac univerſitate triplicem rerum ordinem diſtinguimus, *materialem*, *rationalem*, *moralem*: ad tria hæc capita redigitur quidquid in mundo eſt aut fit, omnia entia, cauſſæ, actiones. Quidquid rerum eſt aut fit, eſt corpus aut ſpiritus, aut res immaterialis: rurſus quidquid fit, eſt effectus, vel actio ſpiritus, rei immaterialis, aut corporis. Res omnes, & cauſſæ pure materiales mechanicum, & materialem mundum componunt: quidquid rerum, cauſſarum, actionum, effectuum in primo hoc ordine eſt, citra ullam materialium ipſarum cauſſarum cognitionem, directionem, libertatem peragitur, pura neceſſitate efficitur, (*). In ſecundo rerum ordine, ſpi-

(*) Inter Spiritualium, & materialium ſeu corporearum rerum ſyſtemata ſubſtantiæ immateriales mediant,

spirituum, seu cogitantium substantiarum genere duplicem vim, & actionum classem distinguimus. Prima quidem mentem, illius cogitationes, & directiones necessarias: secunda vero liberum mentis ipsius consilium, & actiones complectitur. Primus ille rerum, caussarum, actionum ordo *mundum mechanicum*, seu *materialem* constituit, *rationalem* secundus, tertius vero *moralem*. Triplex hic mundus, caussarum, & actionum ordo primum, & unicum auctorem habet Deum. A Deo sumus entia cogitantia, corpora, materia: datam ab illo agnoscimus vim omnem agendi *mechanicam*, *rationalem*, *moralem*. Singulis hisce caussarum generibus suæ sunt agendi leges, & constantes regulæ. Caussæ pure materiales, & mechanicæ nulla quidem cognitione, aut libertate, sed sola necessitate, atque constantibus legibus agunt: hæ igitur agendi leges, & constantissima directio a solo machinæ ipsius auctore esse possunt, qui non modo machinam construxit, sed universas ejus partes de novo creavit, & agendi virtute donavit. Caussæ rationabiles, qui ratione ad agendum dirigimur, non modo a Deo sumus, sed & indito quodam rationis lumine ducimur, quo verum a falso, honestum ab inhonesto distinguimus: & constantissimum hoc rationis lumen omnium nostrarum actionum rationalium ducem a Deo ipso habemus. In dato illo nobis a Deo rationis lumine non modo regulam veri, & falsi, sed boni etiam & mali discernendi habemus, & agnoscimus. Utrumque hoc lumen, sin minus tota, potissima saltem spirituum ratio est: & cum toti a Deo simus; totum illud lumen, tota scilicet nostrum cogitantium energia ipsum habet auctorem. Neque satis hæc, ipsamet naturalis ratio seu inditum nobis lumen constantes quasdam veri, & falsi, boni, & mali, seu honestatis, & turpitudinis regulas in objectis, & actionibus demonstrat. Hujusmodi vero naturales regulæ, rationis, & morum fundamenta, rationales illæ, & morales sunt leges, quas rationalibus, moralibusque caussis præscripsit, & secundum quas rationalem, moralemque mundum condidit.

278. Deus, mundi *materialis*, *rationalis*, *moralis* au-

---

diant, in quibus est sine libertate perceptio, seu cognitio.

auctor, totius operis a se in tempore condendi æternam in mente habuit ideam: ab æterno enim possibilia omnia, & futura cognoscit. Ipsemet est sui ipsius, & possibilium, atque futurorum omnium infinita comprehensio, clarissima, & essentialis repræsentatio. Universum in tempore faciendum præcessit ab æterno in divina mente idea, quam dicimus *mundum intelligibilem*, atque æternum illius *archetypum*. Secundum mundum igitur intelligibilem, & archetypum universitatem hanc rerum in tempore creavit. Quidquid Deus est, essentialis ratio, atque ordo existit: constantes rerum leges in condito mundo constitutæ in mundo etiam intelligibili erant. Nisi res ita foret; imperfectus esset mundi artifex, qui male conceptum opus conderet.

279. Quænam vero sunt hujusmodi leges? quænam earum natura? quænam leges corporum, seu caussarum naturalium? quænam mentis, seu rationis dirigendæ ad verum, & falsum discernendum? quænam tandem voluntatis, morum, bonitatis, & malitiæ? quænam honesti, & inhonesti regulæ? Triplicem hanc quæstionem solvere, esset, totam Physicam, Logicam, & Ethicam tradere. Quænam a Deo fuerint positæ corporum leges, quibus tota hæc machina gubernetur, per totam Physicam, quantum mea fert tenuitas, exposui. Leges veri, & falsi, seu leges, & dictamina rationis ad mentem semper in veritate invenienda dirigendam, Logicæ nostræ argumentum est, & totam artem criticam ibi traditam componit. Leges tandem morales, seu regulæ morum, honesti, & inhonesti in Ethica, seu Philosophia morali explicantur. Metaphysici munus est, mundum universum a Deo esse, probare, & secundum constantissimas leges ab ipso fuisse dispositum; easque insuper leges cum triplicem rerum ordinem omnes in mundo distinguamus, triplicis etiam generis existere: idque, ni fallor, satis jam demonstravimus. Universum prætérea reale constantibus legibus a Ratione æterna conditum, cum tanti operis auctore, & mundo archetypo, seu intelligibili conferentes, & secundum idearum nostrarum connexionem philosophando in generales quasdam omnis entis, atque universitatis rerum proprietates *Unitatem*, *Veritatem*, *Bonitatem* incidimus.

PRO-

PROPOSITIO XVIII.

180. *Integra hæc rerum universitas, singulaque mundana entia ab auctore* Uno, Vero, Bono; *creata, & constantibus legibus ordinata, atque constituta, sunt omnia etiam Una, Vera, Bona.*

Est dicere, Unitatem, Veritatem, Bonitatem generales esse omnium entium proprietates. Propositio ex modo dictis evidenter demonstratur. Atque ut a Bonitate incipiamus, quidquid in rerum universitate continetur, aut contineri potest, suum met esse, & naturam habet a Deo, ab ente optimo, atque infinite Bono: atque secundum intelligibilem mundi archetypum, & ordinatissimas æternæ rationis regulas ad aliquam totius ordinatissimi systematis partem destinatur. Utrumque hactenus demonstravimus: id vero ipsum est, quod dicitur, atque existit *bonum* generali illa, & transcendenti, ut dicitur, bonitate ad totum universitatis systema relativa. Et primo quidem omnis creatura naturam suam habet a Deo, estque illud idem, quod in archetypa æterni Numinis idea ordinatum repræsentatur: Deus autem summe bonus nihil mali efficere potest. 2. Sed de bonitate generali, & relativa ad totum systema pressius loquamur. Quidquid creaturarum est, ordinatum a Deo fuit, in certoque ordinatissimi systematis archetypi ordine secundum æterni, atque prudentissimi consilii rationem positum; ad aliquam totius systematis partem adimplendam, & obeundum munus inservit. Quid enim non ordinatum ab ipsamet ordinante ratione fieri posset? Singulæ igitur creaturæ universitatis systemati inserviunt; relativamque idcirco bonitatem habent. Sed ut paullo uberius hujusmodi veritatem de universis creaturis demonstremus; duplicem Bonitatis rationem distinguamus, *absolutam* primam, relativam vero alteram. Utramque tamen universalem, atque *transcendentem*. Creaturæ universæ in se ipsis singillatim, & absolute spectatæ sunt ab alio, totum esse habent a Deo acceptum. Illud aliud, Deus ille, ens necessarium, cum sit optimus, & infinite bonus, nullius mali ratio sufficiens esse potest: nemo dat, quod non habet: quod igitur in creaturis non esset

bonum, sine ratione sufficienti existeret: quod evidenti rationis lumini opponitur. Et hoc quidem ad primam Bonitatis rationem spectat. Bonitas altera, seu *relativa*, est *Bonitas ordinis*. Quæ ad plures usus, fines, munia individua inserviunt, hac bonitatis specie meliora habentur: ad aliquid enim inservire secundum systematis ordinem, id enimvero est relativa Bonitas. Jam vero ab infinitæ rationis, & ordinis principio, atque caussa, universum mundum summa ratione constituente, aliquidne inordinatum, extra ordinem positum, atque ad nihil plane inserviens fieri potest? Id demum esset supremi Numinis ideæ, & Rationis sufficientis principio contrarium.

281. Veritatem etiam *transcendentem* aliud esse generale omnium entium attributum, in propositione dicimus: id vero facile demonstratur, si quid hujusce veritatis nomine intelligamus, animadvertatur. Tres in Logica distinximus veritatum ordines, *moralem* scilicet, *Logicam*, *Metaphysicam*. Veritatem Logicam, seu humanarum cogitationum cum earum objectis convenientiam citato in loco late prosequimur. Moralis veritas, seu humanæ locutionis, cum animi sententia consensus. Ethicæ argumentum est. Utraque hæc veritas rebus universis nequaquam convenit: sed cogitantium entium propria est: neque nisi ad objecta ab iis cognita extenditur. Præter hæc, universalis alia est rerum omnium cum divinæ Mentis archetypa idea consensus, & convenientia, quæ metaphysica nuncupatur, atque rerum universitatem necessario complectitur. Moralis est *veritas locutionis*; Logica est *veritas cogitationis*; Metaphysica tandem *essentiæ*, atque *existentiæ veritas* nuncupatur. Postremam hanc rebus omnibus generatim, & necessario convenire, facile constat. Universitas rerum existens, & singulæ universitatis partes illæmet sunt, quæ in archetypa idea, & intelligibili mundo repræsentantur: omnia a Deo sunt condita secundum intelligibilem illum, atque ordinatissimum mundum. Id iterum ex ipsamet Numinis, atque supremæ rationis idea evidenter deducitur: nihil igitur est in rebus, aut esse unquam poterit archetypæ suimet ideæ non conformæ: id autem est, esse verum generali, & transcendenti veritate ad totum systema relativa, illud-

illudmet esse in mundo physico, quod in intelligibili mundo repræsentatur, atque cum archetypa sui idea conformari.

282. Generalis hæc, seu transcendens rerum veritas in duplici etiam sensu, ut modo dixi, usurpari, duplexque statui potest: prima quidem veritas existentiæ: quatenus scilicet verum est, hanc rerum universitatem existere, omniaque existentia id reapse in rebus esse, quod in archetypa idea intelligitur. Dici hæc non poterit omnis entis etiam possibilis, sed rerum tantummodo existentium propria: generale igitur rerum attributum statui nequit. Secunda *veritas essentiæ* nuncupatur, qua scilicet res singulæ sunt id, quod sunt, & a re quacumque alia distinctæ. Veritas secundo hoc modo usurpata rei cujuscumque etiam possibilis est; ut per se patet, atque unitatem, seu distinctionem rerum etiam transcendentem secum defert, quam modo dabimus.

283. Tertia entis cujuscumque proprietas a nobis superius deducta, & ad explicandum proposita est *Unitas*.

Hæc scilicet alia est, quam omnium rerum proprietatem esse communiter statuunt philosophi. Ut claram *unitatis* ideam definiamus; aliquæ prius statuendæ, aut indicandæ sunt notiones, quæ homini cogitanti satis alias manifestæ, uberius ex inferius de humana mente disputandis intelligentur. Rei *unitas*, & *identitas*, *pluralitas*, & *distinctio* ita ad se mutuo referuntur, ut priora duo posterioribus opponantur, & idem plane existant, aut vix inter se distinguantur: idemque est de posterioribus tenendum. Unitatis igitur, atque identitatis idea a pluralitatis notione, quæ distinctionis notio etiam existit, omnino pendet. Quid igitur est rerum *distinctio*, quid *pluralitas*, *unitas*, *identitas*?

284. Melius hæc forsan intelligimus, quam explicare possimus: ad originales enim, atque primitivas ideas proxime accedunt, quæ definiri a nobis non possunt: eapropter exactas, atque rigorosas hujusmodi rerum, seu idearum definitiones a me nequaquam expectes. Distinctio est naturarum, aut notionum diversitas. Alia igitur est *realis*, *idealis* vero, seu *rationis* altera: prima est realis illa pluralitas,

quæ in rebus est, quin a nostris ideis, seu humanæ mentis actibus dependeat. Duplex agnoscitur hujusmodi distinctio: prior quidem *realis* proprie nuncupatur: qua scilicet res ab alia re distinguitur, v. gr. anima humana ab omni materia. Secunda *modalis* dicitur, quæ inter rem, & rei ipsius modum intercedit: hujusmodi sunt inter corpus, & ejus figuram, inter lumen, & colores, & sexcentæ aliæ distinctiones similes. Realis distinctio modali major esse ex ipsismet notionibus apparet. Prioris character est, ut quæ ita distinguuntur, unum sine altero existere, aut concipi mutuo possint. Alius est modalis distinctionis character. Res quidem intelligi, & esse sine modo potest: non tamen vicissim.

285. Idealem, seu rationis distinctionem, quæ erat altera distinctionum species, illam dicimus, quæ tota in ideis nostris existit, illarum opus est, ideas nostras in rebus non antecedit: aliis verbis in eumdem sensum recidentibus, distinctio idealis, seu rationis est, *de uno eodemque reali objecto diversitas idearum*. Unum, idemque objectum, ens, seu caussa realis ad plura sæpe refertur, plures diversorum ordinum effectus producit. Unus idemque humanus spiritus cogitat, vult, recordatur, appetit. Quandoquidem igitur mens humana pro illa, quæ nostra est, Spiritus imperfectione & cogitandi tenuitate, nullum plane reale objectum uno obtutu comprehendit; omnesque nostræ ideæ sunt imperfectæ, atque *inadæquatæ*; unumque modo, alium postea ejusdem caussæ effectum diversa plane cognitione percipimus; hinc, inquam, fit, ut in objectum reapse unum, atque idem idearum nostrarum diversitatem referamus, & mente inducamus. Modo animam volentem, cogitantem modo consideramus: unum ab alio mentis nostræ imperfectione separando, animam duplici hac imperfecta cogitantis, & *volentis* idea seorsim concipimus. Eadem anima cogitat, & vult: quoniam tamen ejusmodi actus sunt diversi, nostræque de eorum caussa imperfectæ sunt atque diversæ ideæ; in anima ipsa potentias ideis, & ratione distinguimus.

286. Atque hæc est illa rationis distinctio, quam *idealem* etiam nuncupamus, & quam unam præter *realem* admittimus. Quidquid distinguitur, aut ratione, seu ideis, aut præter cogitationem, seu ante

ideas

ideas distinguitur: primum *idealis*, secundum *realis*, seu physica distinctio est, & nuncupatur: nihil medium inter ideas, & non ideas agnoscimus. Quidquid scholastici aliquot de alia, nescio qua distinctionis specie ab ipsis conficta per otium differunt, prætermitto: sequentibus tantummodo brevissime notatis. 1. Mirabilem illam, & divinam Personarum distinctionem, quæ in Deo est, fide creditur, & nostram hominum rationem superat, Theologis tractandam relinquimus. 2. *Ubicumque est realis distinctio, illa etiam idearum intervenit, aut intervenire debet*. 3. *Idealis, seu rationis distinctio argumentum ex genere suo non est distinctionis realis*. Est dicere, non illa omnia, quæ nos ratione distinguimus, in re etiam existunt distincta. Humanæ mentis vitio, & idearum imperfectione fit, ut unum, idemque objectum multiplici imperfecta idea attingamus: eoque pacto ubi nulla est realis, idealis inducatur distinctio. 4. *Clara tamen idearum distinctio, seu oppositio realis etiam distinctionis argumentum est: seu quæ in idea clara apparent, & cognoscuntur distincta, ita reapse existunt*. Hujusce canonis ratio in veritatis criterium recidit, de quo late in Logica disputavimus.

287. Distinctio igitur idem plane est, atque pluralitas: res per se est manifesta: eadem utriusque munia, character, natura, divisio, & nomina. Utrique opponitur identitas, quæ unitas etiam nuncupatur, aut in unitatem recidit: ita ut duo hæc nomina idem plane significent. Quid sit identitas, quid unitas, quid rem esse unam, quid esse eamdem, ita manifeste omnes intelligimus, ut clariorem definitionem dare non valeamus. Unitas, & identitas, perinde ut de distinctione, atque pluralitate diximus, alia rerum, seu physica est ab ideis nostris non dependens, alia idealis, seu idearum, & rationis existit. Iidemmet canones circa distinctiones dati, de unitate etiam, seu identitate intelliguntur.

288. Ex hisce omnibus, quæ erant explicatu necessaria, satis jam, quid unitas entium existat, intelligitur. Ens quodcumque datum secum ipso idem existit, atque singularem habet naturam: in quocumque igitur ente dato realis naturarum pluralitas non est: nisi rem idem secum ipsa esse, & secum ipsa

non

non esse idem, diceres: quod rationis evidentiæ opponitur. Esse igitur unum realis cujuscumque entis generale attributum merito statuitur.

§.

Materialistarum pro mundi æternitate probanda argumenta.

289. Ut mundum æternum esse conficiant, plurima opponunt Platonici, & recentiores materialistæ, quorum partem in Astronomia Physica dedimus, partem modo solvemus.

Primo quidem opponit *Montesquieu* (a). Quid philosopho mundanarum rerum vicissitudines, atque ante acta tempora cogitanti verosimilius videri potest, quam Adamum simili, ac Noemus, sorte ex præcedenti mundo incolumen evasisse, eamdemque, aut partem rerum vicissitudinem in rebus semper extitisse? Respondeo: Philosophi munus est, nihil citra probationem admittere. Cogitanti satis non est, rei alicujus ideam in mentem venisse; nisi rem demonstres, inter entia rationis, & grata deliria recensebitur: loco igitur illius, *n' est il pas naturel de penser* &c. magis ad rem diceretur, *n' est il pas naturel de prouver* &c. Deumne igitur, ulterius opponit *Montesquieu*, ab æterno otiantem, & nonnisi post temporis tantillum agentem credemus? Idne vero ex potentiæ, aut voluntatis defectu? si aliquo in tempore non potuit; neque etiam in alio: si autem semel noluit ab æterno; semper nolet. Nulla scilicet in Deo est actuum successio: actus quos aliquando habuit, semper habebit; omnis in Deo mutatio impossibilis (b).

290.

(a) N' est il pas naturel de penser, qu' Adam fut suavé d'un malleur commun, comme Noé le fut du deluge: & que ces grans evenemens ont eté frequens sur la terre depuis la creation du monte? Letteres Perf. lettre 99.

(b) Peut on comprendre, que Dieu ait differé toute l'eternité ses ouvrages, & n' ait usé que d'hier de sa puisance creatrice? Seroit ce parce qu' il ne l' auroit

290. Resp. Antiquissimum hoc sophisma vividioribus tantum coloribus a personato recentiori philosopho expositum citato loco proposuimus & solvimus. Summa rei est, Deum semper potuisse, & semper noluisse mundum in tempore creare; quin ullam hic agnoscamus actuum successionem, ut in Astronomia fusius explicamus. Quid enim, amabo, conceptu difficile esse potest, quod omnipotenti, liberæ, atque æternæ menti mundum in tempore creandi æternum inesset consilium? Rei speciem in humanis etiam videmus: quoties enimvero rei post plurimos annos agendæ constantem statuimus sententiam, quam & tempore non mutamus, & libertate differimus? Si hæc in humanis; quænam in omnipotenti, & liberrima caussarum omnium caussa?

291. *Aristoteles* sequentibus ratiunculis mundi æternitatem probat. I. Materia est ingenerabilis, & incorruptibilis: fuit igitur æterna: quum autem neque sine forma, neque sine motu esse possit; materia, forma, motus, hoc est, mundus est æternus. II. Cælum pariter est ingenerabile, & incorruptibile: ortus enim, & interitus non fiunt sine contrario; contrarium non habent cæli, cum circulari motui nihil opponatur. III. Tempus fuit æternum; nam si cœpit; aliquando fuit non esse temporis: cum autem illud *aliquando* sit differentia, & proprium temporis; esset insimul tempus cum negatione temporis: semper igitur fuit tempus. Id vero cum aut motus sit, aut cum motu conjunctum, motus præterea sine subjecto mobili non intelligatur; necessario cum tempore ipso fuit ab æterno motus, & materia. IV. Nullum tempus esse potest sine aliquo *nunc*: ipsum autem nunc est medium inter præteritum, & futurum: omni igitur tempori aliud præcessit tempus. V. Mobile prius est motu: vel ergo mobile motum antecedens fuit gene-

auroit pas pu, ou parce qu'il ne l'auroit pas voulu? Mais s'il ne l'a pas pu dans un tems, il ne l'a pas pu dans un autre: c'est donc parce qu'il ne l'a pas voulu: mais comme il n'y a point de succession dans Dieu, si l'on admet, qu'il ait voulu quelque chose une fois, il l'a voulu toujours des le comencement. Ibid. letre 99.

generatum, vel æternum: non primum, quia generatio motu peragitur. Si secundum; ne ergo moveretur, aliquod erat impedimentum: illud autem impedimentum motus removeri non potuit sine motu: ante primum igitur motum alius jam poni debet motus. VI. Quæ secundum naturam sunt; omnia sunt ordinata, & semper ita fiunt; nisi prudens aliqua subsit in contrarium ratio: jam vero Deum per totam æternitatem quievisse, & in tempore tantummodo mundum creasse, neque secundum ordinem est, neque alicui innititur rationi. VII. Idem manens idem, semper natum est facere idem: cum igitur Deus idem semper maneat omnis mutationis incapax; aut mundum semper condidit, aut numquam condet. VIII. Motus circularis principio, medio, & fine caret: nullos habet terminos, a quorum uno incipiat, in alio terminetur: est igitur æternus mundus ejusmodi motu subsistens, atque convolutus. IX. Cæli secundum omnium gentium consensum sunt Dei sedes: si igitur Numen est æternum; ut digna Numine sedes statuatur, æterna etiam sit, oportet. X. Numen est substantia semper in actu, pura potentia carens: mundum igitur actu semper condidit; ne a pura potentia ad actum aliquando transiverit. XI. Proprietas est boni sese communicare: communicatio sine mundo, seu creaturis esse nequit: ab æterno igitur mundum fuisse oportet, cui Numen ipsum communicaretur. XII. Ex rebus possibilibus melius semper a Deo efficitur: est autem mundi æternitas possibilis, meliusque est semper esse, quam non semper esse; sicut melius proculdubio est existere, quam non existere: ab æterno igitur conditum a Deo mundum dicamus oportet.

292. Habes omnia Aristotelis argumenta, quibus mundi æternitatem probabat, & tenebat: puerilia illa quidem omnia, aut pura scholæ præjudicia, atatque sophismata. Ad primum, & secundum: omnis materia cum terrestrium, tum cælestium etiam corporum fuit e nihilo per veram creationem facta, ut superius demonstravimus. Illam dicere ingenerabilem, & incorruptibilem, hoc est, ex nihilo creari, in nihilum redigi non posse, est purum Scholæ præjudicium & petitio principii. Neque ad creationem contraria requiruntur, neque circularis motus sine contrariis intel-

intelligitur. Cuicunque motui, simplex ille sit, aut compositus, alius respondet contrarius, simplici, aut composita directione factus: solis, aut terræ motui in Orientem motus ab Oriente per eamdem orbitam, & planum opponeretur. Si circularis motus resolutionem, aut compositionem in Physica generali expositam legas, puerilem Aristotelis rationem irridebis. *Tertium* est petitio principii: tempus una cum mundo incepit: illud *ante* & *aliquando* in hisce loquendi modis aliud non significant, quam vel tempus ideale, seu ideas nostras, vel tempus non semper fuisse: hæc omnia sunt puerilia. Ad *Quartum:* dicere, quod omne *nunc*, hoc est, quod omne tempus sit medium, est ponere, quod est in quæstione, & falsissimum existit. *Quintum* est ejusdem furfuris: mobile, hoc est, omnium corporum materia ex nihilo ab Omnipotenti Deo fuit creata. *Sextum*: quod ab omnipotenti, & liberrimo Numine libere fit, tum solummodo peragitur, cum ex æterno, atque sapientissimo Numinis consilio faciendum decernitur: id neutiquam sine ratione aut decernitur, aut peragitur: quam assequi humanum intellectum posse, ignorantissimæ homunculi temeritatis spes esset, atque argumentum. *Septimum*. Deus ab æterno, & in æternum semper idem, atque immutabilis liberum ab æterno semper habuit mundi in tempore condendi consilium. Argumentum in caussis tantum necessitate agentibus locum habet. *Octavum* est puerilis argutia, cui respondeatur, penitus indigna. Pueris animi caussa funda ludentibus circularem lapidum, & fundæ motum principium, & finem non habere Philosophica gravitate affirma: te cachinnis illico exceptum velocibus pedibus committere opus erit, ne circularium illorum motuum principia, & fines molesto experimento docearis. Ad *Nonum:* Deus in se ipso est, sui ipsius locus; neque, ut existat, distincto indiget spatio, & loco. *Decimum*. In Deo nullus umquam fuit, aut esse potest transitus: in ipso semper fuit æternum mundi in tempore condendi consilium: mundi creatio Deo nihil addidit: quidquid hic accidit novi, ex parte creaturæ tantum existit. Ad *Undecimum*: de ratione summi boni est, esse se ipso beatum, sibi sufficiens, nullo opus habere, sese communicare, cum, quando, & quomodo velit. *Duodecimum*. Neque Deus melius ob-

jectum

jectum semper agit, neque mundi æternitas probari potest possibilis, neque etiam melior, quam ejusdem productio in tempore. Si quæ in Astronomia Physica, atque in superioribus etiam diximus, memoria retines, aut iterum legas; brevissimis hisce responsionibus inania illa veterum cogitata evanescere, & penitus dilui, non dubitabis.

293. *Proclus* & alii Platonici sequentia ejusdem plane farinæ, ac præcedentia nobis opponunt. *Primo:* si mundus incepit; cur non ante fuit conditus? habet enim Deus infinitam potentiam, potuitque mundum antea creare. Resp. Ens Omnipotens liberum, atque æternum eo agit consilio, quod adorare, rationabile est, quærere, insanum, comprehendere, impossibile. Qui hæc evidenter non cognoscit, tenet, fatetur, Metaphysicis argumentis valedicat, agellum suum colat.

294. *Secundum:* Summi Boni est se ipsum aliis communicare: quæro igitur, aut Deus potuit ab æterno mundum creare, cui communicaretur, aut non potuit: Si potuit, voluit etiam: aliter esset invidus contra summi Boni rationem; mundumque ab æterno condidit. Si autem non potuit, & voluit; par in eo non est omnipotentia, atque voluntas. Resp. Quod Bonitatem Dei attinet, modo contra Aristotelem solvimus: dilemma clarius, quam a Proclo, in Astronomia propositum eodem loco diluimus: si mundi æternitatem negas esse possibilem; Deum neque voluisse, neque potuisse mundum condere æternum dices; quin tamen id omnipotentiæ officiat. Si mundi æternitatem existimas possibilem; potuisse quidem, sed noluisse, dices. Rei veritas est, Deum noluisse mundum æternum condere: invidia non est, nisi jam, cui malum optes, existat. Uno verbo, nihil hic nisi vocum sophismata.

295. *Tertium:* Aliquæ caussæ sunt simul cum suis effectibus, ut Sol cum lumine, opacum cum umbra, quin tempore effectus præcedant: idem de Deo mundi hujusce caussa dicamus. Resp. Argumentum ad summum possibilitatem probaret: sed ne eam quidem conficit, ut superius exposuimus. Deinde caussæ liberæ suos effectus tempore possunt præcedere, & fere semper præcedunt.

296.

296 *Quartum*. Ab æterno in Deo fuit idea mundi, quæ exemplar dici poteſt: mundus vero eſt illius exemplaris imago. Cum igitur duo hæc ſint ad ſe mutuo relativa, unumque ſine alio, idea ſine imagine eſſe nunquam poſſit; una cum exemplari ab æterno fuit etiam mundus. Reſp. In Procli, & aliorum Platonicorum gratiam, ne ipſos quidem argumento fidem adhibere, crediderim: idea non poteſt ſtare ſine imagine, ſeu objecto ideali; poſſe tamen ſine reali, omnium hominum experientia docet. Artifexne, tumetipſe faciendi operis ideam longe prius mente non concipis, quam verum ideæ objectum in rebus exiſtat, atque à te conſtituatur?

297. *Quintum*: Vel Deus fuit cauſſa ſemper actu efficiens mundum, vel non ſemper actu efficiens: ſi primum; ſemper fuit mundus: ſi 2. ab alio ad agendum moveretur Deus; cauſſa enim non ſemper agens, ſeu in potentia agendi ab alia excitatur. Eſſe ſcilicet, aut concipi poteſt cauſſa, quæ a ſe ad novam actionem moveatur? Si ita eſt; ratione ſane aliqua ad actionem novam determinari oportet: omnis ratio in Deo eſt æterna: poteſt igitur Deus ratione æterna ad actionem novam edendam determinari? Ne hæc admittantur, mundum potius dicamus æternum. R. Neque Deus ſemper actu mundum efficit, neque ad id ab ullo potuit determinari: ſeſe ad actionem determinare, eſt perfectiſſimæ libertatis proprium, neque cauſſæ notioni opponitur. Deus perfectiſſimum agens liberum ſe ipſum ab æterno ad mundum in tempore creandum libere determinavit: determinandi ratio ad mundum in tempore creandum fuit quidem æterna; ſed in libertate potiſſimum poſita, & omnipotentis perfectiſſime liberi propria illum ad actionem compellere non poterat. Omnia hæc ex ſe ipſis ſatis manifeſta, ad evidentiam ex iis demonſtrantur, quæ de libertatis notione, & exiſtentia, atque de *Rationis ſufficientis* principio diſputamus.

298. *Sextum*. Deus eſt proculdubio immutabilis: mutaretur autem; ſi mundum in tempore condidiſſe; per totam enim æternitatem non agens ad agendum in tempore tranſiret: fieret de novo efficiens, auctor, & opifex mundi, qui prius non erat: quomodocumque id demum fiat, eſt vere mutari, & moveri. Hoc argumento non modo temporariam mundi

crea-

creationem, sed Dei libertatem impugnant, omniaque non modo æterna, sed fatali necessitate agi contendunt. Resp. Nulla in Deo mutatio ex mundi creatione temporaria enascitur. 1. Enim creatio non est motus, 2. Etsi esset motus; mobilis tantummodo, non moventis esset. 3. Per temporariam creationem neque perfectionis, neque novi aliquid accipit Deus; quæ duo sunt ad mutationem necessaria: mutari scilicet est, aliquid quod non habebat, adquirere, quo aut perficiatur, aut deterior fiat; quamdiu scilicet res totum, quod erat, conservat, nihilque accipit; quo aut melior, aut pejor evadat, mutari non intelligitur, ut facile omnes convenimus. Jam vero cum Deus ab æterno habuerit liberum temporaneæ mundanæ creationis consilium; posita mundi creatio nihil novi Deo addidit: nihil *intrinsecum* superadditur; illamet, quæ in Deo circa mundum erant, eadem semper manent. Unus est mundus a non esse ad esse transiens, in quo tota appareat nova perfectio, perfectionis novitas. Quod igitur Deus fuit ab æterno, modo etiam, & in æternum existet; quod modo est, ab æterno etiam fuit: voluntas Dei libera, & æterna ad mundum in dato tempore creandum modo etiam in Deo est, ad illudque tempus refertur: actio vero mundum creans mundum tantummodo intrinsece afficit; quin ab illa in Deo proveniat, nisi æterna creatoris denominatio. Fusius jam hæc demonstravimus, cum argumentum ex Theologia revelata contra Numinis immutabilitatem superius solvimus; in quo longe majus apparet, quam in Procli argumento momentum.

299. *Septimum*. Mundus non potest dissolvi: ergo neque fuit generatum: patet illud primum: ponitur mundus a Deo factus: & unus etiam Deus mundum posset solvere. Solvere quod bene, & cum ratione est colligatum, improbi est: vel igitur mundus est bene, & cum ratione colligatus, vel non: si secundum; non est Deus bonus artifex: si primum; esset igitur improbus si solveret: quandoquidem igitur neque malus artifex, neque improbus esse potest Deus, mundum non potest solvere, neque generare. Resp. Mundum a Deo dissolvi posse, naturalis ratio dictat ex ipsamet cum creaturæ, tum creatoris *a se* notionibus profluens. Neque in eo minimum improbitatis vesti-

vestigium apparet: quod enim existamus, purum est Numinis beneficium, ad conservationem jus non habemus. Sane si solvere esset malum; posse solvere; esset potentia faciendi malum: quoniam igitur secundum ipsos etiam Platonicos potest Deus destruere mundum, quin possit esse malus; neque fieret ipsa destructione malus.

300. Tertio *Averroes* Aristotelis caussam agens mundi æternitatem pluribus confirmare aggreditur: sed ex iisdem plane, atque Proclus, rerum capitibus argumentatur. Ex eo, inquam, quod nisi mundus statuatur æternus, fieret in Deo mutatio: quod omnia ex subjecto, & contrario fiant: quod Deus æterno impedimento detineretur: quod ante mundum fuisset tempus: quod nulla sit caussa, quare Deus agens rationale per totam æternitatem mundi creationem distulerit: quod ex nihilo nihil fieri possit: quæ omnia hucusque contra Platonicos solvimus.

301. Tria præterea opponit: 1. Si mundus statuitur non æternus, necessario fuit vacuum spatium ante mundum; alicubi etenim mundum condidit Deus. 2. Fuisset ab æterno mundi possibilitas, quæ per mundi ipsius creationem destrueretur: nihil autem æternum potest destrui, 3. Quod de novo fit, non potest a Deo ipso per se se fieri: qui igitur mundum non statuimus æternum, ex mundo Deum demonstrare non possumus 4. Voluntas nova non potest esse caussa operis antiqui: neque igitur a voluntate antiqua opus novum prodibit. Resp. Aliud nos ante mundum non admittimus spatium, quam Dei ipsius immensitatem. Quodsi hæc tibi spatium explicandi ratio non placet; unum e duobus admittere cum probabilitate poteris, spatium ipsa esse corpora, atque materialem mundum, vel una cum mundo fuisse a Deo conditum. Quamcunque ex tribus hisce teneas; *Averrois* difficultas evanescit. Secundum si quid probaret, *Averroem* etiam impossibilem ab æterno fuisse conficeret, ne scilicet æterna hominis possibilitas in tempore destrui dicatur. Possibilitas per rei positionem non destruitur, sed in actum transit, atque perficitur: neque aliquid est ab ipsiusmet caussæ virtute, atque natura distinctum. *Tertium*: Unde vero nihil novum a Deo fieri posse, probabitur? Id utique

tanquam rem evidenter falsam negamus. *Ad quartum*, Caussa tum, cum effectum producit, existat nenecesse est: effectus igitur caussam præcedere non potest,, atque in hoc sensu voluntas nova, seu posterior effectum antiquum, seu antecedentem producere nequit. Contra vero antiqua voluntas rem agendi conservari diutius potest, & datum futurum tempus respicere, ad quod usque conservata effectum producat. Verum hoc esse, ratio ipsa, & quotidiana hominum experientia demonstrat: quid igitur inutilibus quisquiliis ad quæstionem maximi momenti decidendam lectorum patientia abuti?

302. Nonnulla alia *Procli*, aliorumque argumenta prætermisi; propterea quod puerilia adeo sunt, ut illa indigna plane existimem, quæ a philosopho, hac ætate, & opere proponantur. Paucis tantummodo additis quæstionem absolvamus. Dicimus, mundum etsi dato in tempore creatum, potuisse tamen antea creari: ubinam autem erat potentia illa creandi, cum neque esset subjectum, neque in *nihilo* esse possit? In Deo ipso caussa omnipotenti æterna, respondeo. Attamen, pergis, cum creatio neque sit res creata, neque caussa creans, sed actio ab utraque distincta, in subjecto aliquo proculdubio recipi oportet. Resp. Creatio aliquid non est a re creata distinctum. Si nihil ergo fuit æternum a Deo distinctum, quid Deum sibi sufficientissimum, atque beatum ad rerum creationem potuit movere? Resp. Agens a se, summe liberum, atque infinite sapiens in sese tantummodo, atque ex sese habet suæ voluntatis, & agendi rationem. Si igitur mundus incepit, incepitne esse in tempore? fuit igitur tempus ante motum? Respond. Mundum una cum tempore incepisse. Ubinam igitur erat Deus? in se ipso, respondeo: ens sibi sufficiens, sibi ipsi est locus, & tempus. Si tamen, ulterius pergis, mundus non fuit æternus; non fuit igitur necessarius: si majorem non habet ætatem; neque id decuit, neque conveniens extitit; quare igitur hoc potius, quam antecedenti æternitatis puncto, seu temporis momento mundi creatio decuit? Resp. Mundum ab æterno existere, forsitan fuit impossibile: ut hanc præ aliis habeat ætatem, sua æternæ sapientiæ rationabilis fuit consilii ratio: quænam hæc fuerit, creaturæ non est, neque quærere, neque intelligere.

303. Tandem opponitur: Deus, perfectissimum scilicet agens, melius semper, quod potest, agit; sicut autem melius est *esse*, quam *non esse*, ita etiam *semper esse*, melius haberi debet, quam *non semper esse*: Deus igitur a tota æternitate mundum condidit. Hæc veterum Philosophorum difficultas a *Leibnitio* instaurata, confirmata, & longe promota ad *Optimismi* systema viam aperuit, aut ipsissimus est *Optimismus*, acerrimarum disputationum hoc tempore argumentum. Rerum igitur ordo, atque idearum connexio ad celebrem hanc metaphysicam disputationem nos deducit. Interim ut argumento fiat satis; a Deo melius semper objectum fieri, nego: deinde etsi id parumper concederem, probandum tamen superesset, melius fuisse, mundi æternitatem, quam temporaneam creationem, diuturniorem, quam breviorem ætatem habere: quod ab recentioribus optimismi fautoribus non conceditur. Sed ut totum hoc creationis, atque originis rerum argumentum absolvamus, Optimismum examinemus.

§.

Optimismi, seu Meliorismi systema, atque Rationis sufficientis Principium.

ADNOTATIO CRITICO-HISTORICA.

304. Hactenus cum Materialistis, Platonicis, & generatim cum Atheistis omnibus disputavimus: iisque non modo Numinis existentiam, sed quamplurima etiam ejusdem attributa demonstravimus, quibus negatis, aut Deus ipse tollitur, aut is tantum ponitur, qui neque ab humana ratione admitti, neque Dei entis necessarii nomine, atque notione donari potest. Deum scilicet ex una parte admittere, ex alia vero vel materiam cum Spinosistis nuncupare, vel liberum cum Stoicis negare, vel sine providentia, ut Epicurus; statuere, vel alia his similia, atque cum idea Numinis pugnantia adstruere, id sane est, aut atheismum profiteri, aut amico fœdere cum Atheistis convenire. Si ratione ii philosophi duci ament, eamque audiant; acta res est, caussa ceciderunt. Cum aliis modo res nobis erit: ab externis ad domesticos dissidentes mentem convertamus. Bene est: Existit Deus caussa prima necessaria demonstratis hactenus attributis praeditus: corpora, mundus, omnia sunt a Deo facta: æ-

terna hæc non statuimus: in tempore a paucis annorum millibus condita fatemur: de iis omnibus convenimus. Quin immo entia omnia a Deo Bono, Vero, Uno facta, esse etiam ipsa bona, vera, una adstruimus. Est tamen præterea Deus non modo in se ipso, sed in suismet actionibus optimus, atque infinite perfectus: eruntne igitur etiam mundus, atque reliquum omne Dei opus optima, & quantum creaturæ esse possunt, perfectissima? ita ut Deus ex suæmet infinitæ perfectionis ratione optimum semper, quod potest, producat, ad optimum agendum insuperabili necessitate teneatur? Deum Optimum Maximum, atque infinite perfectum semper eligere, atque efficere melius, immo & optimum quod potest, Platonicis, & nonnullorum veterum sententia fuit. Dogma ex antiquis acceptum, & absurdas Optimismi consequentias statim exponendas duodecimo labente sæculo aperte propugnavit *Abailardus*, quem plures alii per id temporis sequebantur; adeo ut Petrus *Abailardus* suæ ætatis Leibnitius, quod præsentem rem attinet, dici merito possit (*a*). Optimismum a Platone, Abailardo, & aliis propugnatum longe ulterius promovit, & acrius propugnavit *Leibnits*. Inter duo aut plura inæqualia eligi a Deo semper melius, veteres Græci asserebant; non posse non eligi melius, addidit Leibnitius: illi igitur rem solummodo facti affirmabant, potentiam eligendi minus non inficiabantur, electionem inter duo æqualia liberam Deo esse, adstruebant. Leibnitius contra non modo rem, sed rei necessitatem; non modo a Deo semper eligi melius, sed neque posse minus bonum eligere, neque melius omittere, Inter æqualia vero impossibilem Deo esse electionem: immo duo aliqua perfecte æqualia, seu similia inter se esse, impossibile statuit Leibnitius (*b*). Leibnitium VVolfius (*c*), atque plures alii Germani potissimum philosophi sequuntur. Rem totam evolvamus.

305.

(a) Abailardi Theolog. Christ. inserta tomo 5. Anecdot. Patrum Martene, & Durand.

(b) Essais de Theodicee. P. 1.

(c) Theolog. nat. p. 1.

305. Ab idea in ideam mens humana deducitur, consequentia consequentiam trahit: periculi nescio quid in hujusmodi assertionibus mens humana persentiscit: unde igitur hæc, & quorsum tandem evadent? Fundamentum totius rei est principium Rationis sufficientis a Leibnitio, VVolfio, & aliis universaliter adstructum, & secundum eorum mentem supra expositam usurpatum. En idearum seriem, & integrum horum auctorum systema. Nihil potest agi sine caussa, seu ratione sufficienti. Hoc quidem in caussis, atque effectibus materialibus, atque mechanicis verum esse, per se patet: sed nullum etiam agens liberum, atque ratione agens rem unam præ alia potest eligere, quin sufficiens aliqua ratio voluntatem ad hujus potius, quam ad illius objecti electionem illud moveat. Deus igitur, agens rationale liberum, a ratione aliqua sufficienti ad agendum, & ad unius præ alio electionem moveri opus est. Præterea enim quod imprudentiæ esset, sine ratione, seu motivo (ut dicitur) liberam voluntatem agere; libera indifferens, atque rationabilis voluntas aliqua ratione flecti, seu moveri debet: ratione scilicet regitur prudens voluntas; ratione tollitur indifferentia. Voluntas libera neque prudenter, neque physice potest sine ratione se se ad agendum statuere. Si quid prudenter eligis; ratione ad eligendum moveris: jam vero ratio voluntatem ad eligendum movens, est bonitas rei: motivum igitur voluntatem movens objecti bonitas est, omnesque illas objecti circumstantias complectitur, quarum complexione unum alii possit præferri. Ex duobus igitur inæqualibus bonis, quod minus est, majori præferri a Deo non potest: præferendi scilicet ratio sufficiens deesset. Quare minus bonum meliori præferret prudens voluntas, a qua secundum primo melius esse agnoscitur? Deus igitur melius semper eligit: neque minus bonum eligere, aut agere umquam poterit; quia sine ratione sufficienti neque agit, neque agere potest: si igitur duo, aut plura concipiantur bona omnino æqualia, hoc est, perfecte similia; neutrum a Deo effici, aut eligi posset. Ut unum præ alio eligeret, ratio sufficiens non existeret: essent proinde impossibilia; quidquid enim a Deo effici non potest, est prorsus impossibile (de actione morali mala modo non loquimur). Quænam hinc consequuntur?

tur? 1. Ne duæ quidem materiæ partes possunt esse perfecte similes, seu perfectione æquales: idemque ad humanas animas, ad spiritus, & ad omnia universim extendendum. 2. Singulæ materiæ partes sunt totidem monades, seu insecabilia entia inter se dissimilia, & perfectione imparia. 3. Generatim igitur tamquam principium statui potest impossibilitas indiscernibilium, ut Auctoris vocabulo utar: hoc est, entia quæcumque adeo similia, & perfectione paria, ut discerni inter se nequeant, esse prorsus impossibilia. 4. Mundus igitur nostro perfecte similis, seu perfectione æqualis, aut melior alter, eruntne Deo possibiles? id vero dici non potest: si enim de duobus mundis perfectione æqualibus loquamur; uterque esset ex principio rationis sufficientis impossibilis. Si meliorem alium admittas; præsens mundus esset ex eodem principio impossibilis: ad meliorem alium eligendum teneretur Deus. Præsens ergo mundus est optimus, quem Deus possit, aut potuerit creare: immo & alius quicumque mundus a nostro distinctus est plane impossibilis. Vel enim esset similis, vel perfectior, aut imperfectior: primus, & tertius ex principio Rationis sufficientis sunt impossibiles: perfectior vero si a Deo creari potuisset, fuisset sane creatus, præsens autem mundus esset ex eodem principio impossibilis. Quid? noster mundus innumeris malis moralibus est deturpatus: ita quidem: optimus tamen est, quem Deus potuerit producere: mundus malo morali prorsus carens (propositio Leibnitii est) est Deo impossibilis, essetque præsenti mundo deterior.

306. Habes paucis expositum famosum per id temporis Optimismi, atque Rationis sufficientis systema. Quidquid hic deduximus, a Leibnitio statuitur, & pariter deducitur: absit enim, ut aliquid de nostro adjiciamus. En quo absurditatis catenata idearum series ex ruinoso principio mentem humanam deducit. Plurimos offendit deductarum consequentiarum absurditas, & profluens inde fatalismus. Systemate vix in lucem edito, subortæ illico sunt Philosophorum hinc inde stantium disputationes. Leibnitium systematis instauratorem, &, si vis, auctorem (a), tuta-

(a) Essais de Theodicee. P. 1.

tutati sunt Christianus VVolfius, (a), VVattel (b), Reimberk (c), & plures alii modo etiam in Germania potissimum sequuntur. In Leibnitium insurrexit cum plurimis aliis Palms (d): omnibus tamen palmam aripuit Samuel Clarh, nitidissimi ingenii metaphysicus Anglus. Quæ inter Clarkium, atque Leibnitium intercesserunt hujus argumenti caussa, controversias plurimis epistolis hinc inde transmissis contentas Litterariis concertationibus tum modestia, tum ingenio, & claritate exemplar esse vellem (e). Ante Clarkium absurda aliqua Optimismi capita impugnaverat Petrus Bayle (f): cum tamen aliis Optimismi capitibus conniveret; in ipsum pariter & Leibnitium acerrime disputavit *Le Clerc*. Mentem meam in re gravissima sequentes propositiones aperient.

307. Prius tamen lectori philosopho animadvertendum est, si Aristotelis, & Procli argumenta pro mundi æternitate facientia, superius a nobis posita, atque soluta examinentur; integrum hoc Leibnitianum Optimismi systema, atque absurdissimas systematis consequentias in illorum philosophorum argumentis deprehendimus.

PROPOSITIO XIX.

308. *Systema Optimi est plane falsum, naturali rationi, atque religioni omnino oppositum.*

Propositionem multiplici de capite demonstrabimus; 1. quidem demonstratione ad impossibile: 2. vero ostensiva demonstratione rem conficiemus. 1. Si mundus est Optimum illud, quod Deus potest producere, est hoc universum tota, & integra mensura Omnipotentiæ divinæ, terminusque ultimus, ultra quem Omnipotentia nihil potest. Enimvero secundum Optimistas si aliquid posset melius, id vellet, id produceret,

(a) Theolog. natur. P. 1.
(b) Defense du systeme de Leibnits 1741,
(c) Reponse de Mr. Reimberk 1736.
(d) Apolog. contra Leibnits. 1736.
(e) Recueil des lettres &c.
(f) Diction. Crit.

ret, ne sine ratione sufficienti ageret: mundusque noster neque umquam produceretur, neque eligi a Deo posset, aut produci. Effectum vero integrum plenam esse mensuram integræ caussæ, atque illius virium, rationis dictamen existit. Unum igitur e tribus admittant oportet, Omnipotentiam scilicet & mundum esse utrumque perfectione infinitum, aut utrumque finitum, aut finitum esse infiniti mensuram. Omnipotentiam divinam non esse infinite perfectam, lumini rationis, primitivisque ideis, & luculentissimis demonstrationibus superius allatis opponitur. Mundum infinite perfectum ponere, est purus Pantheismus, ut superius confecimus: ens enim infinite perfectum non est ab alio, est a se, necessarium, æternum. Superest tertium: finitum esse infiniti mensuram, adeo est a ratione naturali, atque ab omnibus humanis notionibus alienum; ut qui id admiserit, ulterius ad disputandum admitti non possit.

309. 2. In hac hypothesi nullæ sunt monades, seu entia perfecte similia, aut æqualia: omnia igitur perfectione inæqualia: ab ente, seu monade omnium imperfectissima ad perfectissimam usque gradatim conscenditur, & magna quædam est inter minimam, & maximam creatam monadem distantia per totam hanc monadum seriem distributa, qua duo seriei extrema a se mutuo secundum perfectionem distant. Jam vero inter nihilum & primam imperfectissimam creaturam, inter perfectissimam monadem creatam, & Deum magna intercedit distantia: prima quidem finita, secunda vero infinita: si ergo certos illos perfectionis gradus inter dissitos creaturarum limites produxit Deus; quare ulterius in immenso illo utriusque vacui intervalli spatio alios, & alios perfectionis gradus decrescentes, aut crescentes non poterit producere? Ex una parte infinita Dei omnipotentia ponitur, ex alia vero infinita finitorum graduum, & perfectionum series vacua, quarum singulæ ab ipsa omnipotenti caussa infinite superantur: neque sua etiam hic ratio sufficiens desideratur in ipsarum monadum perfectione crescentium, aut decrescentium gradibus, & merito innixa. Omnia hic tum in existentis seriei plenitudine, tum in ulterioris seriei vacuo spatio paria prorsus existunt. In hac idearum deductione sufficiens ratio possibilitatis aliarum rerum, aliorum, & aliorum

seriei

feriei graduum manifeste apparet. Unde existentem seriem ulterius produci ab omnipotenti caussa non posse, dices? Quodsi est possibilis; tum vero ex meliorismi principiis necessario existit: melius scilicet est, ulteriorem seriem possibilem existere, quam non existere. Neque nisi petitione principii, & quæstionem pro responsione afferendo, argumentum declinari posse, video.

310. 3. Deus est infinite potens, seu omnipotentia divina est infinita: ens igitur creatum, quod sit optimum, seu perfectione ultimum, atque supremum, est prorsus impossibile. Optimum illud, quod parumper ponimus, & mundum vocari permittimus, vel est infinite perfectum, vel limitatæ perfectionis existit: si primum dicatur; in Pantheismum incideretur, ut superius deduximus: si secundum; entis igitur limitati, atque a summa Dei perfectione infinite distantis productione omnipotentia exhauriretur: & producto semel ente illo finito (quod relatum ad Deum est nihil), nihil ulterius esset, quod Deus posset agere, impotens ulterius Deus existeret. Hæccine vero est de infinitæ omnipotentiæ virtute idea? Iterum dico, aut quæstio nobis pro responsione dabitur, aut de ideis amplius non convenimus.

311. 4. In hypotesi Optimismi mundus necessario esset æternus. Tenetur scilicet Deus ad melius: aliter falleret principium: sine ratione sufficienti ageret. Sicut autem melius est esse, quam non esse; ita pariter melius est semper esse, quam non semper esse. Duo hæc postrema (de rebus semper physicis loquimur, malitiam moralem excludimus) ratione ipsa innotescunt: si existere est bonum *non existentiæ* præferendum; semper existere, seu duratio numquam deficiens deficienti melior existet: nisi dicere velis, *non semper existere* perenni existentia melius effici per ipsummet existentiæ defectum, seu interruptionem: quod esset reddi per imperfectionem perfectius, per umbram, & tenebras luminosum. Consequens inde est, æternam mundo durationem a Deo datam, & dandam: cum melius semper agat. Concipias parumper, Optimista, mundum a Deo destrui: cum hujusmodi destructio bonum tolleret, non efficeret; non illa esset melioris electio, aut positio, sed potius deterioris, seu imperfectioris electio: mundum id-
cir-

circo destrui, est secundum Optimismum impossibile.

312. 5. Sed ex hac demonstratione ab absurdo petita similis altera consequitur. Non modo hic mundus, quem optimum dicitis, erit per vos æternus; ut modo confecimus; sed erit præterea ens necessarium: quid ex vestro illo principio absurditatum uberrimo non pullulat? Id nimirum, cujus productio est necessaria, quod ab ente necessario, & æterno suæ naturæ necessitate producitur, est proculdubio ens necessarium: ita vero est, ex naturæ suæ necessitate, atque rationis sufficientis principio Deus agit semper melius: ab æterno igitur mundum necessario producit. Si necessarium id non fuisset, sed libera actione Deus produxisset mundum; potuisset igitur mundum optimum non producere; cum autem melius sit *esse* mundi, quam *non esse*; amplius Deus non esset ad optimum necessitate actus contra hypothesim: stante igitur optimismo, est mundus non modo æternus, sed præterea necessarius. Quanta vero hinc consequuntur absurda! Notio entis necessarii illa omnia secum trahit attributa, quæ entis a se propria sunt, ut superius demonstravimus. 2. starene hæc possunt cum perfectissima omnipotentis Dei independentia; si Deus ipse esse non potest, quin una simul cum Deo existat mundus? Quid igitur rei est, esse *ens a se*, sibi sufficientissimum, se ipso beatum, infinite independentem; si esse nullo modo potest, quin sit etiam mundus? Quorsum hæc idearum contradictio? Mundus, dices, necessario quidem existit, non propriæ perfectionis caussa, atque, ut ita dicam, ubertate, sed ob infinitam solummodo Numinis sapientiam, ratione sufficienti semper, & necessario ductam, melius necessario eligentem. Statuas, ut placet: omnia in hac hypothesi contradictionibus scatent. Quid tamen? Tota ratio Deum ad electionem movens secundum optimistas, est præferendum mundi meritum, & bonitas: modo sic: quidquid infinitam omnipotentis Dei libertatem modo insuperabili adigit, vim habet, hoc est, bonitatem infinitam movendi: nisi ita statuamus, de ideis amplius non convenimus. Ratio scilicet movens cum movendæ libertatis genio, merito, viribus proportionem habere opus est: quæ autem proportio inter creaturam,

seu

seu nihil, & infinitum? Vel igitur mundus optimus bonitatem, & vim, habet infinitam Deum necessario movendi, vel non necessario movet: & consequenter Deus non a creatura, sed a se ipso movetur. Sed hoc ultimum inferius prosequimur.

313. *Demonstratio 6.* Optimismi etiam Corollarium, & necessaria consequentia est, Dei libertatem tollere, fatalismum in philosophia statuere. In optimi hypothesi Deus non est liber, omnia fatali necessitate producit: utrumque ex idearum connexione evidenter profluit. Primo id ex mundi æternitate, atque necessitate modo a nobis in Optimi systema demonstrata evincitur; sed ulterius adhuc conficitur. Omnes alii mundi a nostro distincti, quos in idea conciperes, sunt prorsus impossibiles; vel enim essent, aut concipiuntur huic mundo perfectione æquales, vel meliores, vel inferiores: quodcumque eligas, erunt impossibiles. Quidquid enim physicum non potest a Deo produci, est prorsus impossibile: impossibile enimvero est, Deum posse producere, quod in nulla possibili hypothesi potest velle, seu eligere: nequit autem Deus eligere, & velle mundum nostro æqualem, aut minorem: contra insuperabile rationis sufficientis principium ageret Deus, ipsumque principium caderet, quod utrumque hac in hypothesi ponitur impossibile. Mundum præterea nostro meliorem ipsimet Optimistæ impossibilem statuunt: alias enim iterum destrueretur hypothesis, non amplius hic mundus esset optimus, ad optimum non teneretur Deus. Aliis verbis: quidquid est contra rectum ordinem, contra principium rationis sufficientis, neque velle, neque eligere, neque agere potest Deus. Deus scilicet ipsamet est ratio, ordo, consilium: potentia in Deo consilio, & rationi opponi nequaquam potest: quod Deus non potest velle, impossibile est produci; quod produci omnino non potest, est prorsus impossibile: ad impossibilia autem omnipotentia non extenditur. Jam vero ad impossibilia non datur electio: inter duo, aut plura æqualia, aut inæqualia non potest Deus eligere ex principio rationis sufficientis: sine electione autem, sine potentia eligendi non existit libertas.

314. 7. Fatalismus alio item modo ex Optimismi hypothesi profluit. Satis hucusque demonstravimus, Deum

Deum si ad melius semper tenetur, neque ad mundi, & cujuscumque alterius rei electionem, neque ad productionis tempus, & modum, neque ad rem non producendam esse liberum: ad melius tenetur, si verum est rationis sufficientis principium: melius cæteris omnibus rebus hoc universum ponitur, melior sane ejus productio, & existentia, quam non existentia, melius tandem illud semper esse, quam non semper esse: ad tria igitur hæc meliora, mundi electionem, productionem perennem, atque æternam durationem tenetur Deus: in nulla igitur possibili providentia; aut hypothesi Deo possibili fieri potest, ut hic mundus destituatur, aut non ab æterno extiterit. Neque mundus, neque mundi duratio, productionis, & conservationis tempus atque modus inverti, aut mutari a Deo possunt. Quamcumque fingas hypothesim possibilem; Deus necessitate suæ naturæ; atque infinitæ rectitudinis prudenter semper agit: fatalis hæc est, seu potius intrinseca in Deo necessitas: in Optimismi hypothesi prudenter agere, est melius agere; optimum semper eligere: quoniam igitur mundus, existere, semper existere, eorum oppositis meliora sunt, ex natura Dei hæc omnia fatali necessitate consequuntur. Neque aliquis mihi impræsentiarum opponat notas illas, atque inutiles tricas ex notionibus voluntarii, atque spontanei, quibus nonnulli notionem libertatis involvere, atque obscurare adnituntur: suus iis erit respondendi locus, cum voluntatis libertatem exponemus, atque vindicabimus: satis interim sit, ratum hoc habere (postea probandum), quod si aliquid ex caussæ natura insuperabili necessitate profluit, & consequitur, nequaquam id caussæ ipsi liberum existere: cum in nulla possibili hypothesi omitti, aut impediri possit. Inde concludimus, omnia, quæ ex fatalismo consequuntur, absurda, in optimismo etiam locum habere.

315. *Demonstratio* 8. Ex Optimismi hypothesi hoc aliud consequitur, mundum malo morali infectum esse optimum illud, quod Deus efficere possit: mundum innocentem, ab omni iniquitate, ab omni morali malo immunem mundo criminoso, infinitis pene reatibus infecto non esse meliorem. Rem ita esse non modo admittit, sed pluribus probare adnititur

Leib-

Leibnitius (a). Plurimum vereor ne callosæ alias philosophorum aures ad hujusmodi propositionem horrescant, illamque puræ etiam rationi scandalosam pronuntient. Malum igitur morale, est pars omnino necessaria ad mundum optimum atque Deo dignum constituendum? Si non essent peccata, iniquitates, non adeo bonus esset mundus, ut modo est, non esset Deo dignus? ad id vero meriti atque dignitatis per flagitia elevatur? Mundus tamen a Deo creatus malis non erat infectus: hoc scilicet philosophi christiani, quibuscum agimus, admittunt, statuunt, credunt: non posse autem Deum mundum innocentem servare, si innocentem creavit? Mundus a Deo primum creatus innocens secundum adversariorum hypothesim erat optimus: ad melius enim tenetur Deus: quare igitur non conservaret optimum, quod optimum produxit: conservatus haberet, quod productione acceperat. Si productus fuerat optimus, optimus pariter esset conservatus. Aliquid ne perfectionis mundo addidit malum morale, quo non addito amplius non esset mundus optimus? perfectissimus igitur constitueretur per maximum, qui esse possit, defectum, atque imperfectionem? Si igitur mundus per malum morale efficitur optimus, estque malum pars necessaria mundi optimi, sine qua optimus non esset; non modo Deus impedire non potuit malum morale; sed illud decernere, atque eligere tenebatur: pars enim erat essentialis mundi optimi, quem Deus necessitate suæ naturæ produxit. Istane vero cum infinita Numinis sanctitate cohærent? Numen infinite sanctum, ipsamet æterna sanctitas, atque rectitudo, omnipotenti alias virtute præditum illud unum rerum systema eligere, atque efficere potest, quod mala moralia, scelera, peccata necessario componunt? Systema ne igitur omni ex parte rectum, sanctum, innocens supremam dedecet sanctitatem, atque Bonitatem, & Justitiam infinitam?

316. Optimismus tandem ex voluntatis libertate penitus evertitur. Plures quidem Optimistæ *fatalismum* aperte aut tacite profitentur: in eos igitur perperam ex

(a) *Leibnitius* Essais de Theodicee P. 1.

ex libertate argumentum desumeres. Sunt tamen eorum quamplurimi, qui voluntatis libertatem propugnant, & cum optimismo componi posse existimant. Recentissimos eorum cum legerim hunc lapidem omni ex parte moventes; hoc meum fuit de iis hominibus, eorumque caussa judicium, non melius lectorem de optimismi fatalismo suaderi posse, quam si optimistarum responsionem & conatus legat, quibus illam a se, & optimismo notam expungere adnituntur. Paucis verbis rem expediamus. Existit libertas: de re, inferius contra Fatalistas probanda, convenimus: si ergo libertatis idea optimismum evertat; res est confecta. Ita vero est: caussa libera illa est, quæ, omnibus ad agendum requisitis jam positis, potest tamen non agere, seu potest agere oppositum. Hæc fane est notio libertatis, aut in ejus notione continetur. Conveniunt: inter requisita ad voluntatis actionem actio ipsa & consensus voluntatis non comprehenditur: actio enim voluntatis est consensus ipse, libertatis exercitium, est ipsummet agere voluntatis liberæ: idem autem non est requisitum ad se ipsum. Voluntatis actio A. non est requisitum ad ipsam actionem A. Hucusque res est clara: de hisce notionibus convenimus.

317. Sint ergo ab humana mente duo opposita bona, rationes seu motiva voluntati proposita, actio scilicet præcepta, atque delectabilis præcepti transgressio: vel etiam motus, & quies. Utrumque hoc bonum voluntati a judicio indifferenti proponatur, judicio nimirum motivum hic & nunc repræsentante bonum, finitum tamen & non undequaque bonum. Voluntas inter utrumque illud motivum posita, & indifferenti illo judicio illuminata statuatur. Habes communissimum humanarum actionum casum. Vel utrumque motivum est æquale, vel unum est altero fortius: in utroque casu habetur voluntas cum judicio indifferenti: in neutro tamen voluntas est libera secundum notiones libertatis, & optimismi. In primo casu voluntas non potest agere: stante æqualitate boni moventis voluntas æternum maneret anceps secundum *Leibnitium*, sese ad unum præ alio inclinare non posset: in sensu igitur composito æqualitatis motivorum voluntas non potest agere, quamdiu stet æqualitas. In secundo non est libera, necessario

ſario agit melius. Priorem caſum dat omnino *Leibnitius*, ſecundum quem aſinus inter duo viridia prata æqualia conſtitutus fame periret, non poſſet ſeſe agere: nulla autem ſine potentia agendi libertas.

318. In ſecundo tamen, inquiunt, voluntas eſt libera: poteſt agere minus bonum. Bene eſt, poteſt ergo fieri hypotheſis, quod reapſe agat minus illud bonum, ſtante majori bono. Id vero eſt, quod negant. Quid tamen eſt, amabo, eſſe in voluntate potentiam efficiendi actum, cujus exiſtentiæ hypotheſis eſt impoſſibilis? A prima hac reſponſione disjecti alio ſe recipiunt. Voluntas in ſecundo etiam illo caſu, inquiunt, ante ſententiam judicii eſt indifferens: præter requiſita ad poſſe aliud inſuper opus eſt requiſitum ad actionem, ſine quo indifferentia voluntatis non tollitur: id requiſitum eſt judicium, quo ad agendum tandem flectitur. Bene eſt: evidens idearum connexio hoc etiam verborum effugium expugnat: bonum hic & nunc cognitum ut melius, neceſſario flectit judicium, ut illud alteri præferendum eſſe dicat. Hæc ſententia trahit etiam neceſſario voluntatem: aliter poſſet adhuc hærere voluntas contra judicium de meliori bono: quod optimiſmum everteret. Poſſet tamen adhuc (ſubjungunt ulterius) illud de meliori bono judicium a mente impediri, ut ulteriori examini daretur locus. Si enim approbatur judicium; approbatur libere. Attamen in pejus ſemper ruit reſponſio; difficultatem eadem difficultate ſolvere velles. Si judicium de meliori bono poteſt impediri, & res ulterius examinari; antequam ergo judicium de meliori bono ſtatuatur, inter rationes aſſerendi, & dubitandi verſabatur: quis ergo judicium tandem ad unam partem adduxit, ut ſententiam proferret, voluntas ne an motivum? Si motivum; ſecundum meliorem partem per Optimiſtas ipſos judicium ſemper flectitur, & adducitur: in idemque proinde recidimus. Si voluntas illud eſt, quod mentem inter boni approbationem, & ulterius examen nutantem ſtatuit; vel id ſecundum debilius motivum, vel ſecundum præponderantem rationem, & bonum neceſſario ſtatuit. Si primum; poteſt voluntas eligere minus bonum, actumque eſt de optimiſmo: ſi ſecundum; non poteſt agere oppoſitum, tollitur libertas.

319. Quocumque modo idearum analyſim inſtituamus,

mus, & prosequamur; optimismus una secum trahit fatalismum. Omnes ideæ in re præsenti ad præceptiones mentis, probationes, aut reprobationes voluntatis rediguntur: luculentam earum analysim inferius, cum de humana libertate agimus, data opera prosequimur: ibi dicta post superiora per otium legas; nihil, nisi fallor, ad optimismi ex libertatis dogmate confutationem desiderabis.

PROPOSITIO XX.

320. *Principium illud rationis sufficientis in sensu Optimistarum acceptum est falsum.*

Non is ego sum, qui ejusmodi principium universim, & in quocumque sensu acceptum non admittam: quidquid in rebus agitur, ab aliqua sufficienti caussa, propter aliquam sufficientem rationem agitur. Sua est cuicumque actioni, atque effectui caussa, sua item ratio: uno verbo, omnis effectus suam habet caussam sufficientem, ob sufficientem aliquam rationem fit. In hoc sensu verissimum, atque evidens existit allatum rationis sufficientis principium. Duo tamen alia rationis sufficientis nomine a *Leibnitio* intelliguntur, *primum*, quod ratio sufficiens ad voluntatem movendam in externi eligendi objecti bonitate semper consistat. *Secundum*, quod si voluntas aliquando non eligeret, aut posset non eligere optimum; nulla ratione sufficienti ageret, immo contra illam decerneret uno verbo, quod melius tantummodo esse possit *ratio sufficiens* agendi. Principium rationis sufficientis, prout hæc duo significat, dico esse falsissimum: id vero satis demonstrant, quæ hucusque proposuimus argumenta, & absurda illa ab eo principio profluentia, a quibus humana ratio penitus abhorret.

321. Ulterius etiam eamdem propositionem confirmo. Deus est ens sibi prorsus, & infinite sufficiens, se ipso beatus, cujuscumque generis dependentiæ per naturam incapax: quidquid ergo extra se producit, quidquid creaturarum agit, non ex necessitate agit. Si enim sine effectu prorsus distincto caussa aliqua stare nullo modo potest; sibi ipsi non sufficit, ab effectus existentia aliquo tandem modo dependet. Deinde

de potestne bonitas creata, finita, & fere nihil ratio esse ultima movens, quæ Numinis voluntatem, æternum rerum omnium principium; atque finem ad agendum moveat? Creaturarum meritum rationem esse electionis Dei, idem plane esset, atque infinitum propter finitum, finem propter medium, totum seu *omne* propter *nihil* agere. Idne vero esset rectus agendi ordo, an non potius esset totius ordinis inversio? Ultima ratio divinæ cujuscumque actionis est ipsemet Deus; ille unus sibi est principium, & ratio sufficiens agendi: humana omnia, quidquid creaturarum est nullam ad Divinæ voluntatis actus proportionem habent: est finitum ad infinitum: *zero* & nihil ad infinitæ perfectionis comprehensionem. Se ipsam unam movere potest Divina voluntas: voluntatem infinite perfectam infinitæ perfectionis ratio. Hoc quidem pacto cohærent sibi omnia. Quidquid est creatum, est imperfecta bonitas, & fere nihil, si ad Deum comparetur: a tantilla vero illa imperfecta bonitate Immensum, & infinitum totius bonitatis Principium, perfectionemque infinitam moveri, neque par est, neque potest, neque decet. Voluntati infinite perfectæ, modo agendi, seu actioni infinite perfectæ motivum tantummodo respondet, convenit, sufficit infinite perfectum, hoc est, Deus ipse. Hoc unum est, quod in præsenti argumento tenendum esse existimo, & ratio naturalis demonstrat. Cum igitur ex rationis sufficientis principio argumentantur Optimistæ; principium petunt, quod antea probare oporteret. Sed *Leibnitium* audiamus.

322. Ad optimismum suadendum, & adducta argumenta enervandum sequentia opponunt *Leibnitius*, *VVolfius*, & alii. Voluntas sine motivo, seu ratione movente est chymera; quando scilicet aliquid volumus, eligimus, aliquid est, propter quod ad unum præ alio eligendum movemur: inter duo igitur, aut plura prorsus similia, & æqualis omnino perfectionis impossibilis est voluntatis electio. Et hinc duo quæcumque bona, quæ & in se se spectata, & aliis etiam relata existant prorsus æqualia, sunt omnino impossibilia: unum præ alio eligi, produci, discerni non posset. Unde, iterum pergit *Leibnitius*, quidquid perfectionis Deus in rebus ponere potuit, positum,

atque productum a Deo fuit (*). Quin immo ex eodem principio ulterius deducit 1. impossibile esse vacuum: posset enim illic esse materia, quæ, cum sit vacuo perfectior, necessario ex principio rationis sufficientis loco vacui fuit a Deo constitura 2. Materiam non esse extensione limitatam; non est enim possibilis, inquit, ratio limitans quantitatem materiæ: si ea poneretur limitata; ratio non esset; cur ulterius non produceretur; quin rerum jam existentium perfectioni obstaret (a).

323. Resp. Voluntatis electionem sine ratione sufficienti neque nos etiam admittimus: aliquid esse oportet, quod voluntatem moveat, & flectat: inter æqualia tamen impossibilem esse electionem, duoque proinde prorsus æqualia, esse idcirco impossibilia, id est quod omnino nego. Si etenim ita res est, statque proinde principium rationis sufficientis in Leibnitii sensu acceptum; tollitur proculdubio libertas; fatum admittitur, humana, Divinaque omnia fatali quadam insuperabili necessitate eveniunt. Humanam enim, Divinamque voluntatem, tamquam intelligentem bilancem ponunt, quæ a majori pondere necessario semper trahitur. Voluntas, inquiunt, a bonitate objectorum, ut bilanx a ponderibus flectitur, deprimitur, trahitur; unum hoc discrimen est, quod voluntas est bilanx intelligens: quemadmodum igitur ex parte majoris ponderis insuperabili necessitate inclinatur bilanx, estque opposita inclinatio impossibilis; pari etiam ratione omnia in voluntate peraguntur. Hic sane ego a sincero Lectore quærerem, si voluntatem ipse suam, intelligentem bilancem esse patumper ponat; se ne voluntas genio suo flectit; an potius externa necessitate trahitur? eligit ne libere; an mechanicis legibus agitur? potest ne ad minus bonum, hoc est, ad minus pondus sese inclinare; an fatali necessitate a majori semper trahitur?

324.

(*) Je pose que toute perfection que Dieu a pu mettre dans les choses sans deroger aux autres perfections, qu'y sont; y a eté mise. Recueil pag. 62. lettre 4. de Monf. *Leibnits*.

(a) loc. cit. lettre 4.

324. Unde præterea probas, duo contraria perfectè similia, partes materiæ hujus universi similes, duo entia perfectione æqualia esse impossibilia? Ex principio rationis sufficientis; respondes: nego tamen principium tuo in sensu usurpatum; proba; de principio ipso agitur: ne sophisma committatur, negatum principium prius demonstres. Interim tamen, præter cætera absurda ab eodem superius deducta; mundum etiam infinitum esse consequitur. Deus scilicet aliquos materiæ limites statuere non potest: melius enim esset illam ulterius extendere: mundus igitur necessario est infinitus. Ad rei caput veniamus, inquis, ad principii ipsius examen: voluntatem sine motivo non agere non eligere fateris: unde rationis sufficientis principium tuo in sensu admittis: insimul tamen eligi a voluntate inter æqualia: minusque bonum majori posse præferri statuis. Ita quidem, respondeo. Dum tamen divina, aut humana voluntas ita inter æqualia eligit, meliorique minus bonum præfert; sufficienti ratione ducitur? quæ tamen pergis, hic esse potest præferendi ratio? Rationis moventis, aut motivi nomine complexionem omnium cum objecti, tum eligentis circumstantiarum, rationum, inclinationum, affectuum, dispositionum, passionum, aliarumque rerum similium intelligo: omnia hæc pono ex utraque parte pária, aut ex parte, quam præfers, minora: si ergo omnia sunt paria, quænam voluntati erit electionis ratio? quomodo spiritus, seu voluntas debiliori impressioni præ validiori morem geret? Resp. Sint equidem omnia, ut placet, æqualia, aut inæqualia; voluntas sese per activam illam, quam habet agendi vim, atque energiam ad unum præ alio flectet. Quænam tamen hæc est virtus? instas; voluntas libera est bilanx intelligens, quæ quidem trahitur, non tamen trahit: a majori vi semper flectitur: inter æqualia æternum servabit æquilibrium. Resp. Apage Mechanismum ad spiritualia, & humanam libertatem traductum. Materialis bilanx nihil agit, neque agere potest: agitur, trahitur; pondera tantummodo sunt quæ in se mutuo, & in bilancem agunt. Si quis in bilance agnoscit aliquam libertatis umbram, seu vestigium; suum ipse sibi habeat sensum, secum ipse agat, de ideis non convenimus. Voluntas libera præter passivam potentiam, qua circa

illa motiva ducitur (nihil enim in motiva agit, illa non auget, non minuit non tollit, aut ponit) vim, & energiam activam, habet, qua scilicet positis inspectis stantibusque motivis, sese ipsa per se ipsam eligit, & agit. Cum paria igitur omnino sunt eligenda bona, æquales hinc inde rationes; caussa & ratio sufficiens est libertas voluntatis, activa scilicet agendi, & eligendi energia qua prædita est humana voluntas libera.

325. Quæ tamen ratio sufficiens voluntati esse potest ad minus bonum præ majori eligendum, si rationabiliter atque prudenter ipsa operetur, ut prudentissime sane agit Deus? Activa, & justa libertas, respondeo: hæc ultima sibi est agendi ratio: in hac tandem sistendum. Voluntas positis æqualibus, aut, inæqualibus rationibus pro utraque parte facientibus sui juris est; sese ipsam active movet. Cum rationes utrimque sunt æque bonæ; ipsamet æqualitas facit, ut quodcumque agatur, prudenter fiat: electio vero, cum tota sit voluntatis opus, posita absoluta honestate boni, seu rationis moventis, prudens ipsa, atque rationabilis existet. Quare tamen minus bonum eligat? quia libera est, respondeo; liberamque habet atque activam eligendi facultatem. Prudens tamen hæc esse poterit minoris boni electio? Prudentissima, respondeo, dummodo minus ipsum bonum sit absolute bonum. Quod voluntas, liberumque ejus arbitrium ultima illa ratio sit, qua nobis sistendum est, quod prima illa sit radix, fons, & fundamentum, unde omnes voluntatis electiones profluant, præter supradicta gravissima argumenta, ipsamet nostrarum actionum analysis & liberi arbitrii inspectio demonstrat.

326. Quod Deum attinet, qui potissimum est quæstionis argumentum, præter relata superius argumenta, præter absurdissima illa, quæ ab optimismi hypothesi oriuntur, satis superque est illud unum animadvertere, quod jam exposuimus, Divinam voluntatem, atque arbitrium sufficientem sibi esse agendi caussam, rationem, finem. Ipsa sibi caussa est, atque ratio, quare hoc potius, quam aliud efficiat. Alia agendi ratio voluntati infinite perfectæ, enti a se absoluto, sibi infinite sufficienti, atque se ipso infinite beato convenire non potest. Ideas nostras penitus inspi-

inspiciamus, nosmetipsos, nostram libertatem, atque agendi modum natura semper duce exploremus, remque ita esse meditando comperiemus. Qui *Leibnitii* Theodiceam; atque epistolas legerit, & cum iis nostra hæc contulerit; non is a me auctoris argumenta deprimi, aut toto lumine non proponi queretur.

327. Opponit 2. Humanam Divinamque libertatem cum principio rationis sufficientis stare non posse diximus, eoque de capite principium illud, & deductum inde optimismum non leviter rejicimus: Ita res se habet; respondeo. Fallimur tamen, inquit *Leibnitius*: statque Divina libertas, quantumvis ad optimi electionem necessitate teneatur Deus secundum rationis sufficientis principium: sit enim electio necessaria inter mundos possibiles: est igitur electio necessaria mundi non necessarii. Si mundus autem esset necessarius; reliqui non essent possibiles. Respondeo. Si Deus necessitate eligit optimum, & producit, neque potest producere nisi optimum; reliqua præter optimum, hoc est, mundi omnes præter præsentem sunt impossibiles. Ideæ scilicet, seu notiones *possibilis*, & *impossibilis* sunt relativæ ad divinam omnipotentiam: hoc est, dicuntur alii mundi possibiles, quia Deus illos potest producere: Si igitur Deus mundos alios non possit producere; sunt ii procul dubio impossibiles: ponitur autem Deus insuperabili necessitate hunc mundum producere, neque alios efficere posse: ubi necessitas; nulla electio: si caussa unica, & necessaria effectum datum nequit efficere; effectus ille non est possibilis.

328. Contra pergit iterum *Leibnitius*: Duæ partes materiæ similes, alii mundi nostro æquales aut etiam inferiores non sunt impossibiles Omnipotentiæ Divinæ; sed infinitæ illius sapientiæ repugnant. Si enim sapientia Dei, aut minus bonum, aut inter bona omnino æqualia posset eligere; non esset summe sapiens, ratione sufficienti non duceretur: Deus igitur, ut sapiens est, & caussa infinite rationabilis, non potest eligere, aut efficere nisi optimum; præter hunc optimum mundum, nullos alios potest producere. Si tamen solam Dei omnipotentiam spectemus; alii etiam æquales, aut inæquales possunt produci mundi. Duo hæc sunt optimistarum hypotesis cardines, & ultimi, quo se recipiunt, recessus: *primo*, to-

fam rationem moventem ex parte objecti esse, Deumque propter objectum semper agere: *secundo*, posse rem dici, atque esse sapientiæ, non omnipotentiæ impossibilem: utriusque tamen fundamentum est rationis sufficientis principium. Secundum tantummodo caput nobis superest solvendum, in quo duo hæc continentur, mundum alium posse esse sapientiæ, non omnipotentiæ impossibilem, seu posse a Deo ut omnipotenti, non ut sapienti alios produci mundos: 2. Rationem sufficientem unum illud esse caput, quare alii mundi Deo sapienti sint impossibiles.

329. Resp. Ut ab hoc ultimo incipiamus; in rationem sufficientem confugere, est in re præsenti petere principium: id scilicet in optimistarum sensu usurpatum, non modo principium non esse, sed propositionem esse falsam, superius confecimus. Quamdiu ab adversariis, ut Theorema non probetur; ex illo argumentari non licet: & hinc assumere amplius non possunt, sapienti Deo possibile non esse, alios mundos producere. Sed ut ad primum veniamus, quod est ultimo loco objectum: Si mundus potest esse possibilis relatu ad Deum omnipotentem, impossibilis vero relatu ad Deum sapientem; pari etiam ratione dici posset, a Deo omnipotenti dici posse mendacium, aut aliud quodcumque intrinsece malum, idque solummodo sanctitati Dei repugnare. Omnia hic sunt paria: a prudenti ego lectore quæro, dici ne potest mendacium absolute aut ratione aliqua Deo possibile? Ab hac idea sane abhorrent cujuscumque Philosophi aures: mendacium opponitur sanctitati Divinæ, ut secundum optimistas electio minoris boni sapientiæ summæ opponitur; Satis vero est, mendacium attributo Numinis opponi, ut illud sit prorsus impossibile: si igitur minoris, aut æqualis boni electio sapientiæ Dei, vero Numinis attributo, opponeretur; ea prorsus esset impossibilis. Deus scilicet per unum attributum non potest, quod alteri ejus attributo repugnat; posset enim Deus, quod non potest. Aliud est, ab humana mente rationem quæri, unde mendacum Deo sit impossibile: Aliud vero, rem uni Numinis attributo repugnantem, & absolute impossibilem, aliis nihilominus Dei attributis dici, & statui possibilem. Humana ratio mendacii notionem perpendens, illudque sum-

mæ rectitudini oppositum deprehendens, cum summam hanc rectitudinem necessarium Dei attributum esse demonstret, Deumque ipsum ex natura sua summam illam esse rectitudinem, facile conficiat; duo infimul animadvertit: 1. mendacium Deo esse prorsus impossibile; propterea quod enti infinite & summe recto, seu ipsimet rectitudini, qualis per naturam suam Deus existit, omnino opponatur,

330. 2. Ratione vero argumentando, atque attributa ipsa mente concipiendo, rectitudinem illud esse attributum comperit, cujus ratione mendacium sit Deo impossibile: genio igitur suo in hunc modum argumentatur humana ratio: summæ, atque infinitæ rectitudini opponitur, atque impossibile est mendacium; quoniam igitur Deus per suammet necessariam naturam rectitudo summa, atque infinita existit, neque hypothesis aliqua fingi potest, in qua infinite rectus esse desinat; in quacumque etiam hypothesi mendacium est Deo prorsus impossibile, Tum solum possibile Deo esset mendacium; cum Deus posset desinere esse rectus hæc hypothesis est prorsus impossibilis: mentiri igitur est Deo in omni hypothesi impossibile. Poteftne aliqua ratione esse, aut dici Deo possibile, quod ab ipso in nulla Hypothesi poni, aut produci potest?

331. Rem optimismi in exemplo vidisti. Si Deo sapienti, seu per divinam sapientiam impossibile dicitur, atque statuitur alium mundum produci; cum nulla sit hypothesis possibilis, in qua Deus non sit per suammet naturam infinita sapientia, nulla est hypothesis possibilis, qua alter mundus possit a Deo condi. Estne vero, aut dici potest Deo possibile, quod in nulla possibili hypothesi fieri potest? Estne possibile, quod Deus velle numquam potest? Itane dicetur res, quæ tum solum creari posse conciperetur, cum Deus desineret esse sapiens, hoc est, cum Deus desineret esse Deus? Quonam gentium humanam mentem deducit ex falso in re tanti momenti principio clari alioquin ingenii licentia!

332. Opponit 3. Invidiosam contra Optimistas demonstrationem ex collatione mali moralis cum systemate rerum ab omnibus malis immuni, falso deducimus, inquit: si enim in mundo non fuisset malum, neque etiam consequeretur infinitum reparationis bo-

num. Reparatio a Deo facta malum morale commissum infinite superat atque compensat. Complexio creaturarum omnium præsentium, malorum moralium, & Divinæ illorum reparationis, perfectius equidem est, quam innocens illum rerum systema infinito Divinæ reparationis bono destitutum. Systema igitur mali moralis, in quo infinitum reparationis bonum comprehenditur, alio quocumque systemate melius est. Cum ita argumentantur *Leibnitius*, & *VVolfius*, Philosophos amplius non agunt, rationi diffidunt, ad Religionem confugiunt. Sed non melius iis est a religione asylum. Respondeo igitur, ex multiplici fine potuisse a Deo Verbi incarnationem decerni etsi morale nullum præcesserit in humana generatione malum (*). Divini verbi incarnatio, non propter humanam aliquam, seu creatam rationem, bonitatem, motivum, tamquam propter ultimum finem decreta a Deo fuit. Quidquid Deus, principium æternum, & finis rerum omnium agit, propter semetipsum, finem scilicet ultimum agit: omnis alius agendi modus, enti a se, omnium rerum principio, & fini convenire non potest: cum igitur stare posset infinitum incarnationis bonum sine malo morali; melius id sane esset, quam præsens malorum moralium systema. Quin imo Optimistæ ipsi, velint nolint, admittant opus est, præsens mali moralis systema non modo melius aliis omnibus non esse, sed esse præterea impossibile. Innocens rerum systema una cum Divini Verbi incarnatione melius esset, quam præsens malorum systema, ut per se patet: ergo illud fuit necessarium, atque a Deo electum; hoc vero alterum impossibile secundum principium rationis sufficientis. Dicent ne vero decerni a Deo non posse Divini Verbi incarnationem nisi præcesserit peccatum? Id tamen est ex principio rationis sufficientis impossibile. Melius scilicet est existere Divini Verbi Incarnationem in systemate rerum ab omnibus malis moralibus immuni, quam in opposito mali systemate: uno verbo, melius esset systema

(*) Deum propter semetipsum Divini Verbi incarnationem decrevisse, humanamque reparationem & salutem non nisi secundarium fuisse finem, Theologi communiter docent.

stema sola omnia bona præsentis systematis, exclusis malis, complectens, quam si eadem illa sola bona, & mala insimul contineret; nullus credo rationis compos hanc propositionem negabit: si igitur Deus velle non potest, neque agere, nisi melius, & optimum; illud procul dubio rerum systema non modo velle, atque decernere potuit, sed necessario voluit, atque decrevit. Quocumque se vertant, sese magis semper implicant, invidiosam illam demonstrationem superius allatam nulla ratione evitare possunt. Nihil promovent, dum dicunt, quod si non esset malum morale. Incarnatio nequaquam extitisset: falsum, reponimus: id non modo a vobis probari non potest, sed est præterea ex principio rationis sufficientis impossibile, ut modo demonstravimus.

333. Opponi tandem pro optimismo possunt duo *Hieronymi*, *Augustini*, & *Ambrosii* testimonia, quibus ad eum evincendum innitebatur *Petrus Abailardus* Leibnitiani optimismi parens. *Hieronymus* in *Danielem* (a) hæc habet. *Non enim quod vult* (*Deus*) *facit, sed quod bonum est, hoc facit*. 2. In eumdem etiam sensum loqui videtur *Ambrosius*: *fecit quasi bonus*, inquit de mundi creatione agens Ambrosius, *quod foret utile, quasi sapiens, quod optimum judicabat, quasi omnipotens, quod amplissimum providebat* (b): En igitur *mundum optimum* conceptis Ambrosii verbis definitum. 3. Aliquos etiam *Augustini* textus in partes suas adducunt, quibus mundum optimum judicare videtur.

334. Respond. Perperam hæc ab optimistis ad ipsorum sententiam probandum adduci: oppositum plane esse illorum Patrum sensum, mille eorum testimonia demonstrant. Priusquam tamen singillatim respondeam; illud generatim animadverto: optimismi quæstionem ab antiquis Patribus non fuisse ex professo agitatam: nondum hoc erat iis temporibus conceptum dogma. Contrarius iis semper opponebatur Manichæorum error, principii scilicet mali existentia. Eam ut probaret Manichæus, mundum semper dictitabat ma-

(a) Commentar. in cap. 4. l. 31. 32.
(b) *Ambros.* l. 1. Hexaem. cap. 5.

malum; Ut principii mali falsitas demonstraretur; argumenti etiam inanitas ob oculos erat ponenda: Mundus a mali nota vindicandus. Hinc igitur illæ Patrum ideæ, atque loquutiones, mundum non modo bonum, sed perfectum, sed optimum quandoque significantes, ut magis ab errore deflecteretur. Hisce animadversionibus præmissis, omnia jam evanescunt. Quod *Augustinum* attinet, satis est illud 1. observare, duo hæc ab Augustino admitti, puræ naturæ statum innocentiæ statu esse imperfectiorem: eum tamen fuisse possibilem: posse homines a Deo in priori illo statu creari. Quod si ad hæc ejusdem Doctoris retractationes libro 10. cap. 9. legas; nihil amplius desiderabis. 2. Illud *optimum*, sicut & illud *amplissimum* ab Ambrosio adhibita maximum possibile non significare: nisi dicere velis, illo *amplissimo* infinitum significari mundum, quod Sancti Doctoris menti opponitur: neque igitur *amplissimum* quantitatem, neque *optimum* bonitatem mundi significat maximas. Quodsi *optimum* strictiorem habeat sensum; tum vero non rem optimam, sed rei non optimæ modum, & finem optimum significat. Eum sane esse D. Ambrosii sensum duo hæc evincunt. 1. Plures alios cælos, atque mundos facillime creari a Deo posse pro libero suæ voluntatis nutu, statuit Ambrosius (*a*). 2. Hunc etiam mundum, & omnia secundum *Ambrosium* a Deo fieri *pro liberæ voluntatis arbitrio*, *non pro necessitatis obsequio* (*b*): nulla igitur necessitate ad optimum producendum tenetur Deus. 3. Divi Hieronymi testimonium ad rem plane non facit: nulla in illo *optimi* mentio, bonum esse quidquid a Deo creatur, statuit *Hieronymus*: ulterior ejusdem testimonii expositio superflueret: eamque consulto in opere Metaphysico omittimus.

§. Tria

(a) *Ambros.* Hexaem. l. 2. cap. 2.
(b) Comment. in Epist. ad Corint. 1. c. 12.

§.

Tria alia Entis necessarii attributa, Scientia nimirum, Omnipotentia, Immensitas: ubi etiam notio & Theoria Caussarum, quid Deus, quid Creaturæ efficere possint, statuitur.

335. Prima illa entis necessarii attributa huc usque demonstrata, in longas nos cum Materialistis, Pantheistis, Optimistis discussiones deduxerunt. Id sane a mente Philosophante argumenti ratio postulat. Veritatem quærenti, iter complananti offendicula tollere, hac illac circumspicere, opposita Philosophorum argumenta audire, proponere, diluere opus erat: atque id unum in caussa fuit, cur cætera Numinis attributa, Religionis Naturalis fundamenta, continua oratione non demonstravimus. In viam igitur tandem regressi, ad ulteriora prosequamur.

336. Qui propositi argumenti inscriptionem legis, ne quæso, tibi ipsi imponas, dum longam forsan a me theologicam de scientia Dei disputationem habere existimas. Scimus quid theologici, quid Philosophorum juris sit. Fusissime enim vero a theologis de scientia Dei agitur; veritates reconditissimæ sola revelatione deciduntur; mille tamen insimul spinosissimas quæstiones Theologi pro scholarum genio dogmatis ulterius explicandi gratia proponunt, & pro humani ingenii tenuitate perscrutantur. Omnia hæc revelata Dogmata, aut revelatæ Theologiæ appendices impræsentiarum committimus. Philosophos agimus, ratione tantum, non revelatione procedimus. Cum iis scilicet res nobis est, qui solam rationem audiunt, atque admittunt. Verbo dicam, naturalis Theologiæ fundamenta, dogmata, veritates sola ratione statuimus. Quid ad materialistas, Diistas, atque ejusmodi alios Philosophos revelatio, scriptura, hominum prædestinatio, Divinæ gratiæ efficacia & similia alia revelatæ Theologiæ dogmata? Hæc omnia aut iis sunt ignota dogmata, aut ab illis existimantur nostra Christianorum præjudicia, seu arbitria religionis systemata. Cum iis igitur de summa rerum sola ratione agendum; Theologia naturalis iis hominibus sola ratione demonstranda. Naturalis Theologia ad naturalem

lem item religionem mentem deducit: hisce duobus demonstratis, in revelatam Theologiam atque religionem suamet sponte mens humana descendit. Primam sola ratione inceptam, sola ratione prosequamur.

PROPOSITIO XXI.

337. *Ens necessarium præter attributa alia hucusque demonstrata, necessario habet perfectissimam, atque infinitam scientiam omnium rerum præsentium, præteritarum, possibilium.*

Propositio facili demonstratione evincitur: Deum hucusque demonstravimus substantiam, spiritualem, cogitantem, simplicissimam, infinite perfectam, omnesque perfectiones in se se habentem, quæ nihil imperfectionis secum habeant admistum. Sapere autem, atque scire sunt puræ perfectiones nihil in sese imperfectionis continentes: dum ex adverso ignorantia ex genere suo imperfectionis ideam secum habet: est igitur in Deo scientia summa perfectissima atque infinita. Esse equidem Deum substantiam intelligentem, superius jam fuit demonstratum: de summa, atque infinita scientiæ perfectione modo tantum agitur: Hæc sane intelligentia divina rerum omnium perfectissima scientia esse debet; cum quidquid Dei attributum est, infinitam habeat atque possibilem omnem perfectionem.

338. II. Ens necessarium caussa, & ratio sufficiens est omnium rerum, omnesque Creaturas infinito intervallo superat: Contradictionem enim vero implicat, esse posse aliquid, cujus Deus sufficiens ratio, atque prima caussa necessario existat, quod tamen a Deo non perfectissime cognoscatur. Perinde enim atque æquali modo Deus est sufficiens ratio, seu caussa rerum, & cognitio, atque intelligentia rerum: Sicut omnia perfectione infinita cognoscere, & omnium rationem esse sufficientem infinitam, sunt puræ perfectiones; ita aut non omnia perfectissime scire, aut non omnium esse rationem sufficientem, sunt veri defectus, atque imperfectiones enti infinite perfecto repugnantes.

339. Eadem prorsus demonstratione, infinitam in Deo esse sapientiam conficimus: affine scilicet hoc est infinitæ scientiæ attributum, pura & ipsum perfe-

ctio,

ctio, cujus defectus, seu oppositum vera esset imperfectio, quæ enti in quacumque ratione infinite perfecto inesse non potest.

340. Cum Deus sit substantia simplicissima, omnis physicæ compositionis expers; quidquid in Deo est, res eadem, atque substantia est, unum idemque existit. Demonstrata huc usque attributa, & infinitæ aliæ Numinis perfectiones, finitis mentibus prorsus ignotæ, quantacumque & vocum, & idearum diversitate, aut cogitandi modo a nobis significentur; unum idemque sunt, ipsemet Deus existunt. Scire in Deo est posse; posse divinum est sapere; posse, scire, sapere sunt ipsummet esse, atque actus purissimus eodem modo semper existens. Alia in Deo non sunt potentia & actus; potentia in Deo est purus actus, actus ipsamet est potentia; nullus transitus, nulla mutatio. In Deo igitur non modo est omnium rerum suique ipsius perfectissima scientia, supra humanas, aliasque omnes finitas mentes infinite extans; sed ipsemet Deus, natura divina est ipsamet essentialis, atque infinita cognitio, scientia, & repræsentatio rerum, illud est lumen æternum, quod & se ipsum, & creaturas omnes actu semper atque eodem invariabili modo infinita claritate repræsentat. Possibilia omnia, futura, præsentia, præterita ab æterno, atque in æternum Divinæ cognitioni sunt præsentia, atque ab omni parte, quantum ipsa cognosci possunt, Divina cognitione comprehenduntur.

341. Cognitio, seu scientia Divina in seipsa in objectis, in utroque spectari a nobis potest. Si illam in se ipsa spectemus; scientia, & cognitio Divina est ipsamet infinita, atque summa evidentia, certitudo, claritas. Nulla in summo illo, atque infinito mentis lumine fides, opinio, conjectura, dubium: obscuritatis notam hæc omnia præ se ferunt, quæ in splendorem ipsum infinitum cadere non potest. Nostræ tantummodo hominum sunt, aliarumque finitarum mentium obscuræ illæ cognitiones. Nulla similiter in Divina mente ratiocinatio proprie dicta, nulla actuum successio, distinctio, dependentia, quæ ratiocinationis Character existunt; cujus indoles est, ex actu actum deducere, secundum a primo dependere, atque diversum existere. Quoniam hæc omnia in Logica fusissime prosequimur; illa hic attigisse sufficiat.

342. *Secundo*: Divinæ scientiæ objecta sunt Deus ipse & Creaturæ universæ. Se ipsum Deus cognoscit, & clarissime comprehendit: ab infinita tanti objecti perfectione infinitam pariter in scientia perfectionem deducere opus est. Deus ipse est cognitio; & objectum: omnia paria, si ita loqui fas est, seu potius omnia idem. Divina hæc sui ipsius scientia, mentis nimirum, atque objecti, semper & intime præsentium, est visio, seu intuitio, perfectissimum scientiæ genus in Logica fuse explicatum: Sed quantum philosophando audemus tenuissima mentis humanæ ratio! In immenso illo, æterno atque innavigabili luminis oceano cæcutimus, & obcæcamur reptiles talpæ: quæ nos ab eodem luminis fonte accepimus lucis crepuscula, in immensa, qua sumus ab infinito distantia oceanum demonstrant: in immensos luminis abissos penetrare Numinis tantum est.

343. Se ipsum Deus comprehendens, toto, atque infinito lumine videns, suammet omnipotentiam, seu vim omnia efficiendi, omnium rerum caussam cognoscit; unde est, quod seipsum intuendo, creaturas omnes in se ipso videat, cognoscat, comprehendat. Est enim vero Deus ratio sufficiens, & caussa omnium possibilium, est præterea possibilium idea, atque clara repræsentatio: utroque sensu est ad Creaturas omnes relativum: neque caussa, neque imago cognosci possunt, quin & effectus, & objectum etiam repræsententur. Secundum idcirco Divinæ mentis objectum, creaturas nimirum in primo, in se ipso cognoscit Deus: primum cognitione æquat: secundum infinito excessu superat. Atque hæc quidem nullus, nisi Materialista, seu Pantheista in dubium vocat.

344. Creaturas præterea in se ipsis a Deo cognosci, infinitatis scientiæ Dei corollarium est. Creaturæ aliquid in se ipsis sunt, in se ipsis inspici, atque videri possunt; quæcumque tandem illarum natura statuatur; suummet esse in se ipsis habent absolutum. Cum creaturas omnes, quibuscumque modis illæ possint citra imperfectionem cognosci, proculdubio cognoscat Deus; fieri per divinæ scientiæ infinitatem non potest, quin quidquid creaturarum est, non modo in se ipso, sed in ipsis etiam creaturis inspiciat. Postremum hoc ego cum dico, non jam cum materialistis, aut Pantheistis res mihi est; neque rem evidenti argu-

gumento demonstrare præsumo. Res enim vero est inter theistas ipsos revelatæ Theologiæ scriptores controversa. Sunt qui possibilia, seu creaturas omnes a Deo in se ipso tantum cognosci autument: ab aliis sensum nostrum probari, & propugnari passim offendes. Rem, neque demonstrationis capacem, ut superiora contra Materialistas, Pantheismum, & Diistas dogmata, neque ad naturalem theologiam spectantem non disputo: sensum meum aperui, quem fuse pro utraque parte disputare, scholasticæ Theologiæ scriptoribus relinquo. Hæc monuisse, philosophicæ sinceritatis argumentum habeatur.

345. III. Si utrumque tandem, scientiam & scientiæ objecta simul spectemus, seu scientiam ab objectis discernamus, aut ad objecta referamus; non modo objecta ab objectis distinguimus; verum etiam eumdem simplicissimum actum, atque scientiam pro humanæ mentis imbecillitate in triplicem distinguimus scientiam; quarum Prima *simplex intelligentia*, secunda *scientia media* nuncupatur, tertia tandem *scientia visionis* seu *Præscientia* dicitur. Tria hæc paucissimis verbis expedienda sunt. Deus ab æterno universam possibilium creaturarum complexionem, aut infinitates omnibus plane modis, quibus ipsæ esse, & intelligi possunt, perfectissime cognoscit. Pura id est, & simplex perfectio: omnis vero ignorantia Deo est impossibilis: non modo quidquid absolute esse potest, sed quidquid absolute erit, & præterea quidquid sub possibili quacumque conditione esset, aut esse posset, infinito lumine intelligit: aliquid ex iis ignorare, verus esset defectus. Creaturæ universæ antequam producantur, aut esse tantum possunt, aut etiam erunt; hoc est, aut possibiles tantum considerari possunt, aut etiam futuræ: rursus, vel absolute, vel sub aliqua conditione possibili talia esse, atque considerari possunt. Futura pariter aut absolute & necessario erunt, aut libere tantummodo, & sub quibusdam conditionibus a libera caussa secunda ponentur. Deus enim vero ab æterno rerum omnium, caussarum, effectuum quacumque ratione possibilium seriem, & ordines cognoscens, non modo, quæ absolute a caussa quacumque esse poterant, sed quæ etiam ab caussa quacumque sub qualibet conditione esse possent, clarissime videt: non modo unius mundi v. g. possi-

possibilitatem, sed qualem etiam vitam agere possemus mortales, si in stellarum fixarum aliqua nos constitueret Deus, & similia alia universa objecta, & veritates intelligit. Simplicissima Numinis scientia, quatenus universorum possibilium est cognitio, *simplex intelligentia* nuncupatur, scientia scilicet necessaria, necessariarum tantum veritatum cognitio, omnem Divinæ voluntatis actum (nostro concipiendi modo) origine præcedens. Atque hæc est omnium rerum rectrix, quatenus primum illa lumen est, quo omnium plane rerum, universi possibiles modi, circumstantiæ, productiones, natura, status, conditio innotescunt, & secundum hanc æternam simplicissimam scientiam, & possibilium omnium cognitionem, omnia creandarum rerum decreta statuuntur: decernendi voluntatem intelligentia dirigit.

346. Ex illa objectorum cum absolute, tum sub conditione aliqua possibilium infinitate divino lumine cognita quasdam rerum series, caussarum, effectuum, conditionum ordines, supremo omnipotentis voluntatis actu decrevit Deus, & in tempore futura statuit. Hæc objectorum, caussarum, effectuum decreta series, decreto illo accedente, amplius non est pure tantum possibilis; sed cum per irrevocabile supremi numinis decretum statuta jam a Deo sit, est prorsus per illud decretum futura: hæc igitur possibilia ita suprema Dei voluntate statuta in suomet absoluto decreto videt Deus, atque divina hæc hujusmodi objectorum cognitio scientia visionis nuncupatur.

347. Inter pura illa possibilia, & absolute futura alius mediat caussarum effectuum & veritatum ordo, actiones scilicet creaturarum liberæ. Præter absolute possibilia omne Dei decretum antecedentia, præter futura etiam absoluta, divinæ voluntatis decreto statuta, atque in ejusmodi decreto cognita, & prævisa, quid creaturæ liberæ, si in datis aliquot circumstantiis ponatur, arbitrio suo agent, cognoscit etiam Deus. Simplicissimus ille Divinæ scientiæ actus, quatenus hujusmodi conditionata libera cognoscit, neque simplex intelligentia, neque scientia visionis dici potest; sed inter utramque mediat; aliquid amplius, quam prima, minus tamen, quam secunda repræsentat: puræ possibilitati conditionis existentiam adhibet; hujusmodi tamen existentia conditionalis non est adhuc ab-

absolute futura; nullumque proinde includit, aut supponit decretum. Hæc est illa scientia, quæ in scholis *media*, & scientia liberorum conditionatorum nuncupatur, nomine quidem, in scholis nova, re tamen atque usu antiqua. Hæc Metaphysico in opere brevissime indicasse, atque sensum meum retulisse satis. Metaphysicam, seu Theologiam naturalem Philosophiæ Lectoribus scribo, Theologiam revelatam, aut scholasticam non mihi tractandam assumpsi: ad quarum postremam Divinæ scientiæ in triplicem illam divisio pertinet. Plurimos scientia media patronos numerat, adversarios item plurimos: non modo theistam, sed Christianum, & Catholicum licet esse, quamcumque partem teneas. In re neque Philosophica, neque ad naturalem Theologiam spectante argumenti gratia sensum meum tantum indico: rem pro dignitate exponere, atque propugnare longioris esset laboris, integrumque tractatum expleret.

Quæ a Materialistis adversus propositionem adducuntur sophismata, superius diluimus: quæ Christiani Theologi hinc inde pro scientia media, efficacia, & natura gratiæ, aut contra hæc opponunt, Philosophi non est exponere.

PROPOSITIO XXII.

348. ***Est etiam Deus Omnipotens ad omnia illa efficiendum, quæ contradictionem, aut moralem imperfectionem secum non deferunt.***

Secunda propositionis exceptio malum morale complectitur, cujus patratio tantum abest, ut in Omnipotentiæ idea intelligatur, ut ipsi potius omnipotentiæ, atque infinitæ Numinis Justitiæ, Rectitudini, Bonitati repugnet: de quo tamen inferius instituetur sermo, idemque argumentum luculentius in Ethica tractabitur. Interim dixisse sufficiat, citatis in locis probandum, malum morale omnipotentis caussæ effectum esse non posse: ad id rei omnipotentiam non extendi. Prima vero exceptione illa omnia comprehendimus, in quorum notione idearum contradictio involvitur, quale esset *mundus materialis intelligens*, *homo liber sine libertate*: quæ objecta, seu idearum complexiones dicuntur *impossibilia seu entia rationis*: propterea quod rationis nostræ opus, solaque ratione,

ne, seu ideis nostris consistant. Anima nostra plures aliquando ideas sibi mutuo reapse contradicentes in unam complexam ideam componit, insimul considerat, conjungit, associat, & tamquam unum idemque objectum tractat. Ex adverso etiam unam eamdemque rem in duas considerando partitur, & quasi duo essent in rebus diversa, tractat & reapse existere statuit. Prioris exemplum esset, si lapides sibi invicem spiritualibus ideis loquentes, & spiritualia entia fingas; Secundi vero, si ens a se, seu necessarium, non tamen infinite bonum consideres, & reapse ita esse statuas. Atque hæc sunt famosa illa entia rationis, & impossibilia, quibus tantopere perstrepebant scholæ longissimis disputationibus inane prorsus Phantasma, rem inutilissimam, purum putum mentis figmentum prosequentes. Paucissimis verbis rem nullius momenti expedivimus, in qua si ulterius considerando, quærendo, disputando immoreris; tempus, & operam inutiliter perdes. De utraque exceptione nobiscum conveniunt, quibuscum agimus, Materialistæ, Pantheistæ, & Fatalistæ, qui omnipotentiam eo sensu rejiciunt, quod illa, præter alia, vim de novo creandi complectitur.

349. Esse igitur in Ente necessario omnipotentiam, hoc est, potentiam infinitam, creaturas ex nihilo creandi, in nihilum redigendi, atque creaturas quascumque numero, aut magnitudine quacumque donatas producendi, facile demonstratur. I. Ens necessarium hucusque demonstratum, est caussa atque ratio sufficiens omnium rerum, seu creaturarum non modo existentium, sed etiam possibilium: unum illud est ens a se, cætera omnia sunt entia ab alio, ab ente necessario, a Deo: Omnes autem creaturas, tum existentes, tum possibiles esse a Deo, est ab uno illo Deo suum esse accipere, aut accipere posse: est igitur in Deo vis, energia, & potentia omnibus, & quibuscumque creaturis existentibus, & possibilibus naturam & existentiam donandi, hoc est, omnia efficiendi.

350. II. Hæc omnipotentia, qua Deus omnium creaturarum caussa, & ratio sufficiens existit, ad plures, & plures in infinitum creaturas possibiles extenditur: est dicere, omnipotentia Dei ad infinitas creaturas in infinitum extenditur: est caussa, & ratio sufficiens infinita cujuscumque seriei creaturarum: nullus esse

potest

potest creaturarum numerus, aut perfectio, quæ omnipotentis illius caussæ terminus esse possit: finito quocumque non terminatur. Quidquid enim est in Deo, est perfectum infinite; ejusmodi igitur etiam est potentia illa divina, quæ est caussa, & ratio sufficiens omnium creaturarum. Da igitur ex una parte quascumque creaturarum collectiones in infinitum: ejusmodi finitarum rerum, hoc est, imperfectionum infinitarum collectiones perfectionem illam infinitam ab omni imperfectione puram numquam æquabunt, definient, terminabunt: illius mensura esse nequeunt. Infinita adhuc superest inter datam illam collectionem, & perfectionem infinitam distantia. Creaturæ igitur possibiles, quarum ratio sufficiens in Deo est, sunt prorsus infinitæ, nullo termino, aut numero definiuntur; sunt ergo Creaturæ possibiles infinitæ ex infinita sufficientia caussæ; sunt omnes item a Deo ex essentiali creaturarum ab ente necessario dependentia: his autem duobus omnipotentia intelligitur.

351. III. Hæc sane vis, quæ infinitarum Creaturarum ratio sufficiens existat, illasque possit ex nihilo creare, si impossibilis non demonstretur, est procul dubio in Deo; cum sit pura, & simplex perfectio, qua ens necessarium carere non potest. Eam vero potentiam esse impossibilem, non modo humana ratio non probat, sed oppositum potius demonstrat: utrumque adductæ hactenus toto hoc opere demonstrationes conficiunt.

352. IV. Est procul dubio in Deo potentia creandi: quod si evincatur, cum probatum jam sit, esse Deum infinitarum quarumcumque creaturarum rationem sufficientem; his duobus capitibus confectis, satis superque Atheistarum ipsorum confessione omnipotentiam in Deo evincemus. Posse dare existentiam, atque perfectionem finitam, continetur in idea primæ omnium rerum caussæ infinite perfectæ, quæ sit ratio sufficiens omnium creaturarum possibilium: quid enim nomine caussæ sufficientis alicujus effectus intelligimus, nisi effectum in ejusmodi caussa omnino contineri, ab illa effici, totum ab illa esse? Ens enim vero necessarium, atque proinde unicum esse caussam sufficientem omnium Creaturarum, atque insimul infinite perfectam, satis in superioribus demonstravimus: in hujusmodi igitur caussæ notione continetur effectus, de

quo loquimur. Quid vero est existentiam, atque perfectionem Creaturæ cuicumque dare, quam creaturam ipsam producere, de novo creare, hoc est, rem antea pure idealem, seu in idea conceptam, efficere realem, atque in rebus ponere? Aliis verbis: Rem aliquam, seu perfectionem finitam creare nullo ex capite superat caussæ infinitæ virtutem: si id demonstrem, confecta res est. Si superat; vel id erit ratione perfectionis effectus, vel ratione alicujus distantiæ a non esse ad esse. Primum est manifeste falsum: effectus scilicet finitus non modo non superat, neque adæquat vim caussæ infinitam, sed ab illa potius infinito atque immenso intervallo superatur. Si secundum; quæro, vel illa distantia est finita vel infinita; si finita; ergo a caussa infinita infinito intervallo superatur: si infinita; primo id est rationi repugnans, a nihilo ad perfectionem finitam, hoc est, ad fere nihil distantiam infinitam intercedere: demus tamen id parumper: distantia inter non esse & esse, quodcumque finitum infinite minor est, alteriusque ordinis infinite inferioris, quam distantia inter non esse, & esse infinitum quale est ens necessarium: hæc igitur secunda distantia primam infinito intervallo superat. Creatio igitur rerum quarumcumque finitarum nullo ex capite infinitæ caussæ virtutem superat: in caussæ proinde infinitæ idea continetur, possibilia quæcunque de novo posse creare.

353. Et sane quod potentia in ente necessario sit infinita in ratione caussæ primæ rerum quarumcumque sufficienti, luculenter hucusque demonstravimus. Præterea vero hæc ulterius capita confecimus, unum Deum esse necessarium, universas creaturas, quidquid rerum est præter Deum, ab ente necessario existere, esse contingens, posse deficere: stare hæc omnia non possunt, nisi in Deo vim creaturas quascumque de novo creandi, atque in nihilum redigendi admittamus.

354. Contra Divinam omnipotentiam decantatum illud antiquorum proloquium, *ex nihilo nihil fit*, opponunt: ex quo omnem penitus creationem impossibilem adstruere adnituntur. Nullum ex hoc proloquio contra divinam Omnipotentiam peti posse argumentum; quo etiam sensu verum sit illud effatum, superius jam docuimus.

355.

355. Ex demonstrata propositione præter alia deducuntur sequentia. I. In quacumque rerum specie infinitas creaturas posse ab omnipotenti Deo creari, seu possibiles Creaturas in quacumque illarum specie esse infinitas, & in infinitum a Deo posse produci. Data igitur quacumque Creaturarum collectione, omnis illa finitarum rerum, seu imperfectionum complexio infinito intervallo ab omnipotenti Caussa infinite perfecta superatur: inexhausta semper manebit infinitæ omnipotentis caussæ fœcunditas.

II. Omnia illa potest Deus, quæ neque in se ipsis aliquam idearum contradictionem continent, neque ipsiusmet entis necessarii attributis opponuntur. Hæc utique sola sunt, quæ dicuntur possibilia. Quidnam vero hæc sint possibilia, antequam in rebus ponantur, quidnam possibilitas, quove etiam hæc ab impossibilibus discriminentur, statim exponetur.

III. Materiam, corpora, res corporeas ex nihilo creare potest Deus: neque ea tantum, quæ modo existunt, sed alias, & alias materiæ, & corporum species, de quibus nullam prorsus habemus ideam. Quid enimvero nostra concipiendi ratio, quid nostræ ideæ ad inaccessum, atque infinitum Divinæ Mentis Lumen?

IV. Res etiam immateriales, spiritus cogitantes, alia & alia materia, alii, & alii spiritus, alii etiam, & alii mundi ex Omnipotentiæ idea possibiles demonstrantur. Ab ejusdem attributi notione in rerum possibilitatem considerandam, in caussarum genera, species, notiones, theoriam adstruendam, ab idea semper in ideam descendendo devenimus. Utrumque modo examinabimus ne Metaphysicam scribentes duo hæc ejusdem scientiæ capita prætermittere notemur.

§.

Caussarum genera, notiones, regulæ & Theoria explicantur.

356. In id nos idearum nostrarum, & doctrinæ ordo deducit, ut caussarum naturam, notiones, atque divisiones, metaphysicum sane argumentum enucleemus. A nostræ existentiæ conscientia eo nos gradatim ideæ nostræ deduxerunt, ut inter Entis necessarii

attributa omnipotentiam inveniamus, ensque ipsum æternum primam illam esse originem, & caussam omnipotentem, quæ universas creaturas produxit, effecit, creavit. Bene est: Deum demonstravimus, & fatemur esse primam, & universalem omnium rerum caussam: Est tamen unus ille omnium effectuum caussa? Omnia ne, quæ in rebus accidunt, & fiunt, a solo Deo peraguntur, an creatæ etiam sunt caussæ, quæ, pro natura quæque sua, secundum vim a Deo acceptam suos etiam producant effectus? Rursus si Creaturæ etiam, corpora, spiritus sunt caussæ; universæ ne ipsæ caussæ eodem modo effectus suos operantur? Perinde ne, atque Deus, ipsæ agunt? uno verbo, quid rei est, esse caussam, quotuplex illarum genus, quinam tandem modi sunt, quibus caussæ suos peragunt effectus?

357. Primum jam supra exposuimus, cum generales definitiones in Metaphysica necessarias huic tractatui præmisimus. Metaphysicam aggressum in primo ejus limine inter plura alia caussæ notionem dare oportuit: pauca tandem ulterius annotabimus. Caussæ nomine, ut citato loco dicimus, principium, & rationem illam intelligimus, cujus actione aliquid fit, & a caussa ipsa descendit. Qua quidem notione pura quæcumque *conditio*, purum etiam *principium* satis excluduntur: neque conditio actionem, neque purum principium dependentiam secum ferunt: quæ duo ad caussæ notionem spectant. Quidquid ad effectus positionem requiritur, quin in effectum ipsum influat, est & nuncupatur *conditio*. Cum res in effectum quidem influit, quin effectus ab illa proprie dependeat, *purum est principium*: illud tandem, cujus actione, & dependentia effectus agitur, caussam appellamus. Principii exemplum in citato loco adduximus: Ut navigatione in Americam perveniamus; mare quidem requiritur, ventus agit: primum est conditio, secundum vero Caussa. Mari sublato, nulla navigatio: illo posito, posset etiam non navigari: illud igitur requiritur, ab illo dependet, ab illo tamen non est navigatio. Contra vero ventorum actione, dependentia navigatio peragitur. Habes, quid rei sit esse caussam, quid conditio, quid principium nuncupetur. Caussa dependentiam, & actionem, conditio solam dependentiam, principium solam actionem, seu, ut dicitur, influ-

influxum notionibus suis complectuntur. Caussarum actiones, & effectus plurima sæpe comitantur, quæ cum neque in effectus ullo modo agant, neque ad rerum productionem requirantur, puræ circumstantiæ, aut adjuncta nuncupantur: neque sunt Metaphysici consideratione digna.

358. Secundum quod spectat, multiplex caussarum genus & divisio in rebus agnoscitur, atque statuitur: præcipuæ divisiones sunt: 1 In caussam *primam*, & *secundas*: hujusmodi caussarum divisionem esse veram, atque tenendam, statim demonstrabitur; cum Creaturis etiam rationem, & munus caussæ vindicabimus. Caussa prima est ens necessarium, & æternum, principium, fons, & origo omnium rerum, a quo omnia sunt, & dependent. Una tantum esse potest; cum unicum etiam ens necessarium, & rerum omnium origo demonstretur: ulterius id prosequemur, cum duplex Manichæorum principium demonstrabimus. Cum nihil in rebus sit, aut esse possit, quod a Deo non dependeat, & in nihilum redigi ab ipso non possit; cum præterea Dei virtute, atque voluntate res omnes fiant & conserventur; prima illa caussa est etiam universalis; propterea quod in omnia aliquo tandem modo, atque ratione agat. Sed de universali hac causæ primæ actione statim dicemus. *Secundas caussas* nuncupamus illas creaturas, quæ vim agendi a Deo habent, qua naturalia effecta peragunt: hujusmodi etiam caussas dicimus *peculiares*; propterea quod nulla earum sit, quæ ad omnia extendatur, sed suos singulæ effectus agere possint.

359. Dividitur secundo caussa generatim accepta in *Physicam*, *Moralem*, *Mentalem*. Celebris hæc est, atque magni momenti caussarum divisio: prima Physicam naturalium rerum essentiam, secunda voluntatem, tertia rationem proprie spectat: naturæ scilicet, voluntatis, rationis suæ sunt actiones: natura efficit, voluntas imperat, ratio movetur. Cum servus domino jubente in forum pergit; ratio finis, seu bonum aliquod domini mentem, voluptatem, seu animum ad rem eligendam, & imperandam agit: voluntatis imperio movetur servi animus: naturalibus servi viribus peragitur motus. Prima est caussa *mentalis*, quæ vulgo *finalis* nuncupatur; secunda *moralis*; tertia *physica* dicitur; propterea quod prior men-

mente agat, secunda moribus innitatur, tertia naturæ opus sit.

360. Hujusce exempli explicatione præmissa, quid prædictæ caussæ exstant definitu facile est. *Caussa Physica* est, a quo physica actione effectus est, producitur, naturam accipit, a non esse, ad esse transit, seu esse incipit, ut motus a servo: ad hanc caussarum classem omnes rerum non cogitantium actiones, atque effectus spectant, quos per totam Physicam late prosequimur. Caussa *mentalis* seu finalis, est ratio illa, atque finis, quæ mente concepta, animum ad agendum movet, propter quam scilicet rem unam, actionem, effectum præ alio peragendum eligo. Hujusmodi effectus sunt rationales omnes actus substantiarum cogitantium: quidquid enim rationabili modo a caussa cogitante fit, propter finem aliquem peragitur. Ratio enim vero non movet, nisi prius cognoscatur; cognita non movet, nisi voluntatem. Patet insuper, mentalium caussarum actiones longe a physicarum, atque mechanicarum caussarum actionibus differre: totum in hisce postremis est physicum; priores mediis animæ intelligentis ideis ipsammet voluntatem movent; aut voluntas etiam, cognita objectorum bonitate, ratione se ipsam libere propter finem flectit. Rem modo attingimus fusius postea explicandam cum de humana libertate disputabimus.

361. Circa caussas finales, earumque actiones distinguendum semper est inter finem, & media discrimen. Plerumque fit, ut cum aliquid agendum est, media aliqua quærantur ad optatum finem assequendum apta. *Finis* seu *caussa finalis* illud unum est, quod per propriam suam bonitatem ultima est ratio voluntatem movens ex parte objecti. *Media* vero illa sunt, quæ propter aliud eliguntur, in quibus humana voluntas, seu agentis animus, & intentio non sistit: ipsa igitur per se voluntatem non movent. Medium aliquando est unicum, multiplex interdum eligi potest; quandoque necessarium, sæpissime arbitrarium. Quando plura ad eumdem finem adhiberi possunt, æqualia sunt aut inæqualia; æqualiter aut inæqualiter facilia: mediorum multiplicitate posita, finis ad generalem alicujus medii electionem animum movet; quod vero unum præ altero voluntas eligat, vel ipsius medii bonitati, vel libero voluntatis arbitrio referendum,

dum, ut uberius postea explicabitur.

362. Caussa tandem *moralis* est, quæ neque physice effectum producit, neque ut finis mentem, animumque movet; sed alterius voluntatem mandato, aut simili alia ratione ad agendum ita compellit, ut nisi illud staret mandatum, effectus non consequeretur. Moralis nuncupatur, quia & in voluntatem potissimum exercetur, & hominum moribus innititur & ad mores spectat.

363 Unus idemque effectus tres hasce aliquando habet caussas, ut in exemplo allato videre est, in quo illa servi deambulatio ab uno quidem efficitur, ab alio imperatur, propter aliud peragitur. Res omnes cum materiales, tum spirituales possunt & physicæ, & mentales esse caussæ; omnes scilicet & bonitatem habent, propter quam eligi a voluntate possint, & activa etiam sunt energia prædita. qua aliquid physice producant. Ratio causæ moralis cogitantibus convenit, ut ex rei ipsius notione constat.

364 Caussa ulterius in *totalem*, & *partialem*, in *principalem* & *instrumentalem* dividitur. Unus idemque effectus a pluribus quandoque caussis non modo diversi, sed ejusdem etiam ordinis provenit. De diverso caussarum ordine res liquido constat: quidquid enim fit, physicam, & mentalem habet caussam; ab aliquo producitur, propter finem aliquem decernitur. Res pariter est de eodem caussarum ordine evidens: radiis solaribus, atque accenso igne insimul aliquando calescimus: ob duplicem aliquando finem ad aliquid agendum movemur: plures etiam quandoque sunt, quorum mandato res eadem a servo peragitur. Caussa igitur totalis, seu perfecta alicujus effectus illa est, a qua sola effectus eo caussarum ordine producitur. Quod si plures in rem agant; singulæ dicentur imperfectæ, seu non *totales*. *Caussa principalis* est, cujus potissimum virtute efficitur, atque attribuitur effectus. *Instrumentalis* vero illa dicitur, quæ alterius vi atque actione agit; ita ut effectum non produceret, nisi alia caussa ageretur. Duplex instrumentum distingui oportet; aliud quidem pure passivum, aliud vero etiam activum, seu vi etiam agendi præditum. Primum est ex. gr. acus nautica, vela, navis ut ab Europa in Americam navigetur; ea scili-

cet sunt, sine quibus Atlanticum mare non sulcarētur, quin tamen in navigationem propria virtute agant. Activi instrumenti exempla sint; Qui silvam ope ignis destruit, qui animans gravem lapidem demittendo occidit, activa instrumenta adhibent, quorum viribus effecta illa peraguntur: similia multa ab hominibus, a vindicatrice Numinis providentia mediis activis istrumentis fiunt.

365. Caussa præterea in *necessariam*, & *liberam* dividitur. Famosam effecerunt hujusmodi caussarum divisionem cum antiquæ tum recentes Philosophorum controversiæ; dum omnia naturalia, humana, divina fatali quadam necessitate evenire contendunt aliqui; ex opposito autem fatali, necessitate rejecta, libertatem in Deo, & hominibus ceteri omnes agnoscunt. *Caussa necessaria* apud omnes ea intelligitur, atque significatur, quæ effectum suæ naturæ necessitate producit, hoc est, ita agit, ut effectum non agere, aut omittere pro libito non possit. Hujusce conditionis sunt caussæ omnes non cogitantes, hoc est, pure materiales. Cogitantia etiam, dum sola mente agunt, necessario agunt; quod si voluntate etiam agant; tum vero & necessariæ, & liberæ possunt esse caussæ. Circa notionem caussæ liberæ acerrime inter se recentiores philosophi, & theologi dissentiunt. In quæstione de nomine, quæ in rei tandem & maximi quidem momenti controversiam degenerat, sensum modo meum tantummodo indico, luculentius infra probaturus. Illa mihi est caussa *libera*, quæ ita suopte ingenio se ad agendum active deliberat, ita eligit, & agit, ut iisdem prorsus circumstantiis manentibus, possit oppositum, & sese ab agendo active retrahere. Existat nec ne hujusmodi caussa, postea dicemus: rei ideam tantummodo exponimus.

366. Ultima tandem, & vulgatissima caussæ divisio est in *efficientem*, *finalem*, *materialem*, *formalem*. Caussæ finalis, seu mentalis notionem superius expositam habes: *Caussæ materiales* nomine illud subjectum intelligitur, ex quo aliquid efficitur. *Caussa formalis* est forma illa, quæ rei alicui applicata, aut in subjecto recepta, subjectum afficit, & forma illa affectum denominat. *Efficiens* demum caussa est, quæ proprie rem efficit, naturam, perfectionem, existentiam rei ipsi donando producit. Omnia in exemplo

sunt

funt manifesta : in horologio manu artificis fabricato, tria ad rem nostram distinguimus : *artificem*, *materiam metallicam*, *figuram partium* : Artifex est caussa horologium *efficiens* ; metallorum massa est caussa materialis, seu subjectum, & materia, ex qua machinam construat ; figura tandem partium, qua posita, massa illa dicitur, & est horologium, atque figuratum forma horologii existit, illudque hoc vel illo modo figuratum reddit, Artifex efficit. Materia subjicitur, atque ab efficiente artifice tractatur, figura afficit, affectum, & informatum denominat.

367. Caussa materialis, atque formalis non nisi impropriissime vocari possunt caussæ. Efficiens reapse agit, estque physica, & rigorosa caussa. Materialis effectum non agit, sed illum patitur, atque in se ipsa recipit ; dum ab efficienti caussa tractatur, illiusque actioni subjicitur : illius igitur caussæ munus passio potius, quam actio nuncupari debet. Caussa etiam formalis, seu forma subjecto inhærens ab effectu suo non distinguitur : ipsamet est, quæ subjectum afficit : mediaque sui applicatione subjectum redditur informatum. Mens humana redditur, atque denominatur cogitans per cogitationes, corpus figuratum per figuras, coloratum per colores, per lucem illuminatum : neque cognitio, neque figura in mentem, aut corpus agunt : nullum denique ab ipsis proprie distinctum producunt ; sed per se ipsas, subjectis quæque suis applicatæ, in iisque receptæ, illa informant, afficiunt.

368. *Caussa efficiens*, ut de hac fusius loquamur, quæ est rigorosa caussa, illa est, a qua effectus physicus suum esse, naturam, existentiam accipit : estque ipsa physica activa sui effectus origo. Facile ex hac notione apparet efficientis ab aliis caussis discrimen.

Caussa efficiens in duas tandem dividitur ; quarum notiones sunt maxime necessariæ. In *Creatricem* nimirum, & *productricem*. Caussa efficiens *Creatrix* illa est, quæ rem de novo penitus efficit, hoc est, rem nullo modo antea existentem in rebus efficiendo ponit : hujusce caussæ actio nuncupatur *creatio*, effectus creatione in rerum naturam inductus, dicitur *creatus*, seu de novo in solidum factus, vel ex nihilo effectus. Deum optimum maximum, unicam esse

crea-

creatricem caussam; inferius probabimus: hujus universi materia, omnes substantiæ cogitantes factæ a Deo sunt per veram creationem: in actione igitur caussæ creantis nullum opus est subjectum, seu caussa materialis. Nisi ita esset; creare amplius non esset, rem antea nullo modo existentem efficere: si enim subjectum ad creationem requiritur; in illo ratione aliqua continetur.

369. Caussa *efficiens productrix* illa est, quæ effectum suum ex subjecto aliquo producit, in quo aliquo modo jam existebat, & continebatur. Hoc modo ex mundana materia creata productus fuit mundus, ex informi metallorum massa horologium construxit artifex, ex succis nutritiis formatur integra planta, ejus folia, flores, fructus: ex arena vitrum, & crystallus conficitur. Hujusce caussæ actiones *productiones* dicuntur. Cum productio sit rei a subjecto aliquo veluti *extractio*, atque *eductio*; neque caussa producens potest se sola rem suam efficere; cum subjectum debeat etiam esse, ut ab illo effectus extrahatur; neque res productione facta ex nihilo penitus fiat. Hanc unam agendi rationem creatis caussis vindicabimus. Delicati palati Lectorem jam monuimus, ad barbara verba in scientiis, & artibus adhibenda egestas nos sæpe adigit.

§.

THEORIA CAUSSARUM.

370. Hisce omnibus notionibus, atque divisionibus caussarum præmissis, & rite intellectis, sequentes illarum canones, propositiones, seu Theoremata proponere, & percipere satis erit, ut ab omnibus tamquam evidentia axiomata admittantur.

REGULA PRIMA.

371. *Caussa quæcumque effectum agere non potest, quin existat: estque proinde existentia ad caussæ actionem, & exercitium necessaria.*

Res est per se ipsam manifesta. Si caussa non existens aliquid ageret; existentiam effectui daret, quam ipsa non haberet: est autem rationis lumine notum,

nemo

nemo dat quod non habet. Existentia ad caussarum actiones necessaria secundum ipsarum indolem intelligitur. Caussa *physica*, *moralis*, *mentalis* diverso modo agunt secundum earum genium: Ut agendæ rei bonitas mentem, & voluntatem moveat, satis est, & insimul necessarium, ut bonitas ipsa cognoscatur. Ut domini mandato servus ad agendum moveatur, opus est 1. quod & mandatum reapse extiterit, & servo innotescat: secundo quod moraliter perseveret, seu existat: perseverat autem, atque existit moraliter, quamdiu non retractatur. Ii scilicet sunt nostri hominum mores, quod eamdem semper voluntatem servemus, quamdiu per oppositam non retractamus. A caussa tandem physica effectus reapse per physicam actionem pendet: hoc ordine igitur ad prædicta caussarum genera requiritur existentia, ad finalem quidem, seu mentalem idealis, ad moralem physico moralis, ad physicam realis. Cognoscatur prima; *nihil enim volitum, quin præcognitum*, ut antiquum est philosophorum proloquium: exstiterit secunda, & esse adhuc existimetur: reapse in rerum natura tertia existat opus est.

REGULA II.

372. *Inter caussam proprie dictam, & effectum distinctio necessario intercedit: nihil proinde sui ipsius potest esse caussa.*

Axioma caussas efficientes proprie spectat. Caussa enim vero physica efficiens existentiam effectui suo communicat: aliquid autem sibi ipsi dare existentiam posse, lumini rationis opponitur. Quidquid est, aut est ab alio, aut a se: hoc posterius est ens sine caussa, æternum, necessarium: primum igitur, hoc est, universa rerum comprehensio caussam aliquam habens a suamet caussa necessaria distinguitur. Regula ulterius, ex eo quod effectum caussa necessario præcedat, evidenter demonstratur: si enim idem sui ipsius caussa esse posset; res eadem esset se ipsa prior, quod est plane impossibile.

373. Caussa materialis, & formalis non sunt rigorosæ caussæ. Unde inter hujusmodi caussas, & improprios earum effectus perfectam distinctionem non in-

intercedere, ex ipsarum caussarum genio, liquet. Caussa etiam finalis ex genere suo, cum in effectum physica actione non agat, in regula non comprehenditur: seipsum Deus propter se ipsum amat; caussa, amor, & amoris ratio idemmet objectum existunt: idem in humanæ voluntatis actibus accidit. Sæpissime nihilominus fit, ut a suis etiam effectibus caussæ finales distinguantur.

REGULA III.

374. *Caussa vera & proprie dicta prior est effectu.*

Est enim sui effectus origo, radix, atque principium: a re autem non existente nihil esse, aut fieri potest. Ipsæ præterea originis, radicis, principii notiones aliquam secum præcedentiæ ideam deferunt. Multiplex tamen præcedentia distinguitur (a), *temporis*, *naturæ*, *originis*, *rationis*: præcedentia temporis est, cum caussa aliquo tempore, etsi minimo, effectum suum præcedat.

375. Hujusmodi præcedendi modum in nobismetipsis quotidie experimur: ad nostros voluntatis actus diuturno tempore præcedit voluntas. Hæc præcedendi ratio caussis quidem ipsis potest convenire, caussarum tamen propria non existit; cum rebus etiam aliis conveniat. *Præcedentia naturæ* in eo consistit, quod effectus a caussa sua fit, pendeat, & suum esse accipiat; etsi alioquin tempore non præcedat caussa, sed illico, atque existit, effectum suum agat. Definita hæc naturæ præcedentia caussarum propria est. *Præcedentia originis* minor est, quam *naturæ*, & nihil est aliud, quam unius ab alio emanatio citra ullam dependentiam, aut temporis præcedentiam. Hæc una est in divinis emanationibus præcedentia, seu ut dicitur *prioritas*. *Præcedentia* tandem *rationis* est, quæ inter effectus, & rationem, seu conditionem necessariam intercedit, quin actio aliqua interveniat: dicique

(a) Delicati palati lectorem jam monuimus, ad barbara verba in scientiis, & artibus adhibenda latini sermonis egestas nos sæpe adigit.

cique proinde potest *praecedentia consequentiae*, seu argumentationis. Prius enim conditiones ad effectum necessariae intelliguntur, quam effectus ipse poni intelligatur: quin prius intelligatur mare, non intelligitur navigatio.

376. Postremas hasce originis atque rationis praecedentias ad caussae notionem, atque munus non sufficere, datae modo definitiones per se se ostendunt. Cum sola enim connexione stat illa *rationis*; omnem dependentiam alia originis excludit: dum ex opposito *praecedentia* caussarum propria, praeter connexionem, & actionem, dependentiam secum afferat. In dubium solummodo inter metaphysicos vertitur, sola ne natura, an tempore etiam effectum suum praecedere caussa debeat, ita ut per aliquod saltem temporis momentum prior existere debeat caussa, quam producatur effectus. Controversiae solutio a notione temporis dependet: si quid rei sit tempus, & in quo rerum duratio consistat, clare agnosceremus; rem facile definires. Interim dum tempus ejusque notionem nonnisi per caliginem adspicimus, eo idearum statu, atque natura, quibus mens nostra instructa est, omnia undique examinando, nihil video unde temporis praecedentiam inter caussam, & effectum statuere possimus. Ad caussae etiam efficientis cujuscumque munus satis mihi est, caussam effectu suo esse natura solum priorem: umbram plane video ob interpositum corpus opacum in primo temporis & existentiae luminis momento. Animam etiam suamet creatione se se cognoscentem, corpus grave, ex quo alii imponitur, illud statim premere, & infinita hujusmodi alia in ea, quam habeo, confusa temporis idea videre mihi videor. Neque apparet, quid caussa in secundo sua existentia momento possit, quod in primo efficere nequeat; quid in primo desit, quid addatur in secundo. Communis hic est inter metaphysicos sensus: a quo tamen si recedas, & temporis praecedentiam inter caussam, & effectum necessario admittendam contendas; non citra probabilitatem philosophaberis.

377. Caussae effectus suos non modo natura, sed tempore etiam saepissime praecedunt: hujusmodi tamen praecedentiam ex caussae munere, atque ratione non descendere, neque ad id rei opus esse videtur: idque unum in re praesenti affirmo. Et ut communi-

bus

bus etiam, atque usitatissimis scholarum vocabulis utar, eosque explicem; inter *actum primum* caussæ, & *actum secundum* non temporis præcedentia intercedit, sed sola *naturæ* sufficit. Virtus caussæ nullis jam obstaculis ad agendum impedita, totaque vi, atque conditionibus ad id muneris necessariis prædita *actus primus* caussæ nuncupatur: *positio effectus*, seu effectus actione caussæ positus dicitur *actus secundus*. In actu primo intelligitur caussa, non tamen effectus: actus secundus utrumque comprehendit. Hisce vocabulis *actus primus*, *actus secundus*, *prior*, *posterior* impræsentiarum non intelligitur, neque significatur tempus, caussam tantummodo, atque effectus a caussa dependentiam, actionem, existentiam significant. Si tempus consideremus; in eodem momento, in quo est actus primus, est pariter secundus: tempore hæc duo non differunt, ad tempus non referuntur: sed ad naturæ tantum ordinem spectant. Actus secundus tempore quidem cum actu primo simul existit; neque tamen est actus primus, neque in actu primo intelligitur. Aliud hæc non continent, quam arbitrariam dialectum, in qua ulterius explicanda immorari superflueret.

REGULA IV.

378. *Caussa effectum se ipsa perfectiorem efficere non potest; maxime tamen imperfectiorem*. Caussam, in hac regula intelligo perfectam, atque integram, quæ sit sui effectus tota ratio sufficiens. Ratio regulæ per se se alias manifestæ est, quod nisi ita esset, caussa perfectionem daret, quam non habet: neque esset sui effectus ratio sufficiens. Secunda regulæ pars per se est manifesta, atque in caussis tum liberis, tum necessariis locum habet: quod scilicet potest, & continet majus, minus etiam in eodem perfectionis genere continet.

REGULA V.

379. *Effectus perfectior, seu major perfectiorem etiam seu majorem caussam requirit, si cætera sint paria, atque ex una effectus perfectione caussæ perfectio deducatur*.

Regula in hunc sensum explicata per se ipsam est evi-

evidens; cum inter effectus & caussas proportionem esse, naturalis ratio & ipsamet caussarum indoles demonstrent. Ea tamen primo de caussis necessariis ejusdem generis, secundo de caussis liberis quidquid possunt, efficere conantibus intelligitur: uno verbo, perfectioris majorisque effectus ex genere suo perfectior majorque debet esse caussa. Ratio exceptionis est; quia liberæ caussæ quidquid possunt, non semper agunt. 2. Cum unius Dei sit Creaturas de novo penitus creare; parique modo atque evidentia ab imperfectissimis, atque a perfectissimis Creaturis demonstretur Deus; æque ad majorem, atque ad minorem effectum omnipotentis caussæ opus est efficacia: id tamen non ex perfectione effectuum, sed ex ratione, & qualitate actionis derivatur. Deinde in liberarum caussarum exceptionem iterum incidimus; libere scilicet a Deo quidquid creaturarum est, fieri statim demonstrabitur.

REGULA VI.

380. *Effectus sine caussis sufficientibus esse non possunt; possunt tamen caussæ sine effectibus existere.*

Secunda Regulæ pars intelligitur primo de caussis liberis: secundo de caussis necessariis, quamdiu ad agendum aut conditio aliqua desideratur, aut impedimentum aliquod tollendum adhuc superest. Cum in actu primo esse non possit caussa, quin una simul ponatur actio; ab effectu aliqua etiam ratione illa dependet. Hæc dependentia a *posteriori* in scholis nuncupatur; a nobis connexio potius, quam dependentia appellabitur. Quæ hucusque circa caussarum genera diximus, quæstionem illam satis expediunt, quam secundo loco supra proposuimus.

§.

Ulterior Caussarum Theoria.

381. Solvendum modo superest, quod tertio discutiendum attulimus: quidnam Deus, quid Creaturæ agere possunt? quænam caussarum munera, & notio enti necessario, quænam creaturis conveniunt? Quæ quidem brevissime ad hujusce caussarum theoriæ complementum expediemus.

PROPOSITIO XXIII.

382. *Omnipotenti Deo seu omnipotentiæ divinæ repugnat, esse materialem, seu formalem rei alicujus caussam, earumque caussarum munera per se ipsum agere non potest ens necessarium.* Alii scilicet subjici, alteri tamquam forma adhærere, ab alio tractari, modificari, subjectum aliquod instar modi afficere, quæ materialis, atque formalis caussæ munera sunt, subjectionis, atque imperfectionis ideam secum deferunt, in ente optimo atque infinite perfecto impossibilis.

PROPOSITIO XXIV.

383. *Omnipotentis Dei est, esse caussam primam, & universalem omnium creaturarum.* Malum morale in propositione non intelligo: inferius erit huic argumento locus. Propositio ex iis, quæ in toto hoc tractatu hucusque demonstravimus, est evidens. Unus Deus est ens necessarium, æternum, a se, ratio sufficiens omnium rerum: creaturæ universæ sibi & aliis sunt insufficientes, entia ab alio, finita, imperfecta: omnia igitur a Deo sumus: Dei beneficium est, quod simus, & conservemur. Cum Deum caussam primam, & universalem dicimus, caussas secundas singulorum naturæ effectuum, rem postea probaturi, insinuamus.

PROPOSITIO XXV.

384. *Utriusque caussæ physicæ efficientis, creatricis atque productricis munus, seu creare & producere omnipotenti caussæ necessario conveniunt.*

Utrumque enim vero est pura & simplex perfectio: eo sane modo rerum esse auctorem, perfectionis, atque summæ virtutis argumentum est. Duplici illo utriusque caussæ munere prima & universalis rerum omnium caussa existit Deus, primus & universalis creaturarum omnium auctor; quia quæcumque corporum, spirituum, substantiarum genera universitas rerum complectitur, ea procul dubio omnia Deus omnipotens creando, aut producendo effecit. Illa omnia sunt entia ab alio, sibi ipsis non sufficiunt: aut

aut igitur creatione, aut productione inceperint, existant, conserventur; in ipsamet eorum creatione; aut productione dependentiæ character inest: in Deum tandem tota illa actionum summa, tamquam in principium & originem refunditur.

§. PROPOSITIO XXVI.

385. *Creare ita Divinæ omnipotentiæ convenit, ut illius tantummodo munus esse possit: est dicere, res quascumque possibiles creare potest Deus: creatio vero uni Deo convenit.*

Prior pars ab idea omnipotentiæ deducitur, & luculenter jam fuit demonstrata. Creationis autem possibilitate immo & existentia semel statuta, rerum creatio omnipotentis caussæ character, argumentum; atque proprium munus existit: quod est propositionis pars altera, ab omnibus creationem etiam non inficiantibus communiter admissa. Substantiam scilicet novam ab omnibus aliis reapse distinctam ex nihilo extrahere, suam illi naturam, essentiam realem, atque existentiam efficiendo dare, adeo finitam caussarum virtutem superare apparet; ut nonnisi ab omnipotenti caussa effici posse videatur. Inter non esse, & esse illa distantia intercedit, quæ a finita quacumque caussa vinci omnino non potest. 2. Res creata; cum totum suum esse per creationem accipiat, a creante caussa tantummodo proxime, & primo pendere intelligitur: Si igitur substantiam aliquam caussa secunda creasset; ejusmodi substantia a creatura tantummodo primo, & proxime penderet: impossibilis autem est creatura, quæ primo, & per se se proxime ab ente necessario omnipotenti non dependeat. In effectibus quibuscumque a caussis naturalibus productis essentialis eorum a Deo dependentia ab eo semper derivatur, quod effectuum ipsorum fundum, materiam, substantiam, & subjectum (quod est totius rei cardo) unus Deus creaverit, unus conservet, unus destruere, & in nihilum redigere possit. Hic sane perfectissimæ dependentiæ character, atque argumentum existit: id vero est, quod in rebus a finita quacumque caussa creatis desideraretur: quod & essentiali creaturarum, & Numinis ipsius notioni repugnat. 3. Caussa substantiam ex nihilo creans est

tota ratio sufficiens ipsiusmet substantiæ creatæ : ab una illa totum suum esse habet, quin ab alio per se se pendeat : at creaturarum non est rationem esse sufficientem existentiæ rerum. 4. Quidquid caussa sufficiens conservationis rei esse nequit, illius etiam existentiæ, seu creationis caussa esse non potest. Si rem profunde mediteris, quin cortice hæreas, aut in sophysmata deflectas; propositionem admittes. Conservatio rerum, aut ipsamet est earumdem rerum continuata creatio, aut minus sane ad conservationem, quam ad creationem requiritur. Ita vero est, quod nullam substantiam, seu rem quamcumque conservare possit creatura: nihil scilicet creatum suæ conservationis auctor esse potest : fieri ne vero potest, ut aliorum conservationis sufficiens possit esse caussa, quod se ipsum conservare nequit ? 5. Cum eadem plane inter nihilum & creatam substantiam, atque inter substantiam, & nihilum distantia existat; utramque aut neutram secundarum caussarum efficacia poterit superare : quod in hunc sensum recidit : si creaturæ nullam substantiam in nihilum redigere possunt; creare etiam, seu ex nihilo producere nequeunt. Eadem utrobique est actionis difficultas : artifex, qui horologium construere, illud etiam destruere novit, & potest: at substantiam aliquam, frustum v. g. corporis cujuscumque dati penitus destruere, in nihilum redigere, omnem creaturarum vim superat : pari idcirco ratione de creatione philosophandum.

PROPOSITIO XXVII.

386. *Est tandem Deus caussa finalis omnium rerum, quæ a caussis vel necessariis, vel liberis recte operantibus fiunt.*

Ita verum est, esse Deum principium, & finem omnium rerum : quidquid physicarum rerum est, fit & existit ab alio, a Deo scilicet communi intelligenti necessario, & omnipotenti principio : quidquid pariter rerum est a caussa rationabili factum, propter summum tandem bonum, propter infinitam æterni Dei bonitatem fit. Deus enim vero est summum, infinitum, atque necessarium omnium creaturarum bonum : quidquid sumus, ab eo sumus, accepimus, derivamus : summum illum bonorum fontem nostra

omnia,

omnia, creaturæ universæ respiciunt. 2. Deus, ipsamet infinita ratio, atque bonitas agens infinite Sapiens, & Bonus se ipsum infinita claritate cognoscens, seque ipsum pariter infinitum, summum, & unicum Bonum (a) necessario amans, quidquid agit, propter summum illud bonum agit: alius agendi modus neque prudens, neque rationabilis, neque possibilis in Deo esset. Tantilla creaturarum bonitas, ipsummet nostrum nihil, est a Deo derivata, in Deum relativa: bonitas autem relativa, ut sine termino, ad quem refertur, cognosci nequit, ita pariter amari non potest. Uno verbo, eadem ratione est Deus caussa unica necessaria, atque bonum unicum necessarium: ut igitur ex primo capite est Deus omnium creaturarum principium; ita ex secundo omnium rerum finis existit.

387. Et hinc 1. quidquid a Deo fit, propter se ipsum, tamquam ultimum rerum finem agitur. 2. Omnes caussarum necessariarum effectus eumdem habent finem: ejusmodi enim caussæ ex naturæ necessitate secundum acceptam a Deo virtutem, & statutas Dei leges agunt: leges autem Dei, entis summe rationabilis, finem habent earumdemmet legum auctorem. 3. Causæ liberæ, dum rationabiliter operantur, Deum etiam habent suarum actionum finem ultimum, eumque respiciunt; licet una simul propter peculiares alios fines proximiores, & voluntatem vividius percellentes moveantur. Idem scilicet agens duplicem habere potest suæ actionis finem, atque rationem: unam quidem peculiarem, quæ voluntatem magis alliciat, generalem alteram, quam mens, & voluntas semper respiciant. Postremus hic generalis omnium nostrarum actionum finis est, aut esse debet Deus: prior vero sunt creata ipsa bona. Quod si libera causa creaturas tantum respiciat; tum vero contra naturæ legem agendo peccat. Tandem quidquid in se non habet, seu potius non est principium & ratio sufficiens suæ existentiæ; aliarum etiam rerum existentiæ principium & ratio sufficiens esse ne-

---

(a) Juxta illud Servatoris nostri (Unus Bonus Deus).

nequit. Solus vero Deus in se se habet, atque est propriæ existentiæ principium.

PROPOSITIO XXVIII.

388. *Si creationem excipias, cætera omnia caussarum munera moralis, finalis, materialis, formalis, efficientis, instrumentalis agere possunt, & reapse agunt creaturæ.*

Circa propositionem plurima sunt animadvertenda philosopho necessaria. 1. Creandi munus, atque virtutem creaturis inesse non posse, exceptione insinuamus. Rem omnium confessione certam superius probavimus. Non modo creaturas, sed nullam omnino caussam creare posse, contendunt Atheistæ, Materialistæ, Epicurei, Pantheistæ, Deistæ, Fatalistæ; qui omnes appositam exceptionem libentissime probant. Ex adverso theistæ omnes vim ex nihilo creandi in Deo proculdubio admittentes, creandi virtutem omnibus creatis caussis negant. Circa virtutem igitur creandi creatis caussis negandam nullum est philosphantium diffidium.

389. 2. Quod creaturarum actiones, munera, & efficaciam spectat, ratum etiam inter philosophos est, substantias creatas, cum materiales, tum spirituales caussarum materialis, formalis, finalis, moralis munus agere posse. De vi tantummodo creaturarum efficiente inter Cartesianos, & cæteros philosophos controversia est, Cartesiani unum Deum esse dicunt caussam omnium rerum efficientem, seu activam; creaturis vim tantum passivam tribuunt. Secundum eorum philosophorum sensum, solius Dei est agere, active efficere: contra vero per universam physicam exposuimus, & inferius data opera probabimus creatis etiam caussis vim activam efficientem convenire.

§.

Possibilitas rerum.

390. Si mundana omnia, creaturæ universæ non extiterunt aliquando, si existentiam iis donavit Deus, si illa omnia ex nihilo extraxit, idque a nobis statuitur Divinæ omnipotentiæ character, atque argumentum; fuere igitur, inquis, creaturæ universæ nihil

nihil : possibilia tantummodo erant ? quid tamen sibilia , quid possibilitas rerum ? est ne aliquid e an potius nihil ? si hoc secundum ; nihil Deus ant rerum creationem extra se agnosceret : possibilia siquidem tantummodo erant totum divinæ cognitionis objectum . Si alterum ; vel id qualecumque tandem ens a natura , & essentia rerum existentium distinguitur ; Vel idem potius cum iis statuitur : Si primum ; quid illud tandem est ? aliam ne habet naturam mundus hic productus , aliam mundus hic nondum productus ? Quod si idem cum existenti rerum natura dicatur ; est ne igitur , ut natura existens , rei ipsius possibilitas , seu possibile ipsum contingens ? potest ne igitur Deus , perinde ut existentem mundum , ipsius etiam possibilitatem , possibilia omnia , omnium rerum essentias destruere , in nihilum redigere ? Nihil tum vero superesset possibile : quid tum vero omnipotentia ? caussa sine effectu , potentia sine actu ?

391. Rursus ens illud verum , qualecumque tandem sit , existit necne ante rerum existentiam ? Si non existit ; iterum est prorsus nihil : si existit ; est ne igitur aliquid necessarium, an potius contingens : utrumque impossibile : si esset contingens ; posset destrui ab ente necessario omnipotenti : si necessarium ; plura igitur sunt entia necessaria ? oppositum enim vero superius demonstravimus. Habes paucis exposita, quæ fusissime in scholis tractantur ; quibus etiam breviter ad theoriæ caussarum complementum respondere oportet.

392. Respondeo : Hæc omnia intelligi a nobis, atque explicari possunt, quantum humana imbecillitas de Divinis , atque inscrutabilibus rebus percipere potest ; si ad nostrarum etiam rerum idealem , & realem statum animadvertamus . Construendam machinam meditando invenisti , ejus ingenium, & partes omnes percipis , mente habes , atque fieri a te posse vides : re tamen nondum aggressa , possibilem machinam , rem idealem , mente solummodo existentem , nondum in rebus positam habes , cognoscis . Rem tandem secundum mentalem *typum* aggressus , machinam realem eo ingenio construis , quo in mente fuerat , & fieri a te posse animadvertebas . Rudi , atque humano in exemplo supradicta omnia quærere , & quæ-

sita solvere poteris. Possibilitas rerum duplex, alia extrinseca: alia vero intrinseca, prima est omnipotentia, seu omnipotentis caussæ efficacia, quæ omnia cognoscit, cognita universa efficere potest. In casu nostro extrinseca machinæ possibilitas est artificis dexteritas. Intrinseca est ipsamet rerum indoles, hoc est, objecta ipsa in idea Dei archetypa repræsentata, ut in exemplo allato est machinæ ingenium idea repræsentatum. Prima rei possibilitas, hoc est, caussa omnipotens realem habet existentiam; Secunda vero, hoc est, possibile ipsum ideæ objectum non realem, sed idealem tantummodo habet existentiam, seu mente solum repræsentatur; neque aliud existentiæ idealis nomine significamus. 2. Possibilia ipsa intrinseca, objectum idea repræsentatum, indoles objecti cognita (ingenium machinæ) antequam ad existentiæ statum producantur, non erant neque sunt aliquid realiter existens; sunt aliquid ideale, verum ideæ existentis objectum, in idea ipsa repræsentatum, & hujusce tantum repræsentationis ratione idealem habens existentiam.

393. 3. Utraque illa possibilitas est necessaria, ratione tamen longe inter se diversa. Possibilitas extrinseca, seu caussa rerum est ens omni ratione necessarium, realem ab æterno habens existentiam: objectorum indoles, seu possibilia ipsa mente divina repræsentata habent existentiam idealem necessariam, quod idea ipsa Divinæ mentis sit prorsus necessaria, atque immutabilis; objectum igitur necessario repræsentat, non quidem conditione objecti, sed mentis repræsentantis perfectione, atque necessitate. Hoc sensu dicitur, possibilia, essentias, seu naturas rerum esse æternas, necessarias, immutabiles: sunt scilicet objectum ideæ archetypæ æternæ, immutabilis, & necessariæ intrinsecæ veritatis. Hujusmodi idea est æterna: & cum sit per naturam suam omnium rerum possibilium repræsentatio; neque esse possit idea, quin ipsa repræsentetur objectum: ipsamet necessaria divinarum idearum æternitas possibilium omnium æternitatem secundum datum sensum secum defert. Ex necessaria Divinarum idearum æternitate possibilium necessitas consequitur. Si Deus necessario potest, & pari necessitate cognoscit; quod cognoscit, atque potest, est necessario cognitum atque necessa-

rio

rio possibile. Pura hæc est idealis objecti ad æternam necessariam potentiam, atque scientiam relatio, consequens extrinseca, & relativa necessitas ex absoluta, & intrinseca potentiæ necessitate profluens. In ipsomet statu ideali impossibile est ideæ objectum mutari; quin ipsa etiam idea mutetur: quænam autem mutatio in idea eterna necessario vera, & necessariæ existentiæ? Hæc omnia satis probant, essentias rerum possibiles peculiari quidem ratione æternas necessarias immutabiles esse, atque nuncupari posse; eas tamen, qualescumque tandem sint denominationes, possibilibus in statu ideali convenientes, ipsius tantum entis necessarii proprias esse, in illoque uno reapse existere, atque a Divina æternæ mentis idea archetypa in possibilia ipsa, ejusdem ideæ objectum, derivari.

394 Alio sensu possibilia, & essentiæ rerum in se ipsis spectatæ neque æternæ, neque immutabiles, neque necessariæ existunt. Quæ major mutatio, quam a nihilo ad verum esse transire, quam ab esse in nihilum iterum redigi posse? Ita sane possunt universæ quæcumque creaturæ. Quonam etiam pacto æterna, atque necessaria esse possunt, quæ in tempore solum existere incipiunt, & ad liberrimum omnipotentis Dei nutum esse incipiunt, conservantur, & in nihilum iterum redigi possunt? Unum illud est, atque dici potest ens necessarium æternum immutabile, quod necessitate naturæ, atque perfectione necessario semper existit, & nullum novum statum perfectionem modum acquirere potest. Ex quibus omnibus patet, realem creaturarum possibilitatem ante illarum creationem esse omnipotentiam Divinam necessariam & æternam: si ab omnipotentia, atque scientia æterna Dei distinctum aliquid in æternitate quæramus, quod rerum possibilitatem, seu possibilia nuncupes; nihil est, aut cogitando invenitur, nisi idealia objecta, quæ actu nihil sunt.

§. DE

§.

DE IMMENSITATE DEI

ET

Primo quidem de Spatio, & loco rerum disseritur.

395. Ad illud Numinis attributum demonstrandum, devenimus, cujus expositioni nonnihil de spatio præmittere, illiusque notionem, existentiam, & proprietates rimari, & perpendere opus est. Cum enim de Immensitate cogitamus; quædam spatii, atque extensionis idea menti semper obversatur: maximaque nobis esse videtur inter utrumque illud argumentum connexio. Immensitas nostro concipiendi modo, ab exacta rei ipsius idea infinite abludenti, una secum spatii, atque loci ideas trahere existimatur. Quærenti, quid sit Immensitas, ubique esse, respondetur: quid vero illud *ubique*, nisi locum; quid *locus*, nisi spatii partem apud homines significat? Hæc igitur argumenta Metaphysicæ propria, ordine prosequamur.

§.

De Spatio, & Loco.

ADNOTATIO HISTORICA.

396. Quæ philosophi hactenus circa spatium opinati sunt, ad duo generalia capita reducuntur. Alii enim spatium absolutum, atque a corporibus distinctum admittunt: idque definiunt, *Interminatam quamdam expansionem ubique diffusam, seu capacitatem in longum latum, & profundum extensam infinitam continuam permanentem immobilem non resistentem*. Alii, rejecto spatio absoluto, nihil aliud eo nomine significant, & statuunt, nisi corpora, eorumque ordinem, & situm.

397. Inter primos *Democritus*, *Epicurei*, *Stoici*, *Galenus*, *Philo* Judæus apud *Gassendum* (*a*) spatium non modo

(a) Phys. Sect. 1. l. 2.

modo physicum, sed etiam æternum statuunt. Eadem fere est *Francisci Patricii* (a), *Gassendi* (b), *Nevvtoni* (c), *Lokii* (d), *Mori*, *Joannis Raphson*, *Clarkii* opinio (e). Omnes enim spatium, rem quamdam physicam a Deo, & a materia distinctam, ab eterno existentem, necessariam, & (juxta aliquos) a Deo non pendentem admittunt. *Nevvton* satis confuse loquitur: modo enim spatium velut Deum ipsum considerat, modo velut proprietatem Dei (f), modo velut rem a Deo productam ab æterno, & necessario (g).

398. Hujusmodi sententia mihi, & infinitis pene aliis periculosa (h). Alii idcirco spatium quidem physicum admittunt, sed creatum a Deo in tempore, non necessarium, sed dependens. Ita e sanctis Patribus *Gregorius Nissenus* (i), *Ambrosius* (k); e physicis etiam non pauci cum *Muschembroek* (l).

399. Inter eos tandem, qui spatium absolutum propugnant, sunt nonnulli, qui illud non veram aliquam extensionem physicam, sed capacitatem tantummodo negativam esse dicunt, quam *spatiosum* nihil appellant; idque unum veram spatii ideam esse existimant.

400. *Aristoteles* ex adverso (m), pluresque cum antiqui, tum recentiores Peripatetici corporis cujuscumque dati *locum* definierunt, *continentis termiuum immobilem*. Secundum hos auctores in cudendis definitionibus satis infelices, corporum locus est ambientis corporis super-

---

(a) De rerum nat. l. 1. c. 8.
(b) Loco citato.
(c) Princ. Phil. schol. gener. & etiam in optica.
(d) Essai ec. l. 2. cap. 13. ec.
(e) Bayle Diction. V. Zeno; Rhapson Conam. Mathem. mechanicum cap. 5. Illarus Enchiridion.
(f) Clark recueil.
(g) Loc. cit.
(h) Vide VVolf. Leibnitium, Bayle, Muschemb.
(i) L. 1. Contra Eunomium.
(k) Hexam. L. I. cap. 7.
(l) Elem. Phys. cap. 3.
(m) L. 4. Phys.

perficies; quatenus consideratur immota. Aquæ v. g. in vase contentæ locus est vas ipsum, seu ejus superficies, si ponatur immobilis: cum juxta primam sententiam hujusce aquæ locus sit, non vas, sed spatium, seu extensio ab ipsa occupata. Alium locum distinctum a supradicto non agnovit *Aristoteles*, ejusque mentem & opinionem amplexus est *Cartesius* (*a*); Cartesianique omnes; quorum judicio spatium, quod corpus non sit, impossibile est.

401. Aliqui etiam cum *Le Monier* (*b*), utroque explicandi modo rejecto, corporum locum Dei immensitatem esse statuunt, quatenus scilicet Deus Omnipræsentia, & immensitate sua locum non tam replet, quam efficit, in eaque immobili omnia moventur corpora. Tandem alii cum *Regnault* (*c*) corporum loca ex eorum tantummodo situ, ordine, & dispositione ad alia circumstantia corpora, quæ immota spectantur; repetunt, eaque est *VVolffii*, & *Leibnitii* sententia (*d*).

COROLLARIUM.

402. Locus igitur, multiplici philosophorum sententia spectata, in *extrinsecum*, & *intrinsecum* dividi potest: primum est, quod *Gassendus*; secundum, quod *Aristoteles*; & *Cartesius* admisit. In *communem* etiam; & *proprium*. *Communis* est, qui plura continet corpora, ut mare respectu piscium, terra respectu animalium: *proprius*, qui unicum corpus continet, ut vas respectu contentæ in ipso aquæ. Locus item alius est *absolutus*, *relativus* alius: primus est qui ad circumstantia corpora non refertur, maxime vero secundus.

403. Qui locum absolutum, & intrinsecum corporibus admittunt; illud in spatio physico, vel negativo adstruunt, quocum corpora ipsa penetrantur: in eaque sententia recte statuitur, motum esse transitum

(a) Princip. p. 2. n. 10.
(b) T. 3 philos.
(c) Entret. phys. t. 1.
(d) Volf. Theol. nat. part. 2. Sect. 1. cap. 2.

situm de spatio immobili ad spatium immobile. Qui spatium rejiciunt, locum tantummodo extrinsecum agnoscunt: iique multiplici difficultate premuntur.

PROPOSITIO XXIX.

404. *Non existit spatium aliquod negativum, seu spatiosum nihil: perperamque in hujusmodi spatio negativo ubique diffuso corporum locus constituitur.*

Hæc propositio ex nostrarummet idearum fundo, ac oppositione deduci sponte videtur. Esse enim rem negativam, esse nihil, non esse, esse puram negationem sunt prorsus eadem idea. Spatium autem esse, est esse extensum; si clara, & intelligibilia loqui velimus: at esse extensum & esse negativum; esse extensum, & esse nihil; esse extensum & esse negationem; esse extensum, seu habere partes extra partes, & esse nihil, seu non habere partes, sunt ideæ sibi mutuo contradicentes. 2. Idem prorsus esset, corpus esse in loco, ac in nihilo esse; quod videtur a ratione alienum. 3. Locus est extensio immobilis, corpus continet, & ab illo impletur: hæc autem omnia in res tantummodo physicas, & reales, minime autem in negationes cadere possunt. Qui fieri potest, ut purum nihil corpus contineat, & a corpore compleatur? 4. Locus corporum est aliquid physicum & reale, non vero negativum, & ideale; perperamque specioso nomine *Spatii* nihil insignitur, ut loci munus impleat.

405. Dum hæc legis, mihi forsan tacitus opponis: licet umbra sit purum nihil, mera nempe negatio lucis; attamen est extensa, dimetiri potest, suam habet latitudinem, & profunditatem: ergo etiam ista, imo & alia attributa, quæ corpori videntur esse propria, spatio, seu negativæ extensioni convenire poterunt. Resp. Si proprie loquamur, umbra neque est extensa, alta, aut profunda, neque dimensionis capax. Extensam dicimus, & dimetimur non umbram, sed spatium, aut corpora illa, quæ ob interpositum aliud corpus luce privantur; ea enim corpora sunt, quæ ordine disposita extensionem efficiunt, altitudinem, & profunditatem habent. At omnibus etiam destructis corporibus, adhuc, si hos auctores audiamus, remanet spatium, seu spatiosum nihil: *nihil*

ergo

ergo est extensum, profundum, immobile; attributa corporum propria.

406. 2. Suppone utique, Deum in nihilum redigere terram, v. g., vel omnem solarem vorticem; insimulque efficere, quominus aliquod universi corpus, eam, quam modo habet, sedem relinquat: en vacuum telluris locum, purumque spatium existens.

407. 3. Sphæricum mundum ponamus, quod probabile ducunt aliqui: alium item sphæricum mundum condere potest Deus, qui eum, in quo vivimus, contingat: Unicum erit in hujusmodi sphæris contactus punctum: a contactu igitur recedendo, magnum inter utrumque interjacebit spatium: Deinde ultra ipsius mundi limites immensum diffunditur spatium. Resp. Id unum ex prædictis evincitur, spatium scilicet esse possibile, vel, si mavis, existere; minime autem illud esse negativam extensionem. Quid autem illud sit, inferius explicabitur.

PROPOSITIO XXX.

408. *Spatium, quod sit physicum aliquid a Deo distinctum, repugnare videtur: ac proinde per hujusmodi spatium non recte explicatur corporum locus.*

Vel spatium est aliquid necessario existens, vel a libero Dei dominio redigi in nihilum potest. Cave dicas primum: quod neque rationis lumini esset consentaneum, neque in religione tutum. Siquidem *In principio creavit Deus cælum & terram* (a), *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ* (b). Tunc enim spatium esset ens necessarium a Deo non dependens, æternum, non productum, immensum (quæ Deo tantummodo possunt convenire), ac proinde in omni linea infinitum: *Ens a se*; cum esset ens improductum: cum igitur Theologi, & metaphysici communiter *esse a se*, velut primarium Dei attributum, & velut essentiam, atque rationem tractent, ex quo omnia alia Dei attributa sapientiam, bonitatem, immensitatem, &c. derivent, atque

(a) Geneseos cap. 1.
(b) Ephesios c. 1.

atque deducant; ratione *entis a se* spatio vindicata, quænam inde profluunt consequentiæ penitus absurdæ!

409. Quod si spatium dicas modum, ac proprietatem Dei; spatium, inquam, vere extensum extensione partibus constanti; ad maxima iterum absurda admittendum redigeris. Nulla est proprietas Dei a Deo distincta; cum Deus sit ens simplicissimum: periculosum vero est dicere, imo est impossibile, quod aliquid vere extensum extensione physica in partes dividua non distinguatur a Deo; ac proinde sit in sensu physico ipse Deus: omnia hæc, inquam, naturali rationi opposita sunt.

410. Quod si harum rationum pondere pressus dicas cum *Muschembroek*, homine quidem & cordato, & docto (a), spatium quidem fuisse a Deo creatum, non æternum, neque necessarium, sed pro conditoris lubitu factum in tempore; quæro, est ne finitum; an infinitum potius mundanum spatium? Humanum captum ista latere dices. Recte quidem. Cum tamen spatium sit a Deo libere productum; potuit finitum produci: demus igitur esse finitum; ejusque limites mente prætergressi, quo tandem devenimus? Spatium ego extra spatium esse concludam; ut extra universum ab adversariis adstruitur.

411. 2. Potuit Deus juxta eos auctores spatium non condere; cum libere illud in principio condiderit, & libere possit destruere. Demus igitur spatium a Deo destrui, duosque insimul globos se se in punto tangentes creari: quo tandem nomine extensionem illam inter globos interpositam donabimus? In nihilum redigat Deus & tellurem, & spatia telluris, reliquis, ut modo sunt, relictis. Destructæ telluris locus spatium non est; cum in nihilum illud redactum ponamus: esset autem, cum spatii in illo ideam, extensionem, & naturam offendamus.

412. 3. Alium mundum condat Deus, omni spatio destructo; distantia ergo inter utrumque mundum interjacens esset spatium, vel non omnis distantia, & capacitas est spatium; contra ac sibi persuadent hujus sententiæ patroni.

(a) Elem. physic. c. 3. n. 88. 89.

413. 4. Si per creationem conditum fuit spatium; alicubi illud Deum creasse, & constituisse necesse est: fuit ergo spatium, in quo spatium ipsum crearetur, quod est a veritate alienum. Argumenta, quæ pro sua sententia confirmanda in medium affert *Muschembroek*, superius solvimus.

PROPOSITIO XXXI.

414. *Ens Necessarium est etiam Immensum, & Omnipræsens: immensitate tamen, in qua nullæ sunt partes: atque simplicissima. hæc Dei Immensitas illud unum est, quod nomine spatii absoluti intelligimus, & admittimus.*

Duo in propositione affirmamus. Immensitatem attributum Dei esse: & hoc primum: secundo spatium absolutum existere, id tamen non esse capacitatem aliquam negativam aut idealem, neque physicam extensionem creatam, aut increatam; sed unam illam Dei Immensitatem existere.

415. I. Pars. Hic vel maxime, dum hoc Numinis attributum expendimus, nostræ hominum imaginationi, atque sensibus humana ratio reluctatur, & bellum indicit. Spatii ideam ex sensibus comparamus: sensibiles magnitudines, extensiones impenetrabiles, alias ab aliis remotas a cunis semper sentimus. Corpora dividi, interpositis extensionibus congruere, æquari, aut superari videmus: ab hisce magnitudinibus, atque extensionibus divisibilibus ideam spatii sensu comparamus, imaginatione servamus. Et hinc sensu semper, atque imaginatione agendo, corpora corporibus, magnitudines magnitudinibus, extensa extensis adjuncta imaginando, in eam magnitudinis versus omnes partes, sine ullis limitibus extensæ ideam devenimus, quam soli sensui, atque imaginationi insistendo sensibilem, & materialem immensitatem concipimus, atque nuncupamus. Sunt hæc omnia sensuum, atque imaginationis opus. Materialis hæc atque divisibilis immensitas, & extensio enti simplicissimo convenire non potest. Quid igitur nomina immensitatis, quam de Deo affirmamus, impræsentiarum intelligimus? Immensitas est spiritualis quædam omnipræsentia sine ullis extensionis partibus: ubicumque materialis extensio est, aut esse potest, ibi

ibi & efficacia virtutis, & naturæ præsentia existere nullis limitibus circumscriptum, aut terminis definitum, id intelligimus & dicimus *Immensitatem*, & *Omnipræsentiam*.

416. In hanc ideam, sensibus semper reluctantibus, pura mente devenimus. Ex una enim parte corporibus, seu extensionibus materialibus atque divisibilibus semper circumdamur: in nos illa semper agunt, sensibus perpetuo nos feriunt, alliciunt. Uberrimæ hinc imagines in phantasiam derivantur, aut originem habent: Propria hæc est & sensuum, & imaginationis provincia: eam semper circumspectamus intra hasce sensibiles ideas, atque imagines sepulti. Unde est, quod quidquid concipimus, ad modum corporum concipiamus, & mentem ab hisce materialibus rebus abstrahere, atque puras ideas contemplari, non, nisi magno conatu adhibito, valeamus. Alia tamen ex parte, dum puras, & claras mentis nostræ ideas certissimo veritatis criterio præditas inspicimus; sublimiorum rerum ordinem animadvertimus. Ens necessarium infinite perfectum demonstravimus: Ens necessarium est omnipotens creaturarum omnium caussa: omnipotentis caussæ est, ubique agere, nullis impedimentis, aut locorum distantiis detineri: ubique igitur est ejus efficacia, atque virtus agendi: agere, & virtus Dei est ipse Deus: nulla scilicet in eo compositio, summa in illo simplicitas: a prima igitur ad ultimam ideam deveniendo, ubique Deus est, substantia simplicissima, omnis partis, atque compositionis expers. Inter sensum, atque rationem versamur: rationalium idearum claritati omnia sensuum criteria cedunt. Sola igitur ratione agendum hic nobis est: *carnali resistendum est cogitationi*, inquit Augustinus, *& mens a sensibus corporeis avocanda; ne quasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi, sicut fumus, aut aer, aut lux ipsa diffunditur: omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto*. (a) (*). 417.

(a) Aug. Epist. 57.

(*) In casum igitur in arte critica expositum incidimus, in quo ratio, & sensus, atque imaginatio opponuntur: secundum criticam regulam eo in loco traditam evidentiæ rationis imaginatio, & sensus cedunt

417. Immensitas secundum ideam superius expositam intellecta, Dei esse attributum, demonstratur 1. ex omnipotentia Dei secundum illam idearum seriem, quam modo proposuimus. 2. Deus, ens infinitæ perfectionis, nequit esse limitatus, aut modificatus, termino aliquo circumscriptus: hæc omnia finitæ perfectionis character, atque argumentum existunt. Quidquid enimvero non est immensum, aliquibus tandem terminis definitur, atque circumscribitur, ulterius non existit: quapropter aut Deum esse immensum oportet, aut infinitum ulterius dicere non possumus. 3. Immensitas a nobis definita est simplex, atque pura perfectio: ex eoque capite in ente puras perfectiones quascumque continente, atque in singulis perfectionum generibus infinito, quale est ens necessarium, desiderari nequaquam potest. Ille unus immensitatem, seu omnipræsentiam puris perfectionibus non annumerare poterit, qui & esse, & in loco esse perfectiones existere inficietur: si esse, & alicubi esse entis perfectionem jure merito nuncupamus; Quidni ubicumque esse puram perfectionem non existimabimus? Qui ita argumentaretur; consequenter etiam admitteret, per alios & alios, imo & per infinitos perfectionis gradus rem evadere imperfectiorem posse. 4. Tandem Dei idea, atque nomine illud intelligimus, quod omnem possibilem perfectionem contineat, & quo melius nihil ne excogitari quidem potest. Jam vero ubique esse melius sane est, quam in dato tantum loco existere: naturæ ergo, atque perfectionis necessitate ubique existit Deus.

418. Hucusque dicta in alteram propositionis partem nos sponte deducunt: cum maxima inter immensitatem, & spatium relatio, aut identitas existat. Dico igitur 1. Præter corpora, atque corporum situs, & relationem aliquod esse spatium, in quo corpora, universum, omnia entia existunt. 2. Nullum spatium proprie dictum ab omnibus corporibus, & spiritibus, hoc est, ab omni reali substantia, creaturis & Deo distinctum in rebus esse, quod sit ens aliquod per sese subsistens, necessarium, aut non necessarium, æternum, aut in tempore creatum, contra ac recentiores aliqui statuunt. 3. Nihil in rebus esse assero, præter entia corporea, & entia cogi-dan-

tantia (*): nullam rem extensam penetrabilem, immobilem a corpore, & rebus cogitantibus distinctam agnosco. 4. Immensitatem Divinam a nobis modo demonstratam unum illud esse assero, quod spatium proprie dictum, simplex, immateriale, incorporeum nullis partibus distinctum, æternum, & necessarium esse, atque nuncupari possit: nullumque idcirco spatium præter divinam immensitatem statuo.

419. Hæc tandem est aliquorum Theologorum, ac Philosophorum opinio, in eamque me tandem pertraxit *Leonardus Lessius*, egregius Societatis Jesu Theologus (a); qui dictam sententiam primus, quem sciam, luce donavit. *Quare*, inquit, *cum Deus sit immensus, & in immensum diffusus; etsi non sint ibi ulla intervalla creata, aut corporalia, sunt tamen increata: aut spiritualia (quibus corporalia possunt coextendi), quæ non nisi ratione ab immensitate Dei distinguuntur. Ipsa enim immensitas divinæ substantiæ, & sibi, & mundo sufficiens est spatium, & intervallum capax omnis naturæ creabilis; tam corporalis, quam spiritualis.*

420. Ista *Lessii* expositio paulo in hunc modum immutata; primum sit propositionis fundamentum. Deus ens æternum, infinitum, interminatum, spirituale; immensum immensitate sua interminata, infinita, spirituali, & simplicissima quidquid creaturarum est; continet, comprehendit; ineffabili modo adimplet omnibus intime præsens. *Si ascendero in Cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades*, inquit *David* (b). Omnipræsentia igitur sua immutabili, atque immota, & immensitate infinite capaci mundum continet, ejusdemmet immensitatis sinu comprehendit, ineffabilique modo spatium & locum constituit; in quo universæ creaturæ existunt, ipsi Deo semper,

(*) Immaterialia illa sint, seu inter spiritum & corpus media, aut spiritualia, secundum superius dicta.

(a) L. de Divinis Perfection. c. 2. de infinitate D. essentiæ.

(b) Psalm. 138.

per, & ubique præsentes; quamdiu, & ubicumque fuerint.

421. 2. Si mundum universum mente transcurramus; nihil aliud præter interminatam Dei immensitatem ubique diffusam imaginatione ipsa deprehendimus: nihil in mundo, nisi Deum, & creaturas offendimus. Mundus tamen suos habet limites: eos prætergrediamur, ubinam gentium sumus? non in mundo, qui jam disparuit: illic tamen mundus alius esse potest: poterit vero alicubi esse mundus, ubi necessario non sit Deus immensus? Illic igitur Deus est (*a*). Deus tamen in sua immensitate existit: in infinitam ergo hanc immensitatem semper cogitando devenimus: cum igitur extra mundum cogitantibus nobis extensum spatium semper in mentem occurrat; illud utique spatium Dei immensitatem esse concludimus.

422. 3. *In eo* (Deo) *vivimus, movemur, & sumus* (*b*), inquit Scriptura. Quid illud, in quo creaturæ sunt moventur, vivunt, nisi ipsarum locus, & spatium? res enim sunt in loco; moventur in loco, vivunt in loco: ergo Deus, seu Dei immensitas est creaturarum locus, & spatium ineffabili modo expansum.

423. 4. Nullus alius superest modus, aut ratio, qua spatii naturam, & proprietates explicemus, & corporum in spatio existentiam, motum, & relationes intelligamus: omnia autem hæc in tradita *Lessii* opinione recte exponuntur, nihil præterea in ea est absurdi, optime cum Theologia congruit: prædictæ igitur sententiæ adhærendum censeo.

424. Accedit etiam quod in hunc sensum non modo Theologos passim, verum plures etiam Ecclesiæ Patres, atque Sacrorum librorum Scriptores identidem loquutos legimus; *Numquid non Cælum, & Terram Ego* (Deus) *impleo?* ait Hieremias (*c*) *Quoniam* enim,

(a) Dicit enim Scriptura: cælum, & cæli cælorum te (Deum) capere non possunt. 3. Reg. 8. Ipseque Deus est excelsior cælo, profundior inferno. Job c. 2. est igitur extra mundum.

(b) Actorum 17.

(c) Cap. 23. v. 23.

enim, inquit Anselmus, *nibil sine Deo potest esse, aut conservari; dicere cogimur, Deum ubique & semper esse* (*a*). *Penetrat quidem*, addit Origenes, *aspectus Dei, ac Providentia per omnia, sed non sicut ille Stoicorum spiritus: & continet omnia, quibus per suam Providentiam prospicit; at non corporaliter complectitur, cum corpus ambiatur a Divina Potentia* (*b*). Sed nemo fortasse rem elegantius exponit, quam D. Gregorius Magnus. *Ponamus ergo*, inquit, *ante oculos mentis, quæ illà natura sit, quæ tenet omnia, implet omnia, complectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia. Nec alia ex parte sustinet, atque alia superexcedit, neque alia ex parte implet, atque alia circumplectitur, sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet* (*c*).

425. Hæc tamen immensitatis divinæ interminata diffusio, & infinita capacitas est physice simplex (*d*); licet pro infinita, & incomprehensibili capacitate creaturis omnibus sit intime præsens, quæ se mutuo excludunt, & veram extensionem materialem atque dividuam componunt. Deus enim est ens spirituale, omnis compositionis expers; suamet immensitas est, cujus existentiæ modum comprehendere non possumus.

426. Deus igitur illa est immensa capacitas, in infinitum diffusa, nullisque limitibus circumscripta, quam & ante mundum conditum, & extra illius limites, immo & mundo in primævum nihil redacto, superstitem semper cogitatione imaginamur, cogitatione extra mundum divagemur, spatium illic videre nobis videmur, & infinitam capacitatem necessario existentem: eamdemmet ante mundi constitutionem, & futuram ipsius ruinam cogitamus. Ecquid aliud in telluris loco, si ea, stante hoc rerum ordine,

(a) Monolog. cap. 22.
(b) Contra Celsum.
(c) Homil. 8. in Ezechielem.
(d) Quamtumvis sit Omnia implens, ac super omnia existens, omniaque ipse complectens: ait Divus Damascenus lib. 1. de Fide cap. 1.

ne, destrueretur, cogitatione deprehendimus? Hujusmodi capacitas, & infinita extensio, neque nihil est; cum existat & extensionem habeat: neque creatura est; cum necessario existat: est igitur idemmet Deus omnipotens, immensus, simplex, spiritualis, æternus, necessarius. Liquido etiam constat, quid difficultati numero . . . expositæ respondendum sit: spatium scilicet, hoc est, divinam immensitatem in antiqua telluris, vel cadentis vorticis sede, & inter præfatos globos remanere, ex modo dictis certum est.

427. Iterum tamen illud Augustini repetimus, dum de divina Immensitate, atque spatio disserimus; *carnali resistendum est cogitationi*. Deus taliter est immensus, ut non sint in hac immensitate partes: nulla etiam sunt in spatio, quod unam esse Immensitatem, distinguique ab illa non posse contendimus. Creaturæ universæ in illo *vivimus movemur, sumus*: ipse autem in nullo alio, sed in sua immensitate existit. At propriissima hæc sunt spatii munera, dices: habere partes, esse ad modum substantiæ impenetrabilis extensum. Id quidem est, respondeo, quod in corporibus, & sensibilibus extensionibus imaginatio, & sensus verum probant; de spatio falsum esse, demonstrat ratio. Sua enimvero est sensibus provincia, corpora, materiales omnes, atque sensibiles substantiæ, extra cujus limites nullum ipsis est pronunciandi munus, nullo veritatis criterio gaudent. Rationis est, de immensitate, de spatio, de rebus omnibus non sensibilibus ferre sententiam. Corpora atque extensio quæcumque impenetrabilis, seu sensibilis, illa sunt, quæ habent partes: sensibus rem hujusmodi pronuntiantibus standum est. Corpora ipsa, integram rerum universitatem in Dei immensitate existere, nullasque esse posse in hac immensitate partes, unius rationis est pronuntiare; id vero ipsa pronuntiat, probat, confirmat.

428. Antequam argumenta in contrarium facientia diluamus, tria animadverto: *primum*: Quid sit spatium, in quanam re consistat, quænam illius sint proprietates, quænam iterum munera, puræ est Philosophiæ quæstio, metaphysicorum ideis decidenda. *Secundum*: nihil in rebus existere, quod spatium esse, aut nuncupari possit præter Divinam immensitatem, non modo ab illustribus Philosophis; sed a quamplu-

plurimis Catholicis, & acatholicis theologis tenetur sententia: cui aliquorum Patrum loquutiones, & testimonia prorsus consonant: quarum specimina superius retulimus. *Tertium*: Quæ in hanc sententiam aliqua veri specie opponi possunt, ex sensuum provincia, atque præjudiciis desumuntur: eaque omnia adversus *Samuelem Clark*, acerrimum nostræ sententiæ fautorem proposuit *Leibnitius*; cui aliud non probatur corporum, & rerum quarumcumque spatium, quam ipsarummet rerum relatio atque situs (*a*). En *Leibnitii* argumenta.

429. 1. Spatium æquatur, seu, ut dicitur, commensuratur corporibus, non Dei immensitas. 2. Si spatium infinitum est immensitas Dei; spatium finitum erit extensio alicujus rei finitæ. Inde vero consequeretur, spatium ab uno corpore occupatum ipsius corporis extensionem esse: quod est absurdum. Corpus enim spatium, non extensionem mutat. 3. Cujus rei proprietas est spatium vacuum finitum rotundum, aut quadratum? 4. Si spatium est affectio corporis, aut rei in illo existentis; est modo unius, modo alterius rei proprietas: suas ergo proprietates mutant corpora? 5. Si spatium non modo infinitum, sed etiam finitum est proprietas Dei; affectiones creaturarum Dei proprietatem component, quod est absurdum. 6. Si spatium finitum non est finitarum rerum proprietas; quare infinitum infinitæ proprietas asseretur? 7. Spatium proculdubio habet partes: nullas autem in immensitate Dei, ente simplicissimo esse demonstravimus: nostramet simplicitatis Dei demonstratio spatium ab immensitate distinctum conficit. 8. Spatia modo sunt plena, modo vacua; si spatia sunt Dei immensitas; sunt in Deo partes modo plenæ, modo vacuæ: corpora spatium implentia partem etiam essentiæ Dei implent? 9. Si spatium infinitum est immensitas Dei; tempus pariter infinitum est æternitas Dei. Inde pari ratione argumentari debemus: Si quod est in spatio, est in immensitate Dei; quod est in tempore, in Dei æternitate existit. 10. Quia Deus est.

(a) Recueil des Lettres ec. Lettre 5. de Mr. *Leibnitz*. Lettre 5. de *Clarck*.

est immensus, in omni spatio existit: quomodo autem est Deus in spatio, si spatium in Deo esse, Dei proprietatem esse dicimus? Idem præterea de tempore est dicendum. II. Immensitas, seu rerum extensio cum spatio non confunditur; neque spatium finitum extensio rerum finitarum dici potest.

430. Omnia hæc difficultatum capita a sensibus, eorumque objectis petuntur, atque secundum sensuum ideas singula hæc argumenta procedunt. Inde vero dum a sensuum provincia, materialibusque rebus ad rationis fines ad rationalem, intelligibilemque mundum pertransitur; notiones rerum male confunduntur: sensuum ideæ ad puram rationem transferuntur. Rationem sensibus subjicere, idque præterea illic peragere, ubi nulla jam sensuum jura existunt, in rationem, & universam criticam peccare, est. Ut liquido omnibus appareat, exposita argumenta esse mera sophismata a confusione, & translatione idearum derivantia; satis erit, si loco spatii immensitatem substituamus: æque scilicet hæc Divinæ immensitati, atque spatio opponi periculo facto ediscemus, ut statim uno aut altero exemplo rem confirmabimus. Porro neque *Leibnitius*, neque alii theistæ christiani, aut catholici philosophi de Dei immensitate minimum dubitant: ubicumque corpora sunt, quacumque universum extenditur, præsentem ibi esse Deum, ibi agere, ibi existere, universa ab immensitate comprehendi, immensitate sua omnipotentem Deum, ratione humanis mentibus incomprehensibili, ubique esse spirituali modo diffusum, ii omnes tenent, demonstrant, credunt: hæc nihilominus adductis difficultatibus, omnibus sensuum præjudiciis opponuntur. In sensuum, atque claræ rationis conflictu rationis criterio omnes cedunt sensus, eorumque testimonia ludificationes esse probantur. Ut omnia evadant clariora; omnem extensionem materialem, quæ sensibus aliqua tandem ratione percipi potest, accurate distinguamus. Si materialem extensionem a corporibus reapse non distinctam spatium sensibile nuncupare velis, per me licet: dummodo immensitatem in ente necessario agnoscas, non materialem illam, neque divisibilem, aut sensibilem, sed ab omnibus creaturis distinctam; & sola ratione intelligibilem.

431. Hisce animadversis, ad opposita argumenta ex sen-

ſenſibus tantum in re non ſenſibili deducta, facilis eſt reſponſio. Ad primum reſpondeo, vocabulum illud *commenſurari* ideam imaginationis ſignificare; quæ non niſi extenſioni ſenſu conceptæ convenire poteſt. Rem igitur diſtinguo: ſpatium ſenſibile, ſeu ideale, quod idem eſt, ac quantitas Phyſica, aut geometrica, cum corporibus commenſurari, & a ſpatio hujuſmodi immenſitatem diſtingui, concedo, & una tecum convenio: ſpatium ab omni ſenſibili, aut etiam Geometrica extenſione diſtinctum cum corporibus commenſurari, nego. Menſura non modo eſt rei ſenſibilis idea; ſed rebus tantum ejuſdem ordinis aut generis communis eſſe poteſt. Atque pauca hæc, ſi rite intelligantur, argumentum ex præjudiciis deſumptum penitus ſolvunt. *Secundum*: quando dicimus ſpatium finitum, extenſionem imaginamur quibuſdam terminis circumſcriptam, ſeu ſpatium ideale, imaginarium, corpus geometricum proprie dictum: quo quidem ſenſu ſpatium illud finitum geometricum ab uno corpore veluti occupatum, non eſt quidem extenſio illa materialis, & reſiſtens corpori intrinſeca; ſed eſt, aut imaginatione potius concipitur geometrica extenſio penetrabilis, quam ſubinde mutare poſſunt corpora, quin propriam eorum extenſionem mutent. Uno verbo, ſenſuum, ſeu imaginationis, & rationis provincias hic ſæpe confundimus, diſtinguere ſemper oportet; ſi utriuſque fines diſtinguamus, omnia oppoſita ſcrupula evaneſcunt. *Tertium*: ſpatium finitum, rotundum aut quadratum illas denominationes habet aut a noſtra imaginatione, cujus eſt opus, aut a corporibus circumſtantibus, quorum extimæ partes figuram illam efficiunt: figura igitur, aut fines ſpatii noſtræ tantum imaginationis, aut poſitionis corporum circumſtantium proprietates exiſtunt. *Quartum*: ſpatium non eſt affectio aliqua corporum, aut intrinſeca eorum proprietas: corpora igitur ſeſe moventia, & a ſpatio ad ſpatium, ſeu potius a loco ad locum tranſeuntia proprietatem aliquam non mutant. *Quintum*: cum ſpatium non ſit creaturarum affectio, Dei proculdubio immenſitas, quocumque tandem modo illam concipias, ex creaturarum affectionibus non componitur. *Sextum*: Entia creata, ſeu finita non eſſe ſpatia, ſuperius confecimus. Mundus hic finitus alicubi eſt, exiſtendi initium

tium habuit, alicubi fuit productum: est ens in alio, & ab alio: inter duo data corpora a se ipsis dissita omne medium corpus potest in nihilum redigi; quin ipsa mutentur. Qui hæc negabuntur? est igitur spatium sine corporibus: corpora spatium non existunt. Contra vero Numen per naturam suam immensum in se ipso est: in ipso *vivimus*, *movemur*, & *sumus*: sibi ipsi locus est, in alio esse non potest. *Septimum*: Dei immensitas est summa simplicitas, omnis plane compositionis, divisibilitatis, & partium expers: idealis tantum, seu imaginarii spatii, hoc est, geometrici corporis est, habere partes, quod ab immensitate a rationali, ut ita dicam, spatio longissime differt. *Octavum* Argumentum in rationalium idearum cum illis sensuum confusione totum consistit: ideale, seu imaginarium spatium ab immensitate divina, quam sola ratione concipimus, accurate semper distingue: nisi ita fiat, absurdas consequentias ex ideis male distinctis, ex confusis imaginum, & rationis provinciis deduces. Rem ipse videas in hoc exemplo: ante mundum conditum erat divinitatis immensitas; hæc præterea immensitas nullis limitibus circumscripta, & per totum mundum, & extra mundum diffunditur: Quid igitur? partes ne habet, quarum aliæ corporibus impleantur mundanis, dum aliæ a corporibus vacuæ existunt? Iterum cum *Augustino* dico, dum de immensitate loquimur, imaginationi resistere oportet. Ad rem pressius veniamus. Spatia idealia, imaginaria, geometrica, aut etiam sensibilia modo plena secundum partes, modo vacua existunt: in spatio rationali, seu immensitate nullæ sunt partes, sed una tantum, & simplicissima capacitas corpora quæcumque finita complectendi. Esse vacuum aut plenum ideali, imaginario spatio, corpori geometrico convenit: de rationali spatio affirmata id unum significant in infinita illa, & simplicissima Divinitatis immensitate atque capacitate esse, aut non esse corpora. Infinita immensitas, & capacitas simplex citra ullam distinctionem infinitis rebus finitis distinctis respondet. *Nonum*: De tempore, atque æternitate rem statue, ut volueris: ego quidem non illam de tempore idearum claritatem habeo, qua sensum tuum definire possim. Ut spatium in Numinis immensitate statuamus; gravissima faciunt argumen-

ta:

ta: similia de tempore desiderantur: tibi igitur liberum relinquimus hanc temporis, & æternitatis litem componere. *Decimum*: Quia Deus est immensus; omnia corpora comprehendit, & simplicissima immensitate complectitur: ubicumque sunt corpora, præsens adest Deus: quia Deus est immensus, in se ipso est, suimet locus, & spatium existit: quia Deus est immensus; in immensitate illa *vivimus*, *movemur*, *& sumus*. En verum; atque proprium sensum, quo adducti argumenti propositionem intelligimus, & admittimus. Atque ne quis me in re hujusmodi ex meo tantum sensu loqui existimet; eamdem sententiam conceptis verbis Patres quamplurimi definiere. Duos tantum superius jam citatis superaddo. *Deus*, inquit Damascenus, *in loco non est; ipse enim sui ipsius locus est omnia implens* (*a*). *Ante omnia*, Tertulliani (*b*) verba sunt, *Deus erat solus: ipse sibi & locus, & mundus, & omnia*. Idem vero de tempore seu æternitate dictum similiter intellige. *Undecimum*: Nulla a nobis inducitur in ideas confusio: spatium ideale imaginarium, seu corpora geometrica, materiales, seu impenetrabiles extensiones, rationale tandem spatium, seu immensitatem accurate semper distinguimus: quæ singulis hisce rebus, seu notionibus conveniant, quæ de singulis dici debeant, aut possint locutiones, consulto notamus. Hæc omnia si ab adversariis animadvertantur; una, credo, nobiscum de tota hæc philosophica, atque difficili alias controversia convenient.

432. Opponi tandem mihi posset, quod nostra hæc de spatio idea, & doctrina dogma Spinosæ impium, & absurdissimum sapere videatur. Dum enim spatium, hoc est, extensionem, quæ proculdubio est corporum proprietas, divinam Immensitatem esse statuimus; cogitantem extensionem admittere, Deumque idcirco e medio tollere, Pantheismum adstruere videmur. *Resp.* Absit ut Pantheismi, absurditatum maximæ, ne minimum quidem in scriptis meis appareat vestigium. Nego totum argumentum. Neque enim Deum

(a) *Damascenus* de fide lib. 1. cap. 18.
(b) *Tertull.* contra Praxeam lib. 5.

Deum materialem esse substantiam dico, neque cogitantem extensionem admitto. Ens necessarium Spiritum esse purissimum individuum ab omni materiali extensione distinctum tenemus, fatemur, adoramus. Immensitatem tantummodo divinam simplicissimam omnipraesentem universum mundum, & infinitos alios, si essent, comprehendentem (*) universisque materialibus extensionibus pro infinita ejus virtute respondentem dicimus.

§.

433. *Libertas entis necessarii, ubi de antiquorum fato, & reliquorum Recentiorum erroribus agitur. Adnotatio historica.*

Ad id Numinis attributum philosophando tandem devenimus, quod in Deo, atque in homine etiam Fatalistæ omnes negant. Perfectissima Numinis libertas, & ineluctabile fatum in controversiam adducuntur. Ut rem totam intelligamus, quid fati nomine significetur, primo exponendum est. Fatum rigoroso sensu acceptum est intrinseca quædam, atque ineluctabilis ordinis rerum, seu eventuum necessitas, quæ a nulla caussa impediri possit. Hujusmodi fatum, seu fatalem necessitatem, quam ne Deus quidem tollere, aut superare possit, plurimi admittebant antiqui Philosophi: neque pauci etiam nunc reperiuntur ejusdem erroris assertores. Id sane dogma est Mahometanis omnibus commune: indeque est, quod discrimina omnia audacissime aggrediuntur, pericula, pestes, mortem evitare parum curent. Quidquid agamus, inquiunt, aut agere vellemus; si moriendum est, fatali, atque ineluctabili necessitate ad id tandem deveniemus.

434. Fatum molliori, & minus rigoroso sensu acceptum intrinsecam etiam in materialium, humanarumque

(*) Ipse enim (Deus) citra ullam permixtionem omnia penetrat, inquit Augustinus. Sermo Domini in monte. l. 2. cap. 5. Longior terra mensura ejus (Dei) & latior mari, inquit Job cap. 11. v. 8.

que rerum, eventuum, vicissitudinum evolutionibus necessitatem statuit, quam nullus mortalium, nulla creata caussa abrumpere, aut impedire valeat: eam tamen necessitatem ex Numine ipso, atque universitatis rerum conditione secundum primitivum creatoris consilium provenire existimant. Potuit quidem mundi universitatem non condere: attamen semel ac id apud se decrevit; mundana omnia, humana consilia universa, actiones, facta, vicissitudines rerum, quæcumque rerum mutationes fatali intrinseca necessitate fluunt, atque evolvuntur; quin creaturarum sit, id quod agit impedire. Qui fatum hoc modo admittunt, utcumque Numinis libertatem tollere omnes non videantur, in creaturis tamen universis eam rerum catenam, & aliarum ex aliis tamquam, ex antecedentibus caussis necessariam evolutionem adstruunt, quæ omnem eligendi facultatem tollat. Fatum hac secunda ratione expositum antiqui Stoici, Diistæ, & plures alii tenent. Alia tandem est rerum necessitas, quæ fatum improprie admodum nuncuparetur, rebus ipsis prorsus extrinseca, in effectus nequaquam agens, ex Divina rerum omnium æterna præscientia profluens, atque cum intrinseca humanarum actionum libertate cohærens. Deus simplicissima scientia præscit, quid creaturæ quæcumque futuro quolibet tempore agent: hæc tamen Dei prævisio nihil in futuros humanæ voluntatis actus agit. Futuri quidem ii sunt, non quia a Deo ante eorum existentiæ tempus præsciuntur: sed potius ex adverso, a Deo præsciuntur, quia reapse ab humana voluntate elicientur. Præscientia illa non facit, quod actus ejusmodi producantur: posito tamen quod ab humana voluntate sint producendi; a Deo futuri, eoque modo eliciendi præsciuntur, quo illos humana voluntas libere, aut necessario eliciet. Hujusmodi præscientiæ veritas, atque certitudo non intrinsecam, aut naturalem necessitatem inducit, sed extrinsecum tantummodo, atque liberas ipsorum actuum productiones consequentem. Ea idcirco necessitas cum humanarum actionum libertate componitur, ut in confesso est apud omnes, & late a Theologis evincitur, quibus eam quæstionem disputandam relinquimus.

PRO-

PROPOSITIO XXXII.

435. *Inter Entis necessarii attributa necessario existit perfectissima libertas ; ab omni necessitate , & coactione immunis .*

Summa , atque perfectissima Dei libertas multiplici ex capite ostenditur : præcipua breviter prosequamur : Si libertas proprie dicta , atque a nobis definita res est possibilis ; & insimul pura , atque simplex perfectio ; eam proculdubio in ente necessario ; omnem puram perfectionem complectente inveniri , ne ipsi quidem fatalistæ negant ; est illa vero pura perfectio ; atque insimul possibilis . Quid scilicet imperfectionis rei cogitanti ex libertate proveniet ? Duo entia cogitantia mente concipiamus , quorum primum fatali necessitate quamdam effectuum seriem velit , & agat , ut neque illa non velle , neque non agere , neque alia etiam meliora eligere possit ; dum interim alterum ita rationabiliter , & prudenter semper agat , ut suarum actionum perfectissimus existat dominus , nulla necessitate urgeatur , illa præ aliis melioribus , aut æqualibus possit eligere , aut omittere , seque unus ad optime semper agendum deliberet . In quonam , amabo , hujusmodi cogitantium , & volentium individuo majorem perfectionem , & optandum magis agendi modum apprehendimus ? Si ideas nostras attente inspiciamus , & ab humanis agentibus rationalibus paulatim ad altiora assurgamus ; perfectius in libero principe , in rationali agente perfectissimo ; & libero dominium , quam in principe suarum actionum nequaquam domino , in agente rationali fatali necessitate adacto fatebimur . Ideam libertatis perfectissimæ ad bene semper agendum undequaque enuclees ; nihil in illa imperfectionis deprehendere poteris . Est autem possibilis libertas ? Iterum dico , libertatis ideam meditemur , undequaque enucleemus : unde tandem illam impossibilem esse aut probabimus ? Me existere simul & non existere cogito , apprehendo , meditor : libere me agere , mearum actionum dominum , uno verbo , libertatis ideam omni ex parte versor : insuperabili plane vi a prima illa idea mens refugit ; nihil tale in secunda deprehendo : quandoquidem igitur duo

hæc

hæc constant, libertatem esse puram perfectionem, neque ex aliquo capite apparere impossibilem; illa sane inter entis necessarii attributa numerari debet.

436. *Demonstratio* 2. Ens necessarium est caussa perfectissima efficiens omnium rerum sibi infinite sufficiens, atque ab omni alio infinite independens: ens cogitans, & volens, a se, sibi sufficiens, atque ab omni alio independens quidquid extra se agit, libere omnino agit. Si necessario ageret; non posset existere, quin ageret: si igitur creaturæ non essent; non esset pariter Deus illarum caussa: aliqua igitur ratione ab effectu penderet Deus: perinde ut a motu dependet impulsus, motum generans; propterea quod stare omnino non potest illa caussa, quin eum effectum producat; & quod destructo, aut deficiente motu, destrueretur etiam, atque deficeret impulsus. Quacumque tandem ex parte nostras hasce rerum ideas discutiamus; perfectissimam independentiam, atque infinitam sufficientiam cum fatali necessitate non compones: impulsum a motu, effectu scilicet, quocum est necessitate conjunctus, nulla ratione pendere, nemini persuadebis. Esse enimvero Deum perfectissime sibi sufficientem atque independentem, est, posse stare, quin aliquid præter Deum existat: potuit igitur & potest esse Deus, quin existant creaturæ; nullaque consequenter necessitate illæ a Deo producuntur.

437. *Demonst.* 3. Ipsa etiam omnipotentiæ idea Numinis libertatem demonstrat: est scilicet Deus omnipotens, ut ii fatalistæ non inficiantur, quibuscum modo agimus: atqui in omnipotentiæ idea continetur, non modo omnia, quorum ideæ contradictionem non involvunt, posse efficere, sed iis etiam universis modis res posse agere, qui nullam secum habent imperfectionem: quænam vero in actione libera imperfectio visitur? Uno verbo, fatalis etiam necessitas cum omnipotentiæ idea pugnat. Detur parumper, materiam a Deo fatali necessitate productam fatali necessitate existere: nihil igitur circa materiæ destructionem, productionis dilationem, aliam perfectiorem, æqualem, aut imperfectiorem materiam potest Deus: amplius igitur omnipotens non existit: ea quippe qui posset, esset sane longe plura efficiendi virtute, atque potentia præditus.

438. *Demonst.* 4. Deus est caussa cogitans, atque ra-

rationalis agens semper propter finem. Præterquam quod ejusmodi veritatem jam demonstravimus, illam etiam non negant fatalistæ Deum admittentes a Pantheismo distinctum: ea propter juxta caussæ rationabilis, atque finalis indolem finis aliquis est, ob quem Deus agere decernit. Hujusmodi finis vel est bonitas aliqua creaturæ, vel ipse Deus. Si dicatur primum, ut ab optimistis statuitur; ens creatum, & consequenter finitum, & fere nihil caussam infinitam, omnipotentem, sibi sufficientem non potest taliter movere (si ita loqui fas est); ut necessitate ad agendum adigat: id sane esset notioni entis infinite perfecti, atque sibi sufficientissimi oppositum, & finitæ bonitatis meritum infinito intervallo superans. Quænam enim vero idearum contradictio, caussam omnipotentem atque infinitæ perfectionis a nihilo, aut fere nihilo necessitate trahi? Dictum id tantummodo sit explicandæ demonstrationis caussa; alias enim certum nobis est, & contra optimistas demonstravimus, propter se ipsum agere semper Deum, suum sibi esse finem necessarium, atque a se uno posse deliberari. Quod si se ipsum ad agendum deliberat Deus, ens cogitans, volens sibi sufficientissimum, & infinite perfectum; nulla necessitate agit.

439. *Demonst.* 5. Ratio perfectissimi dominii in Deo libertatis ideam secum defert. Ab ideis nostris argumentemur: qui rem suam possit quocumque modo tractare, efficere, destruere, immutare; in hoc, vel alud tempus differre, perfectissimo, aut minus perfecto modo agere, perfectiori sane, atque absoluto magis dominio gaudet, quam si fatali necessitate quocumque de capite sibi imposita rem suam uno tantum modo agere, & conservare compellatur. Utriusque dominii ideam penitius discutiamus: ad te ipsum rem applica, temet ipsum cum tuis rebus confer; tuumque sit, sententiam ferre.

440. *Demonst.* 6. Ut ab idea rerum, atque ab intelligibilibus argumentis ad sensibiles etiam demonstrationes descendamus; Ipsemet mundus conditoris libertatem prædicat. Spectabile hoc universum temporariam, & recentem sui creationem demonstrat: nulla in ipso æternæ durationis vestigia, omnia potius ex adverso operis recenter conditi notam, atque characterem ob oculos semper exhibent. Rem jam superius,

rius., & in Astronomia Physica late prosequimur; quo ita pro Numinis libertate argumentum confecimus. Si nulla esset in Deo libertas, sed fatali necessitate creaturas produxerit; fuisset etiam mundus; atque universitas rerum effectus necessarius, fatali quadam necessitate a Deo factus. Hac stante veritate, impossibile esset, mundum non esse æternum; cum naturæ divinæ æternæ necessitate productus ponatur. Contra vero si mundum in tempore conditum statuimus; dum necessariam Dei æternitatem demonstratam habemus; potuit sane Deus mundi creationem differre, neque nisi a supremo, atque perfectissimo libertatis arbitrio ad hoc potius, quam aliud tempus, ad unum præ alio modum, atque effectum sese liberrime statuit.

441. Ab hominis libertate ad divinam demonstrandam desumi argumentum potest. Verum humanam etiam libertatem fatalistæ inficiantur: mortales omnes, si eorum judicio definienda res esset, fatali necessitate agimur & rapimur. Argumentum eatenus differamus, quoad tandem secunda Metphysicæ parte nostram hominum libertatem demonstremus. Bene est: Dei libertatem evicimus: est tamen Deus ad omnia omnino liber? Nulla imprimis in Deo est libertas ad se ipsum amandum, atque ad illa omnia quæ Theologi operationes, seu *emanationes ad intra* nuncupant: illa nimirum omnia sunt in Deo prorsus necessaria attributa, aut perfectiones, quas Philosophi Theologis: ex revelatione disputandas relinquimus. 2. Ad bonum odio habendum, malum amandum liber etiam non existit Deus. Præterquam enim quod neque bonum in ratione boni odio haberi possit, neque malum in ratione mali amari; Deus, qui perfectissima cujusque mali & boni cognitio semper est, atque rectissima ratio per suammet naturam existit, quidquid recte rationi opponitur, eligere prorsus nequit: quid vero rationi, atque summæ rectitudini contrarium magis, quam vel bonum cognitum odio habere, malum cognitum amare? 3. *Ad extra* vero, ut a Theologis dicitur, habet Deus perfectissimam libertatem: quidquid creaturarum est, fuit, aut erit, per summum conditoris arbitrium, & libertatem est: quod creaturæ universæ producantur, conserventur, non destruantur, hoc vel illo tempore in adspectabile hoc rerum theatrum prodeant, Divinæ libertatis bene-

nefi-

neficium est, nulla ad ea exequendum, aut non exequendum necessitate adigitur Deus: qua libertate mundum adspectabilem a 6. fere annorum millibus condidit, antea etiam creare, amplius differe potuit.

442. 4. Nullum igitur in rebus est *Fatum* proprie dictum, antecedens aliqua; atque insuperabilis necessitas, qua Deus ipse, creaturæ, omnia, velint nolint, adigantur, universa rerum vicissitudo, atque ordo eveniat omnisque volvatur natura. Integra rerum universitas, & singulæ creaturæ, omnes caussarum ordines, effectuum series, leges omnes, quibus & integra machina, & singulæ ejus partes diriguntur, omnia, inquam, hæc omnipotentis rationis liberæ opus, atque effectus existunt: æterna illa ratio, ens cogitans sibi sufficiens, a se, atque necessarium una est universitatis origo, principium, & caussa. Quid præterea rei est, aut esset insuperabile illud *fatum* omnium cogitantium caussarum consilia, & voluntatem, caussarum omnium non cogitantium effectus, & actiones antecedens, atque omnia hæc ignota quadam vi, atque insuperabili actione compellens? Estne illud Deus, estne creatura, estne tandem aliquid ab utroque distinctum? Posteriora duo ex sese apparent impossibilia: quidquid scilicet est, aut ab *alio*, aut *a se*, hoc est, aut creatura, aut creator, & prima caussa existit: creaturam præterea, hoc est, opus Dei *fatum* dicere, creatori & caussæ suæ legem insuperabilem imponere, naturali rationi adeo opponitur, ut quod impugnetur, dignum non existat.

443. Estne igitur Deus & sibi, & creaturis *fatum* insuperabile? At Deus necessario est ens cogitans liberum, sibi ipsi sufficiens, melius se non habet, positis, quam sublatis creaturis. Deus libertate destitutus, Deus amplius non esset, sibi ipsis duplex hæc idea, *Deus* & *necessitas*, contradicunt: perfectissimum a Deo dominium, pura & simplex perfectio, ab idea Numinis tollitur. Ex quonam præterea capite ad vilissime creaturæ rei plane & Deo, & creaturarum universitati nequaquam necessariæ productionem fatali necessitate adigeretur Deus? Non id quidem est natura Dei. Nihili sane est caussæ infinitæ atque sibi sufficienti, se ipsa omnino beatæ, existat necne creatura quæcumque assignetur. Quid enim si non existat? fietne Numinis beatitudo, aut natura deterior? Ne-

que etiam ipsa Creaturæ perfectio propriæ existentiæ necessitatem fundat: quælibet enim creatura est ens finitum, imperfectissimum, ab alio, non necessarium, summe dependens: quod hæc omnia in sese complectitur, poteltne existentiæ suæ necessitatem fundare, ens necessarium ex sese existere? estne tandem fatum lex aliqua insuperabilis, qua & Deus, & creaturæ adigantur? Quinam tamen esset ejus legis auctor, quisnam legislator? quænam tandem prima rerum omnium, & consequenter prædictæ legis origo, principium, & caussa?

444. 5. Nullum igitur est in rebus fatum æternum, seu fatalis necessitas antecedens, Deum ipsum, creaturas singulas; integram rerum universitatem insuperabili lege adigens, omnemque agendi libertatem tollens. Alia in rebus non est necessitas, nisi consequens ex divina æterna præscientia derivans, quæ neque divinæ, neque humanæ opponitur libertati. Duplicem distinximus, & definivimus necessitatem, *antecedentem* unam, *consequentem* vero alteram. Prima effectum non modo tempore, sed *natura* præcedit, atque ex caussæ indole derivatur. Secunda effectum natura non antecedit, sed ex illo potius consequitur; licet reapse effectu ipso nonnumquam sit tempore antiquior. Distinctius hæc explicemus. Deus, ens necessarium æternum; & actu semper essentialis creaturarum omnium repræsentatio, mundum ab æterno cognoscens *possibilem*, ab æterno statuit in tempore creare: futurum igitur ab æterno prævidit mundum ab æterno statutum. Secunda hæc rei alias futuræ repræsentatio illud est, quod *præscientia* nuncupatur. Hujusmodi præscientia futuri mundi est verissima: illaque polita, impossibile prorsus est, non esse futurum: unde si Deus ab æterno mundum præscivit futurum; fuit etiam ab æterno necessario vera futura mundi creatio. Hæc tamen Dei præscientia mundi creationem tempore præcedens in mundum non agit. Præscit Deus mundum, antequam mundus existat: præscit tamen, quia existet; hoc est, non est mundus futurus, quia æterna in Deo fuit ejusdem præscientia; sed potius est in Deo ab æterno præscientia mundi, quia mundus ab æterno erat futurus: est præscientia ex re, non res ex præscientia. Ratio, quare mundus fuerit futurus, aut existat, non est divina præscien-

ita; sed potius contra id o fuit in Deo præscientia mundi, quia mundus erat futurus; præscientia igitur rem præscitam consequitur, ab illa derivatur, ad illius caussam spectat.

445. Hæc omnia in humanis etiam suo modo locum habent. Multa nos etiam effecta libera a nobismet ipsis, aut ab aliis facienda prævidemus: humana hæc futuri effectus prævidentia in rem ipsam futuram minime agit: effectusque a nobis prævisus a suis tantummodo caussis, atque caussarum circumstantiis pendet posita perinde, atque sublata prævisione consequetur. Agentis caussæ, atque circumstantiarum indoles mihi nota, unica mihi prævisionis ratio existit: rem prævideo quia reapse erit; res tamen nihil omnino a mea prævisione pendet. Quid ad actionem physicam ab alio ponendam rationis meæ actus, & prævisio homini plane ignota, ab illo longissime remota? Nihilominus, si ea, quam habeo de caussarum, atque circumstantiarum indole, & statu cognitio sit moraliter certa; erit quidem prævisus a me effectus morali certitudine necessarius: quin tamen ex morali hac necessitate perfectissima rei libertas ne minimum quidem minuatur. Sed divinam præscientiam Theologis exponendam relinquimus.

§I

De voluntate Dei erga homines, Bonitate scilicet, Providentia, Justitia, & Beneficentia Numinis æterni erga mortales.

ADNOTATIO HISTORICA.

446. Ad id modo argumentum descendimus, ea Numinis attributa demonstranda aggredimur, quæ non modo ab antiquis plurimis, sed a maxima recentiorum libertinorum parte negantur. Quasnam philosophantium classes, quænam dogmata, & errores metaphysico in opere impugnandos assumerem, hujusce tractatus limine recensuimus. Cum Idealistis, Atheis proprie dictis, Materialistis, Pantheistis, Fatalistis qui primi sunt errantium metaphysicorum ordines, late hucusque disputavimus. Numinis attributa ab iis hominibus antiquis & modernis philosophis ne-

negata, aut in dubium vocata naturali ratione demonstravimus. Discutiendus modo superest Diismus, atque Dualismus, quorum primo maxima recentium libertinorum pars ita annumeratur, ut inter omnes metaphysicos errores, rationi, & religioni oppositos, præcipuus existat Diismus, quem audaci, libertinique cæteri per totam Europam frequentissime teneant, moresque, & vitam secundum ejus sectæ principia conforment. Idealismus omnium sensuum testimonio semper oppugnatus paucos habuit patronos, qui docta hæc mentis deliria probarent. Atheismus dogmaticos & studio, & mira rationis obcæcatione, animique pravitate opus habet.

447. Diismus est unius quidem Dei, humana tamen, atque creaturas universas minime curantis dogma. Est enim vero Deus, statuit Diista; se ipso tamen infinite beatus, sibi infinite sufficiens, a nobis infinito independens, atque remotus, creaturis opus non habet: neque nostra eum scelera offendunt, aut gratiam apud ipsum promeremus. Quodcumqae agamus, nihil eum nostra tangunt; eodemque semper modo beatus: æterna ejus gloria, atque infinita felicitas, neque laudibus augetur nostris, neque sceleribus minuitur. Hanc rerum universitatem, humanamque speciem non curat: nulla in eo est erga nos Providentia, Beneficentia, aut Justitia. Nulla nos manent post mortem præmia, nulla etiam supplicia a Numine infligenda; nostra omnia casu, fortuna, fatali necessitate fluunt, atque reguntur. Hic sane error est purus *Epicureismus* a Romano Poeta expositus (a).

448. Diismo affinis est Naturalismus, vulgatissimus alter recentium libertinorum error, atque Systema, pari & ipsum, aut majori forsan sectatorum numero hisce temporibus inter Europæos probatum. Naturalismi summa est, quod nulla alia sit a Deo data hominibus religio, nisi naturalis. Quidquid ratione natu-

(a) Omnis enim per se Divum natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.
Lucret. L. 2. v. 645.

turali de Deo, animabus nostris demonstratur, pro vero statuitur: omnis revelatio, omnis cultus, atque religio a lege naturali diversa rejicitur. Palmaris hic naturalistarum error Ethicam potius, quam metaphysicam spectat: cum iis modo in metaphysica non agimus: rationem naturalem ut philosophos decet, utrique sequimur ducem. Naturalismo igitur prætermisso, Diismum examinemus. Hunc errorem Religio æque atque naturalis ratio impugnat Religionis argumenta hoc loco in medium afferre, nostri instituti non est: Philosophos agimus, iis litem intendimus, qui omnem auctoritatem irrident, solam rationem audiant. Hanc unam & nos arenam teramus; ne ab instituto nostro, a metaphysicæ præscripto, ab ideali mundo, & puræ rationis provincia digrediamur. Ad Providentiam Numinis demonstrandum viam aliquam sternet, quæ modo a Numinis bonitate sequitur propositio.

PROPOSITIO XXXIII.

449. *Est etiam Deus summe, atque infinite Bonus, Justus, Sanctus, immo eadem summa atque æterna Bonitas, Justitia, Sanctitas.*

Triplex hoc attributum ab entis infinite perfecti idea adeo evidenter profluit, ut rem demonstrare superfluat. Sunt hæc omnia purissimæ perfectiones, quæ in ente infinite perfecto, omnisque perfectionis fonte deesse non possunt.

PROPOSITIO XXXIV.

450. *Est in Deo de rebus humanis, atque de tota rerum universitate Providentia, qua secundum æternum Divinæ Sapientiæ, & voluntatis consilium creaturis universis providet, omniaque in præstitutum sibi finem dirigit.*

Hujus propositionis veritas adeo manifeste ex superioribus descendit, ut qui Deum rerum omnium auctorem, infinite perfectum liberum, sapientem admisit, quo tandem pacto Providentem esse inficietur, satis intelligere non possim. *Demonstratur primo*: si hanc universitatem rerum, vastissimum, atque ordinatis-

natiſſimum opus auctor unus, & prima cauſſa condidit Deus; ille ſane creato a ſe mundo, meterialibus, humaniſque etiam rebus proſpicit: eſtque in ipſo Numine providentia. At mundana machina, omniſque complexio creaturarum fuit a Deo, tamquam a prima cauſſa, atque unico auctore creata, atque ordinata: eſt igitur in Deo providentia. Summa rei, atque demonſtrationis eſt, quicumque ſtatuatur mundi auctor; univerſi creatio conſtructio atque ordinatio Providentiam in auctore ſuo eſſe auctorem, ad opus ſuum reſpicere demonſtrat. Si hoc conficiamus, propoſitionem demonſtravimus, Deum enim hujuſce mundanæ machinæ unicum fuiſſe, atque neceſſarium auctorem, architectum, & Creatorem luculenter in ſuperioribus fuit confirmatum: Si igitur mundi creatio Providentiam in auctore demonſtret; negari illa amplius non poterit. Jam vero integrum hoc univerſum iis conſtantiſſimis legibus, illo mirabili ordine, eo ingenio eſt conditum, ut non niſi cauſſæ ordinantis, ad mirabile opus ſuum reſpicientis effectus eſſe poſſint. Singula hæc noſtram creaturarum intelligentiam infinito fere intervallo ſuperant; non humani, non creati, ſed divini conſilii atque ſapientiæ opus ſunt iſta; hujuſce igitur univerſi creatio non niſi ab auctore opus ſuum ſecundum archetypam ideam exequente, opus ſuum agnoſcente, dirigente: atque certis, conſtantiſſimiſque legibus ſtatuente effectus exiſtit: univerſi igitur conſtitutio, creatio, mirabilis diſpoſitio auctorem effectui, creandæ conſtruendæ machinæ providentem, cauſſam effectum ſuum reſpicientem demonſtrat. Rem vero confecimus, ſimul ac Numinis Providentiam in mundi creatione evicerimus. Eſt per nos etiam Deus ſeipſo infinite beatus, ſibi infinite ſufficiens, a creaturis minime dependens, univerſi tamen creationi, ſingularum machinæ partium diſpoſitioni, atque legibus providit: ordo non niſi ordinantis cauſſæ effectus eſſe poteſt; iiſdem vero legibus conſervamur, dirigimur, quas in creatione accepimus: eſt igitur in Numine Providentia, ejuſque Providentiæ objectum, atque argumentum exiſtimus. Unde vel mundum a Deo eſſe, negandum; aut Deum creatis rebus providere: creaturas reſpicere tenendum.

451. *Demonſtratio* II. Providentia cauſſæ tria hæc complectitur, ſcientiam, potentiam, voluntatem, hoc

est, cognoscere, posse, velle rem creandam, ejusque leges efficere, & dirigere. Si tria hæc, perfectissima scientia, omnipotentia, & voluntas erga hanc rerum universitatem, & humanam potissimum generationem in primo rerum auctore existunt; negari in Deo providentia non poterit. Omnes enim vero creaturas, immo & possibilia universa, Deo semper esse præsentia, in clarissima illa infiniti luminis mente repræsentari semper, infinitæ atque immutabilis æternæ mentis, & scientiæ conditio, & consequentia est. Ab infiniti luminis, & universalis scientiæ mente universas possibiles hominum actiones, & cæterarum quarumcumque caussarum effectus non respici, & clarissime videri, ex se se apparet impossibile. Quod potentiam spectat, ad futuras quascumque, præsentes, præteritas creaturarum actiones, & infinita alia possibilia supremam Numinis omnipotentiam extendi, luculenter etiam a nobis fuit demonstratum. Unum superest velle, in Deo demonstrandum, ut perfectissimam tandem Numinis Providentiam secundo hoc argumento conficiamus. Omnem universarum rerum seriem, atque leges, caussas omnes cum necessarias, tum liberas in adspectabili mundo futuras clarissime prævidit, & videt modo etiam Deus: unus ille cum universi ipsius, tum naturæ legum, tum caussarum quarumcumque rerum, atque ordinis auctor esse potuit. Quandoquidem ergo existimus, atque ab uno Deo libero esse possumus; nos sane aliquando Numinis voluntas respexit. Rerum ipsarum existentia in caussa libera earumdem rerum voluntatem demonstrat. Si præsentes caussas, caussarum indolem, leges, ordinem fieri, aut servari noluisset; neque ulla umquam rerum creatio extitisset, neque modo etiam servaremur: quod ergo libera voluntate fruamur, quod servemur, Divinæ voluntatis beneficium est: est autem Deus immutabilis, æterna ipsius voluntas cujuscumque mutationis est plane incapax: non modo igitur Divinæ scientiæ, sed voluntatis pariter objectum existimus, utrique semper præsens. Si igitur creatarum omnium rerum auctor caussarum omnium naturam, indolem, ordines unus ipse agnovit, potuit, voluit; si modo etiam unus ipse suæ naturæ, atque perfectionis necessitate eadem plane scientia, potentia, atque voluntate cognoscit, potest, vult; hu-

humana & creata omnia respicit Deus: negari in Numine ipso Providentia nequit. Multa paucis complectamur: mundus hic adspectabilis, constantissimæ leges, mirabilis rerum ordo, homines, cætera a Deo sumus: hæc omnia creando, & disponendo respexit: non mutatur Deus: mundum igitur pariter semper respicit. Quid enim? obliviscitur ne, defatigatur? curis distrahitur? consilium, scientiam, ideas mutat?

452. *Demonstratio* III. Deus agens liberum infinite sapiens ipsamet ratio & ordo propter finem procul dubio agit, ut ex ipsa Numinis notione, & perfectione evidenter consequitur: materiam creando, mundum condendo, hunc rerum ordinem, liberas caussas atque necessarias statuendo, aliquod habebat divina Mente consilium, & finem. Quemcumque vero intendat finem, illum proculdubio assequetur: quis enim omnipotenti caussæ impedimento erit? Quicumque propter finem agit, quem efficaciter intendit, apta ad rem obtinendam media cognoscit, eligit, disponit, agendi leges, atque modum statuit; uno verbo, omnia ad ultimum assequendum finem dirigit. Id vero est, quod Providentiam in Deo nuncupamus; id ipsum est, hanc rerum universitatem, caussas necessarias, homines, cætera omnia a Deo respici.

453. *Demonstratio* IV. Creaturæ æque sunt ens ab alio in prima sui creatione, atque in conservatione: quidquid creaturarum est, per naturam suam est ens ab alio: hæc illarum essentia, character. Sine essentiali dependentia creatura neque esse neque intelligi, numquam potest: ut igitur integrum hoc rerum universum, naturæ leges, humana libertas creari, statuique citra Numinis actionem non potuere; quod hæc etiam omnia post creationem serventur, ejusdem Numinis beneficium atque Providentia est.

454 *Demonstratio* V. Integram hanc humanarum, cæterarumque rerum universitatem primo quidem velle, creare, ordinare, postea vero amplius non curare, porsus relinquere, amplius non meminisse, volubilis, atque mutabilis auctoris character est. Hæc proculdubio sunt naturales hominum ideæ, atque inditus a natura sensus: ita sane pronuntiamus, cum inspectis, atque penitius discussis nostræ mentis ideis, de rebus judicium ferimus. Deinde concipi ne potest Deum esse caussam, auctorem, agens rationale infi-

nite

nite perfectum, si facta a se opera ignoret, quam, erga ipsa habuit voluntatem, mutet? Si aut nullum habuit in creatione finem, aut finem tandem mutavit? Cæco modo agere, rebus suis non providere, estne tandem perfectissimi, atque prudentissimi auctoris nota? Ens necessarium non modo est infinite bonum, sed ipsummet præterea est essentialis ordo, atque totius ordinis fons, & principium. Eritne vero infinite bonum; si creatis a se rebus, humanæ imprimis generationi non benefaciat? Estne autem beneficentia sine cognitione; aut duo hæc citra providentiam concipi ne quidem possunt? Concipiatur parumper, Deum se ipso quidem beatum, rebus a se creatis ob infinitam Numinis sapientiam, atque bonitatem providere; aliam deinceps finge Numinis ideam; sibi quidem sufficientis, atque beati, nihil tamen creatam a se rerum universitatem, hominum generationem curantis. In quanam harum idearum perfectior apparet primus rerum auctor? Est ne æque bonus in secunda, atque apparet in prima? Beatus in secunda, etiam concipitur; in ratione tamen auctoris, atque rerum omnium caussæ apparet ne auctor infinite perfectus, bonus, beneficus? Si præter omnipotentiam, sufficientiam, atque beatitudinem accedant etiam Bonitatis, Beneficentiæ, Providentiæ ideæ; nulla ne earum idearum additione ad auctoris notionem adjungitur perfectio? At quidquid puræ perfectionis concipi potest, in ente necessario existit. Uno verbo, aut Deum infinite perfectum, Sapientem, rationalem, bonum, rerum omnium auctorem esse, negare oportet; aut perfectissima in ipso admittenda est Providentia. Singula illa in superioribus demonstravimus: ab eorum singulis evidenti, atque necessaria idearum connexione, tamquam purum corollarium Providentia deducitur. Si enim est infinite perfectus sapiens immensus; est ubique, omnia necessario videt, omnibus necessario præsens, omnia actu semper præsens cognoscit, omnia creavit. Constantissime naturæ leges, & naturalis rerum directio sunt etiam a Deo; eas ipse statuit; easdem semper præsens videt; universales hujusmodi naturæ, atque singularum caussarum leges ipsissima est mundanarum rerum omnium directio, atque providentia. Ad Providentiam Numini vindicandam satis

esset

esset ipsius Numinis omnipotentiam, atque bonitatem animadvertere: Si nostra non curat Deus: aut potentiæ, aut voluntatis defectui referendum: Si non potest, non est omnipotens; si non velit, non esset infinite Bonus; duobus hisce attributis Deo assertis, consequens inde est Providentia.

455. Tandem Numinis Providentiam vel innatum illud religionis studium apud omnes gentes observatum demonstrat. Communis illa hominum de Providentia Numinis sententia potissimum est totius religionis fundamentum. Si humano cordi, atque menti insculperetur; immortalem Deum nos non curare, nihil ab illo nobis esse in præsenti vita, aut post mortem timendum, nihil sperandum; Deum vicissim non curarent mortales; nullusque esset humanæ generationis erga Deum cultus, nulla religio. Contra vero si Numen aliquod æternum omnes ubique terrarum nationes aliqua tandem ratione colunt; natura ipsa atque naturalis ratio mentem humanam ad cultum præstandum, ad Providentiam agnoscendam, atque adorandam impellit. Amplissimus hic eruditionis locus, atque argumentum esset: rem tamen superius contra atheistas prosequimur, quantum præscripti operis fines patiuntur.

456. Plurima ab Epicureis, & recentioribus Diistis proponuntur adversus Providentiam argumenta. *Primo*: Plus ad rerum creationem, quam ad earum conservationem requiritur: Res primo creatæ non nisi ab omnipotenti aliqua caussa ab iis distincta produci possunt, suumque esse accipere; postmodum vero se ipsis conservantur; visque potius opus est ad rerum destructionem inferendam. Mundus, creaturæ universæ semel in rebus positæ, sibique postea relictæ genio suo servabuntur: unde non satis a creatione mundi a Deo facta Numinis providentiam probamus; necessaria illa ad primam rerum creationem fuerit, ad conservationem superfluit. 2. Quamplurima in mundo sunt hominibus plane inutilia, aut etiam noxia, nequaquam sane necessaria; quæ ad nullum rationabilem finem destinata, aut creata esse apparet. Ad quid enim vero tot lethalia venena, tot minutissima viventia hominibus plane ignota, quæ ob parvitatem ne mycroscopiis quidem detegere umquam poterimus? ad quid tandem tot aliæ ex viventium, vegetantium,

aut

aut fossilium genere substantiæ, a quibus nihil boni accipere possumus? Istane vero sapientissimi auctoris, nihil nisi ratione, atque ad prudentissimum finem agentis opus esse possunt? 3. Tot in mundana hac rerum universitate physicæ etiam imperfectiones animadvertuntur, ut creantis, aut providentis Numinis opus esse non possint. A Deo ne infinito omnium perfectionum fonte, sapientissimo, & omnipotenti, ut dicimus, auctore imperfectum adeo mundum creari, & gubernari? 4. Publicæ, atque privatæ hominum, atque nationum calamitates Providentiam Numinis admittere non patiuntur. Quid enim? a Deo ne justissimo, sapientissimo optimo, atque omnipotenti sumus, dirigimur, gubernamur; dum interim per totam vitam perpetuis calamitatibus premimur, & malis pene obruimur. Videtne ista Deus, gubernat, & patitur? 5. Bonorum miseriæ, malorum prosperitates adversus Providentiam validissime argumentantur: esse scilicet in mundanis humanisque rebus justissimi, atque æquissimi Numinis Providentiam, dum inordinata in mundo procedunt omnia, impii homines, atque nationes perenni felicitatum fluxione cumulantur; qui probi sunt, a cunis ad sepulchrum miseria, afflictionibus, ærumnis conflictantur. Hiccine est Divinæ Providentiæ character? 6. Infinita enim vero in mundo sunt mala. Si oculos circumquaque volvamus, humanam vitam, omnes nationes consideremus & per omnes mundi plagas, atque regiones divagemur; humanam generationem malis ubique, calamitatibus, miseria laborantem, atque afflictam invenimus. Hæc ne vero optimi, omnipotentis, atque sapientissimi Numinis Providentia? Si nostra Deum tangunt mala; & humanæ generationi Numen providet; cum ipsum a nobis afferatur infinite Bonum, atque omnipotens; potuit sane, & voluit nos omnino efficere felices. Si ergo infelices existimus; aut nulla in Deo providentia est, nostræque eum non tangunt infelicitates; aut non potuit, aut non voluit tot mala auferre: unum igitur saltem e tribus hisce attributis in Deo desideratur: aut non est in Deo Providentia, aut summe Bonus non est, aut tandem non est, neque vocari potest omnipotens.

457. Habes argumenta omnia, quibus Diistæ Numinis Providentiam impugnant, sibique, & aliis fucum

cum facere student. A sensibus potissimum hæc omnia ducuntur; male examinata, atque confuse proposita rudium, atque indoctæ multitudinis imaginationem percellere possunt; ad rationis trutinam dicussa, vana tantummodo difficultatum spectra esse deprehenduntur. *Ad Primum:* quod primo loco assumitur, est purum præjudicium sensuum evidenti creaturarum notioni oppositum. Essentia creaturæ est dependere, esse ab alio; sine hac natura, atque notione neque fieri, neque intelligi, aut conservari potest; æque ab alio est, & dependet, dum fit, atque dum conservatur; id ipsum est fieri, & conservari ab alio. Materia aut res quæcumque alia post creationem se ipsam non conservat, neque vis aliqua opus est, ut in nihilum a Deo redigatur. Propositiones oppositæ sunt pura sensuum præjudicia ab humanis operibus, & constructionibus desumpta. Plus enim vero operæ in construendo, quam in conservando palatio impendimus homines: ab his tamen, & similibus exemplis in re præsenti argumentari, est, rerum cortici inhærere, præjudiciis sensuum duci, Physicam, & Metaphysicam ignorare. Humani artifices neque construendæ fabricæ materiam creant, neque conservant: Deus unus est, a quo utrumque id efficiatur. Machina etiam, seu potius materia neque se ipsa conformatur, seu creatur, neque ex se ipsa ordinem conservat: utrumque habet a viribus, & caussis externis. In ordinem quidem ab humanis viribus disponitur, in eodem ordine a corporum viribus, inertia; gravitate conservatur: hujusmodi vires a materia, aut a corpore non sunt; naturæ leges habentur, ab omnipotenti auctore inditæ, & statutæ. Duplicem hanc legem a corporibus parumper tolle (tolli enim posse nullus negat Physicus); tum vero, cum minimo etiam oris flatu omnes vastissimi palatii materiæ, gravitate, & inertia destitutæ, circumquaque difflarentur; a te ipso quære, æquæne ad construendum, atque ad conservandum palatium requirantur vires? Uno verbo, palatium servatur naturalibus inertiæ, & gravitatis corporum viribus, ab actionibus vero illasmet vires superantibus destruitur. Pudet in hisce rebus amplius immorari; omnia Dei lege, & actione fiunt; Dei lege, & actione conservantur: conservatio est perseverans creatio. Si Deum rerum creationi, & dispositioni pro-

vidisse concedis (concedere vero oportet,) acta res est.

458. Ad 2. Quod secundo loco dicitur, ab eo tantum opponi deberet, & posset, qui integrum rerum naturalium systema, universarum rerum naturam, atque finem mente penitus complecteretur: Quamplurima in mundo sunt, inquis; homini inutilia, aut etiam noxia: Bene est; ponis igitur, humanam speciem extremum illum esse finem, cujus gratia creaturas universas condidit Deus (alioquin nihil valeret argumentum) : unde tamen id habes, unde rem neganti probabis? 2. Verum tamen sit, quod ponis: quisnam vero erit adeo insaniens, ut res hominibus omnino inutiles in mundo esse asserat; dum omnem fere naturam ignoramus homunciones, & vilissimæ talpæ? 3. Sint plurima etiam hominibus noxia; liberaliter cum Diistis agamus: ergo non est Providentia? qui ita argumentantur, me auctore, suomet nomini, atque existimationi consulant: quasi scilicet datum a Deo homini non esset clarum rationis lumen, quo sibi a rebus noxiis, multiplici alio de fine, atque aliarum rerum gratia creatis, caveret. Sed ne ullum etiam venenum homini prorsus inutile pronunciare possumus: quod per sese una ratione haustum lethale est venenum, alia ratione præparatum salutaris est medicina, & unicum aliorum malorum remedium. Nihil ergo in rebus physicum est absolute inutile; absolute noxium, neque ab hisce quisquiliis, & argumentis anili mente dignis aliquid contra Providentiam deduci potest. Sed ulterius adhuc rem eandem aliis verbis promoves: quot enim vero, inquis, in tota hac rerum universitate, in singulis elementis offendimus mala; inconcinna, inordinata? quot montes steriles, loca insalubria, pestes, venena? aer noxius, tonitrua, fulmina, terræmotus; ipsamet hominum, atque cæterorum animantium mortalitas, commune scilicet naturæ malum, atque imperfectio Providentis Numinis opus esse possunt? Respondeo longa hæc verborum, idearum, malorum amplificatio a sensibus, imaginatione, præjudiciis desumpta non nisi menti, sensibilibus tantum rebus irretitæ, atque obrutæ fucum facere potest: ab homine cogitante tamquam inanis rhetorum cantilena despicitur. Nihil physicum dicere possumus absolute, & vere

re malum, quin ejus naturam, essentiam, usum, finem, & integrum rerum systema, cujus gratia constructum a Deo fuerit, agnoscamus. Quod pars aliqua sit alteri sistematis parti inutilis; aut etiam contraria, partem ipsam non efficit malam. Fabri aurarii, ferrarii, horologiorum officinam tu ipse, litteraria eruditione utcumque elatus, philosophico supercilio, atque doctoris fastu ingredere. Multa, quæ illic offendes, instrumenta vilia illa quidem rudia; male habita, tamquam inutiles sarcinas; & aliis forsan ejusdem artis instrumentis contraria homini exprobrâ, aut doctoris tono dicita: nihil nisi sardonicos crisus, atque miserationem ab artifice reportabis. Quæ miseris homuncionibus videntur physica mala; unde talia esse probabimus; si eorum naturam; propietates, usum, atque relationem ad totum rerum systema ignoramus? miseram sane; atque imprudentissimam argumentandi rationem? At venena ex. gr. inquis, integræ cuidam rerum speciei, omnibus hominibus sunt noxia? Bene est; sed innumeræ aliæ sunt species, quibus illa sunt utilia; at utilem in rerum systemate locum occupant, & usum habent; hominibus etiam multiplici ratione præparata non utilia modo sunt, sed necessaria quandoque remedia; at hominem ipsum ratione donavit Deus, qua sibi a noxiis, alias bonis, atque utilibus caveret. Quantum etiam humana industria, labor, ingenium de objecta montium sterilitate, paludibus, aliisque similibus non diminueret? Quid tamen de animantium mortalitate? Respondeo: sicut imperfectio necessaria est finitatis, hoc est, omnium creaturarum consequentia; solutio etiam atque mors purus est compositorum animantium effectus, atque conditio: aut nihil omnino creare posset Deus nullaque animantia ex corpore, & anima informare; aut imperfectio in omnibus universim creaturis inesse debet, omniaque animantia solvi tandem possunt.

459. *Ad* 3. Tertium D'istarum argumentum nihil continet, quod serio solvi debeat: ut valeret argumentum, constare, aut probari hæc primo debuissent, nihil a caussa fieri posse ipsamet caussa imperfectius, quidquid non est infinite perfectum, non esse Deo dignum, omnem effectus imperfectionem in caussam referri: quæ omnia sunt aperte falsa. Mundus

dus in duplici hoc sensu est imperfectus: 1. quatenus est aliquid creatum ab alio; cum de creaturarum ratione sit, esse ab alio, dependere, finitam habere perfectionem, atque ab infinita creatoris perfectione infinito intervallo distare: 2. Alios, & alios fieri a Deo posse perfectiores mundos. Prima est creaturæ ipsius ratio, & essentialis notio: secunda ex infinita creatoris omnipotentia, & perfectione oritur: ex neutro hoc imperfectionis capite potest mundus dici indignum conditore opus; aliter ex ipsa creaturarum ratione, atque ex eo quod omnia potest Deus, nihil ipsum posse consequeretur. Duplex alius est perfectionis, & dignitatis operis character: 1. quod nullius alterius auctoris opus esse possit: 2. quod ad eum, ad quem destinatur, finem obtinendum fuerit aptissime ordinatum, ita ut nihil rerum, atque ordinis in ipso desideretur, aut superfluat; Duo hæc universo insunt perfectionis, atque dignitatis capita: hæc etiam duo sufficiunt, ut adspectabile hoc universum unius Dei opus esse, atque dici possit: & insimul tanto auctore dignum appareat. Priori alio sensu nibil Creaturarum esse potest Deo dignum. Dignitatis nomen, & idea est plane relativa: nisi hæc eo nomine significentur; quid tandem sit, esse dignum, nobis exponat Diista.

460. Ad 4. Quod quarto loco Dei Providentiæ a Diistis opponitur, alicujus momenti esset; si hæc etiam vera essent: 1. a Provid ente, atque sapientissimo Numine constitui in mundo non potuisse homines liberos; eamque cogitantium, atque agentium substantiarum libertatem in nullo Providentiæ systemate admitti posse: 2. Prædictas etiam calamitates a Deo ipso secundum conceptam systematis ideam intentas, atque ordinatas esse; non hæc in homines ipsos, eorumque libertatem, & libertatis abusum, tamquam in unicum rei fontem referri: 3. Nullum tandem homines ipsos manere futurum statum, atque vitam alteram, qua quidquid in præsenti vita eorum culpa in rerum ordine fuit immutatum, in ordinem iterum redigatur. Omnia hæc inferius a nobis demonstrabuntur falsa: nihil igitur ab hominum, & nationum calamitatibus in divinam Providentiam desumi argumenti potest.

461. *Ad Quintum*. Humana ratio non satis accuratus esse potest meriti, atque demeriti, calamitatis,

atque felicitatis judex quantum quisque mortalium patiatur, & gaudeat, ab aliis statui, atque definiri non potest: hæc scilicet omnia ad originales spectant ideas, & in intimo gaudentis, aut patientis animi sinu latent. Mirum est, quantum in præsenti argumento, in hominum felicitate, aut miseria dijudicandis fallamur. Mendacibus rerum superficiebus oculi perstringuntur: ab iis, atque male conceptis ideis sæpissime argumentamur: re tamen postea melius, & maturius explorata, quantum a vera, quam præseferunt, felicitate homines distent, quantum rerum superficie illudamur, nos ipsi miramur. Unde illud etiam sæpissime fit, ut illustrem sæpe felicitatis speciem obscuræ fortunæ postponamus, neque in priori illa splendenti fortuna, nisi illustrem felicitatis larvam agnoscamus. Vera hæc quidem sunt, magnaque ex parte difficultati ex inversa bonorum distributione petitæ occurrunt: prosperari tamen aliquando impios, innoxios ærumnis, miseriis, calamitatibus opprimi, atque ab impiis magna rerum prosperitate affluentibus vexari, negare non possumus. Providentiam ne ista tollunt? Si in hac vita, & mundo humana omnia absolverentur, nihil post mortem sperandum, aut timendum hominibus superesset, & insimul cum corpore humanus pariter animus solveretur; aliquod tandem peti posset ex adducta inæqualitate argumentum. Eadem tamen illa naturalis ratio, qua æternum Numen creaturarum omnium auctorem existere, & Providentiam in Deo esse docemur, humanarum animarum immortalitatem, religionem naturalem, futurum rerum statum demonstrat. Futurum illum justæ compensationis statum quo omnia in ordinem iterum redigentur, & universi homines summa cum æquitate præmiis, aut pœnis cumulabuntur, præsens hic libertatis status præcedit.

452. *Ad Sextum*. Sextum argumentum in originem mali inquirendam nos tandem deducit, quod sequenti propositione peragemus. Iterim hæc animadvertimus, quæ difficultatem penitus solvunt. 1. Quatuor hæc præter alia de ente necessario demonstrat evidens ratio, existentiam necessariam, summam bonitatem, omnipotentiam. Providentiam. 2. Infinita plane esse posse, atque a Deo omnipotenti eligi rerum systemata secundum infinitæ Providentiæ dictamen. Pos-

sibilia, atque possibilium rerum ordines possibiles sunt infiniti: nullus est mundus optimus, nulla rerum universitas, atque systema statui potest, quo melius aliud fieri ab omnipotenti Deo nequeat: inter possibilia hæc rerum systemata illud etiam liberarum caussarum invenitur, quale præsens rerum systema existit. Nullam cum supremi Numinis bonitate, atque providentia oppositionem habent caussæ liberæ, illudque rerum systema, in quo ipsæ perfecta agendi libertate fruantur; dummodo in hujusmodi rerum systemate caussis liberis ita provideat Deus, ut bene semper agere possint, si velint; neque naturales, neque supernaturales ad id rei desiderentur vires, atque opportuna auxilia: & in eo insuper statu a Deo ponantur, atque serventur homines, ea indole, atque natura donentur, ut ad bona patrandum, bene vivendum, mala omnia evitandum sponte sua ferantur: uno verbo, ita creentur, ut & beate vivere possint facillime, & cum immortali felicitate præsentem vitam commutare. Hoc rerum systema in statu ideali consideratum nihil habet auctoris bonitati, aut Providentiæ oppositum. Bonitatis argumentum esset, cogitantes caussas libertate donare, ad bene agendum opportuna media providere: utrunque scilicet illud & bonum existeret, & beneficium. Providentiæ etiam munus esset, omnia secundum naturalis legis, atque justitiæ dictamina exigere, merita, & demerita exactissime librare, & secundum naturalis æquitatis immutabilia dictamina præmiis, aut pœnis afficere. Si quid mali in hujusmodi rerum systemate a liberis caussis patratum esset; id ex providentis auctoris intentione, voluntate, aut culpa non eveniret; qualecumque tandem id peccati esset, agenti libero tribueretur, dato sibi a Deo libertatis beneficio abutenti. En præsens rerum systema, in quo nihil divini auctoris Providentiæ, aut bonitati oppositum apparet. Si igitur hæc in Deo Providentia evidenti demonstratione a priori, ut dicitur, hoc est, ab ipsamet entis necessarii notione fuit a nobis probata; si effectus ipse in argumentum adductus inter rerum systemata omnipotenti Providentiæ possibilia evidenti etiam ratione apparet, atque demonstratur; numerosæ illæ hominum calamitates, ab una hominum libertate originem solummodo ducentes, Providentiam nequaquam impugnat.

463.

463. Attamen si Deus est infinite bonus, nostræque hominum calamitates eum tangunt; quare homines non ita liberos creare, ut libertate abuti cum possent, numquam tamen abuterentur? Eo pacto, pergit Diista, secundum nostram theistarum christianorum doctrinam, non unus jam fuit mortalium, erga quem prædicto benevolentiæ gradu se gesserit Deus. Utcumque tamen rem de facto statuamus; plenissima hominum libertas cum certa alias morum innocentia conciliatur. Si a Numine summe bono, atque omnipotenti sumus, illiusque providentia gubernamur; quidni mortales ita liberi existimus, ut & semper innocentes, & felices semper vivamus? Respond. Id unum ex argumento sequitur, præsens rerum systema inter possibilia non esse optimum, sed infinita alia statui a Deo posse meliora: utramque veritatem admittimus: rei tamen melioris possibilitas imperfectiorem aliam non demonstrat impossibilem.

§ 5.

Manichæismus, seu duo principia, bonum, & malum.

ADNOTATIO HISTORICA.

464. Cum innumera in mundo sint mala physica, incommoda, calamitates, miseriæ, humanaque vita aliud plane non sit (ut res modo sunt), nisi perennis quædam, atque alterna malorum, & bonorum vicissitudo, & mixtura; cum a cunis ad sepulchrum humanam generationem manuducat labor, miseria, afflictio, fidelissimi atque familiares humanæ vitæ comites: cum mala moralia, physica, mixta totam globi superficiem grassentur, & tanquam densa colluvies obumbrent; quænam est, amabo, tantorum malorum caussa? Totam globi superficiem perlustremus, hominem in semetipso, humanitatis fundum, humanam generationem, ejus passiones, mentem, animum, inopiam, indigentiam, conditionem consideremus. In singulis nationibus; civitatibus, populis, in omnibus reipublicæ ordinibus quinam non infelices? quot, quantæ, quales ubique miseriæ, calamitates, labores, afflictio, quisnam hominis status, indoles, conditio, quibus externis assideatur semper, atque divexetur malis, perpendamus.

mus. Ad primum equidem mentalis hujusce picturæ conspectum horrescit animus. Dum hæc vel leviter cogitant humanæ mentes, tot ipsæ etiam malis, atque ignorantiæ tenebris involutæ, sibi ipsis, debili earum luminis parumper relictæ ita secum, ipsis sponte philosophantur. Memet cogitantem existere, esse ab alio, primam illam, qualiscumque tandem sit, mei, & omnium cogitantium caussam a se ipsa esse, æternam existere substantiam cogitantem, infinite perfectam, Bonam, Sanctam, Sapientem, ex animi, & idearum mearum fundo clarissime video: quocumque tandem me vertam qualcumque dubitandi rationes undequaque quæram; congestas ratiunculas, conquisitas umbras idearum mearum splendor dispellit: velim, nolim, tenenda hæc sunt, scepticum agere, non nisi jocando licet. Malis tamen, atque calamitatibus nos ubique circumdari, agitari, obrui, tristi experimento, parique certitudine agnosco. Unde hæc est & communis, & privata hominum infelicitas? quænam tantorum cum moralium, tum physicorum etiam malorum origo, principium, caussa? A Deo ne? Deum tamen optimum, infinite Sanctum, Bonum, Omnipotentem nostrorum malorum caussam esse? humanam universalem infelicitatem ab ipsamet æterna, & infinita felicitate provenire? peccatum a justitia? Adeo hæc inter se contraria sunt atque impossibilia rationi apparent, ut ipsamet earum propositione evertantur. Est ne igitur aliquod principium æternum malum omnium malorum origo? an potius quidquid malorum in rebus humanis existit ab infelici humanæ libertatis abusu derivatur?

465. Habes quæstionis statum, in quem humana ratio suasmet ideas explicando, earum connexioni insistendo tandem devenit. Antiquissima sane quæstio ab aliquot annorum millibus acerrime inter homines agitata: quænam nostrorum malorum origo existit? En nos igitur ad Manichæismum tandem, proprium metaphysicæ argumentum deductos. Ad propositum scilicet explicandum nodum Magi antiquissima hominum secta atque religio duplex statuit rerum principium, Bonum, & Malum (a). Post antiquissimam illam, atque latissime diffu- sam

(a) Vide Pocok specimen histor. Arabicæ Thomam Hyde Hist. Relig. vet. Persar. Prideaux Hist. des Juifs. P. 1. l. 3.

sam magorum sectam, eumdem sensum asseruerunt, & late promoverunt Manichæi, periculosa hæreticorum secta, contra quos acerrime disputavit Augustinus (a). Palmaris sectæ error est, duo principia modo relata adstruere: quod quidem Manichæismi nomine intelligitur.

466. Præter alia errorum capita apud Augustinum libris citatis videnda, omnia animalia esse a principio malo dicebant: ab utroque pariter principio omnia illa insimul provenire, quæ de bono, atque malo, utcumque participant (b). Manichæismum cineribus fere sepultum in lucem iterum edidit Petrus Bayle (c), eoque lumine, stili amænitate, atque eloquentia proposuit, ut manichæis omnibus auctor minime manichæus doctor esse possit. Quonam enim vero ingeniosam, atque amœnam hominis mentem non deduxit Pyrrhonismi amor, omniaque etiam obsurda in utramque partem disputandi studium, atque in absurdis maxime, & periculosis argumentis ingennii, eruditionis, eloquentiæ, leporis ostentandi pruritus? In Hominem non Manicheum, Manichæismi tamen fundamenta nimium efferentem, & majori, qua potest, eloquentia, & efficacia preponentem acriter decertarunt Samuel Clark (d), Leibnitis (e), Christianus Wolfius (f) Bulfingerus (g), Porro cum multa a malis physicis argumenta desumant Manichæi, & longissime eum locum verset Bayle; omnia illa vel una Samuelis Clarkii animadversio difflat. Nullus hominum est, inquit, qui de physicis malis recte possit judicare; cum integrum rerum naturalium systema ignoremus, ad quod mala omnia physica referuntur: quis enim aliquid absolutum malum physicum demonstrabit? Manichæismi etiam fautorem, atque patronum egit Beausobre (h). Alia ex parte cum duplex principium rationis lumini penitus reluctetur (*) ut malorum origi-

(a) August. contra Faustum.
(b) August. contra Faustum l. 6. c. 8.
(c) Dict. histor. critiq. Art. Manich.
(d) Disquisit. de origine mali.
(e) Theodiceæ parte 3.
(f) Theolog. nat. parte 1. cap. 3.
(g) Differt. de origine mali.
(h) Hist. des Manich.
(*) Pour les raisons a *priori* ils (les manicheens auroient

ginem explicarent, fatalem necessitatem alii adstruxerunt, Providentiam alii negarunt, Deumque mundana non curare dixerunt: fuere tandem, qui humanas animas ante corpora extitisse, vixisse, peccasse, atque ob commissa peccata in humana corpora tanquam in carceres detrusas; indeque esse universorum malorum originem (*).

PROPOSITIO XXXV.

467. *Nullum est principium æternum malum, quod nostrarum miseriarum, atque malorum sit caussa: neque aliam illa originem habent, nisi humanæ libertatis abusum.*

Duplicis principii, seu principii mali impossibilitas, atque falsitas adeo clara per se est, atque manifesta, ut ipsemet *Petrus Bayle* Manichæismum ab hac parte desperatum esse fateatur, totamque Manichæorum caussam argumentis a posteriori deductis, seu effectibus tantum inniti agnoscat (**). Et primo quidem vel principium malum est ipsum etiam ens ab alio, hoc est, a Deo, principio æterno Bono, vel est etiam ens *a se* æternum, & necessarium. Nihil est inter duo hæc extrema medium: vel principium malum est a se, vel ab alio: Secundum & est per se evidenter falsum, & ipsammet Manichæorum hypothesim tolleret: quoniam enim a principio Bono malum etiam principium proveniret; unus tandem Deus, uni-

---

ient etè bientot mis en fuite: les raisons a *posteriori* etoient leur fort: c' etoit la qu' il etoit difficile a les forcer: inquit Bayle. Dict. Art. Pauliciens Rem. D.

(*) Tout ce que je viens de dire, marque assez la peine, qu' ont eu les anciens a eclaircir l'origine du mal physique, & du mal morale. C'est aussi la plus dure, & la plus epineuse question, qui se presente a l' esprit humain, celle dont il ne peut se tirer, que par le moien de la foi, inquit Des Landes, histoire philosophique tom. 1. pag. 266.

(**) D'ou vient que l'homme est si mechant, & si sujet a la douleur, & au chagrin? vous me surpassez dans la beauté des idees, & dans les raisons *a priori*; & je vous surpasse dans l' explication des phenomenes, & dans les raisons *a posteriori*, inquit *Bayle*.

unicum principium Bonum, primitiva omnium malorum origo existeret per ipsos etiam Manichæos. Superest idcirco primum: si est principium malum; id est ens a se, nihil illi cum principio Bono commune. Jam vero ens a se est ens necessarium sibi omnino sufficiens, nullius indigens, a nullo dependens: at concipi vel etiam possunt duo entia necessaria? oppositum supra demonstravimus: qui necessarium aliquid concipit, unicum concipiat oportet. Sibi plane contradicit duplicis entis necessarii idea.

468. *Demonst.* 2. Ens a se necessarium æternum sibi omnino sufficiens, a nullo dependens, est ens non modo perfectius rebus omnibus dependentibus, seu ab alio, sed etiam est infinite perfectum: perfectionis etenim infinitatem ex idea entis a se, entis necessarii, atque sibi sufficientis superius demonstravimus: dicine vero poterit, principium per naturam, & essentiam suam necessario malum esse nihilominus infinite perfectum? Esse infinite perfectum, & nullam nihilominus habere bonitatem? Quidquid est perfectio, est Bonitas: rem infinite perfectam omni esse bonitate destitutam, perinde esset, atque rem infinite bonam nullam habere bonitatem.

469. *Demonst.* 3. Si ponitur principium æternum necessarium, atque a se malum; non illud sibimetipsi, sed aliis tantummodo erit malum: rem enim sibi ipsi malam neque mens humana concipit, neque Manichæi admittunt: res sibimet ipsi mala, atque contraria, sui ipsius contradictio, oppositio, atque negatio existeret: præcipuum hoc caput est, unde rem aliquam impossibilem esse asserimus, si illæ, ex quibus componitur, ideæ sibi ipsis opponantur, atque contradicant. Bene est: si erga creaturas est malum secundum illud principium æternum; vel malum iis est, atque nocet necessario, vel potius libere: si secundum; potest igitur neque esse, neque agere malum: si potest non esse malum; non modo dici & esse amplius non potest per naturam suam malum, sed potius est bonum: aliis enim malum non esse, mala non agere, cum posset, evidens est bonitatis argumentum. Si principium illud est necessario malum; mala necessario infert: at duæ hæ ideæ malum, & necessitas se mutuo destruunt: insuperabilis necessitas omnem tollit malitiam. Caussa necessario mala non est mala. Præterea unde illi insuperabilis necessitas agendi malum: non eam quidem principium malum accipit ab alio; cum sit

 ens

ens a se, a nullo dependens: ex eo igitur quod sit ens a se, ex ratione infinitæ perfectionis est necessario malum: quod quidem esset, ex eo esse malum, quod sit infinite bonum: manifesta sane idearum contradictio. Hæc quidem mali principii impossibilitatem ex intima ipsius principii natura, notione, atque idearum visceribus demonstrarit. Ex demonstratis hactenus Numinis attributis eadem impossibilitas evincitur.

470 *Demonst.* 4. Est enim vero Deus, rerum omnium principium, & caussa omnipotens: quidquid Numinis attributum est, infinitam perfectionem continet. Hujusmodi in Deo est omnipotentia, infinita est ejus perfectio, omnia potest, quæcumque velit, ad possibilia universa extenditur, a nullo plane impediri potest: hæc scilicet est omnipotentis caussæ notio luculenter in superioribus demonstrata. Si esset principium æternum malum, a quo secundum Manichæorum systema mala omnia Physica, & moralia originem ducerent, quodque æterna illa atque insuperabili malignitate mundana omnia corrumperet; æternum semper esset Divinæ omnipotentiæ obstaculum atque impedimentum, a quo se tandem liberare impossibile penitus existeret. Idne vero cum omnipotentis caussæ idea componi poterit? Caussa omnipotenti & oppositæ alii caussæ semper contraria, æternum ab ejusmodi principio impedita, & ad fœdera tandem inter sese ineunda ob fatalem impedimenti conditionem adacta, hujusmodi, inquam, caussa dici poterit omnipotens? Principium illud malum rationis lumini penitus oppositum, nonnisi clarissimarum idearum ruinis adstrui potest: quandiu fiet, ut clarissimum rationis lumen atque evidentes ideæ humanam mentem percellant, nullaque in iis esse possit falsitatis nota; malum illud principium, malorum, atque tenebrarum origo, a tenebrosis tantum mentibus fidem extorquebit.

471. *Demonst.* 5. Ens necessarium necessario est unicum: rei demonstrationem in superioribus posuimus: eadem igitur certitudine, atque evidentia principium malum est impossibile, qua unitas entis a se est necessaria. At polytheismi impossibilitas ea evidentia constat, id quod in superioribus demonstravimus, ut cultæ etiam nationes paganæ polyteismum ore tenus, atque in speciem profitentes, Numinis unitatem tenerent, atque polytheismum nonnisi ut religiosum fanatismum ad plebem continendam opportunum colerent. Negari ne

ve-

vero amplius posset, admisso manichæismo, polytheismus? Quid enim ad Divinitatem malo principio asserendam desideretur; si ens a se sibi sufficiens, necessarium, æternumque ponitur? Nostra omnium preterea maxime interesset maleficum hujusmodi Deum ad mala inferendum natura semper pronum votis, cultu, religione flectere: nihil mali ab illo esset non timendum: quod majoribus non premeremur malis, beneficii loco ponendum esset. In absurdissima hypothesi absurdis omnia scatent. Mirum esset, & rationi plane oppositum, 1. quod a principio essentialiter malo magna indies beneficia referremus accepta: 2. quod malum essentiale colere, venerari, amare humana deberet voluntas. Honestumne esset, ficto, mendacique cultu Deum ipsum malum colere? 3. quod creatura quæcumque Deo illi æterno malo esset infinite præferenda: idne vero in Deum infinitum cadere, Deo convenire?

472. *Demonst.* 6. Duplicis principii hypothesis adeo est cum fatalismo connexa, ut hicce secundus a primo sponte profluat: quare humanæ, Divinæque libertatis demonstratio manichæismum etiam evertit. Perfectam in Deo esse libertatem supra confecimus, humanam inferius demonstraturi. Id unum superest, quo pacto malum principium idea libertatis evertat, ostendere. Per intelligibilium rerum mundum peregrinanti, ab una semper ad aliam ideam, evidentia duce incedendum est. Principium natura sua malum ad mala inferenda liberum non existit. Si enim esset liberum; posset ab illo principio nullum inferri malum: mala non inferre, cum possis, ad idque a natura pronus existas, beneficentiæ atque bonitatis argumentum est: mali igitur principii libertas ejusdem principii naturam, atque essentiam everteret. Si omnem e principio malo libertatem tollit ejusdem principii conditio, atque natura; quidquid mali agit, fatali necessitate operatur: unde fatalismus tandem in res etiam humanas proflueret: quidquid mali ab humana voluntate patratur, mali principii effectus existeret, pura esset fatalismi consequentia. Alia tamen ex parte ipsamet malorum conditio fatalismum evertit: contradictiones undequaque in hac hypothesi scaturiunt. Mala moralia sine libertate non essent: nulla est ad impossibile lex, nullum sine libertate, aut sine lege peccatum: malum libertatem demonstrat, a libertate fatalismus evertitur.

473.

473. Qui adductas hactenus demonstrationes perpenderit; facile animadvertet, quam recte, & merito scripserit *Petrus Bayle* (quo nemo hactenus melius, atque penitius Manichæorum caussam tractavit), idearum claritatem, & argumenta omnia a caussis desumpta duplici principio penitus opponi, tota pro monotheismo stare. In quam rem tria hic animadvertenda propono a nemine rejicienda, ex quibus omnia Manichæorum argumenta a Domino Bayle toto elegantiæ, atque eloquentiæ lumine proposita cadent. 1. Rationis, atque idearum evidentiæ universa sensuum argumenta, evidentiam, demonstrationem, probabilitatem cedere: si duo hæc, sensus, & ratio opponantur; rationi semper adjudicabitur caussa: rationis evidentia certissimum est veritatis criterium, & tessera: cum argumento quocunque physico stare absolute potest falsitas. Rem apud omnes certam, in Logica nostra demonstratam habes. Quod si idearum claritati Physica etiam evidentia cedit; incerta alia sensuum argumenta ab effectibus quibuscumque physicis deducta quantum rationis evidentiæ postponentur? Eapropter quæ claritati idearum innititur sententia, quantumvis mille sensuum argumentis oppugnaretur, illa proculdubio est vera; contraria omnia aut in præjudiciis annumeranda, aut humanæ ignorantiæ referenda. 2. Existentia rei, & modus rei duo sunt toto cælo inter se diversa; sit necne in rebus datum aliquod corpus, spiritus, substantia: & quali modo existant: duæ sunt quæstiones plane inter se distinctæ. Rei existentia evidentissimis argumentis potest demonstrari, priorque decidi quæstio; quantumvis rei modum, atque naturam penitus, ignoremus; atque secundæ questioni respondere non valeamus. Rei veritatem infinita fere exempla ab omnibus rebus physicis desumpta demonstrant: nostrarum cogitationum existentiam in dubium vertere non possumus: quis tamen est, qui earumdem idearum naturam, modum, rationem sese assequi affirmet? Argumenta idcirco a modi ignoratione desumpta nihil contra rei ipsius existentiam probant. 3. Universa Manichæorum argumenta, ipsomet auctore *Bayle*, ab effectibus, a sensibus petuntur, rei modum impugnant, humanæ de modo ipso ignorantiæ innituntur: quod scilicet satis clare non videamus, quo pacto Physica, & moralia in mundo possint esse mala, si unum est in rebus ens necessarium, atque ejus

pro-

providentia gubernamur. Priora duo sunt & per sese, & omnium confessione certa: tertium ipsorum argumentorum propositio demonstrabit, & ejusdem *Petri Bayle* testimonio habetur. Quid ex hisce tribus deducatur, quo hæc collineent, facile apparet. Secundum principium malum non existere, idearum evidentia demonstrat: favent ex adverso, inquit Bayle, phænomena sensuum, circa quorum modum, atque naturam crassa ighorantia laboramus: quid inde consequatur, facile per se videt lector.

Solvuntur Manichæorum argumenta pro duplici principio Bono, & Malo contra Providentiam, & unitatem Dei statuendo.

474. Quamplurima pro Manichæis, & Fatalistis contra Numinis unitatem, atque Providentiam afferuntur, quæ omnia late versat, tota qua potest eloquentia, styli amænitate, atque ingenio fusissime prosequitur *Bayle*. Atque ut appareat, quantum nos caussæ fidamus; quantumvis sola ratione contra elegantes sensuum imagines, & vivacissimas picturas agamus, ipsamet hominis verba mihi opponam.

475. Opponunt primo. Id imprimis negare non possumus, inæqualem semper esse præmiorum, atque pænarum in hac vita distributionem: quantam ex hoc capite humanarum rerum confusionem! quamnam enim vero injustam inæqualitatem! Nulla meriti, aut demeriti, probi, aut improbi ratione habita, tranquilla atque constanti felicitate frui conspicias illustres sceleratos; dum infinita hominum multitudo aut animi honestate laudabilis, aut minoribus, & paucioribus criminibus maculata malis undique, atque miseriis oppressa numerari vix potest. Perennis hæc rerum omnium inordinata perturbatio, atque injusta confusio aut nullam in Deo sapientem Providentiam esse demonstrat; aut si qua est Numinis Providentia, omnipotens aliud est malum principium, a quo mala hujusmodi, rerum perturbatio, confusio, injusta distributio, proveniant, & sapientissimi Numinis Providentiæ effectus impediantur. Resp. Totum hoc argumentum sensibilibus tantum imaginibus ad imaginationem percellendam aptis immixtum ex falsis principiis petitur. Et *primo* ex communi præjudi-

judicio circa humanæ naturalis felicitatis notionem: *secundo* ex incertis factis; *tertio* ex male posita humanarum animarum mortalitate: *quarto*, quod hominibus liberis fruendum mundum committere non potuerit Deus, resque ita *tradere disputationi eorum*, ut præter generalis Providentiæ munera si quid ab iis contra ordinem committeretur, in ordinem omnia postea remitteret.

476. Circa primum, vulgi præjudicium est, felicitatem ex opibus, externis honoribus, atque gloria dimetiri; quo nihil magis esse a veritate alienum, nullus est, qui ignoret. Quot illustres infelices miserrimam vitam inter opes, & gloriam ducunt? Quamnam videremus inexpectatam rerum, felicitatis, aut infelicitatis scænam, si velo tandem subducto reconditiores humani cordis sinus introspiceremus! Secundum est pariter evidens: sceleratiores homines, & insimul honestis feliciores in argumentum adducis: incerta omnia contendo: fortunam fortunæ, conditionem conditioni comparas: interim tamen intimam animorum indolem, animarum, & cordium recessus, statum, conditionem nescis: quid tandem sit naturalis hominum felicitas, ignoras: certane igitur facta mihi opponis? *Tertio*: Esto, sit illa inter homines inæqualis pœnarum, atque præmiorum, miseriæ, aut felicitatis distributio; rem ego non inficior: Si nulla homines maneret futura vita; teneret argumentum: manet illa tamen, ut inferius probabimus. Quinimo hæc ipsa præmiorum, atque pœnarum inæqualitas in hac vita argumento nobis est ad futuram vitam, ad animæ immortalitatem, ad Numinis Providentiam confirmandum. Quartum tandem nonnisi per summam omnipotentis Dei injuriam asseri posset.

477. Argumentum 2. Præcipua tamen in hac quæstione difficultas ex mali cum physici, tum etiam moralis origine ducitur. Atque ut mala Physica absoluta omittamus, de humana tantum specie loquamur, de malo morali, de malis ad hominem relativis, de misera mortalium conditione, atque de infinitis illis calamitatibus, quibus humana species ingemiscimus, circumdamur, premimur, obruimur. Infelix sane, dum vivit, hominum genus existit: majora etiam maximam hominum partem secundum Monotheistarum systema

post

post mortem manent. Itane vero ab uno Deo optimo esse? Nihilne in immensum illum humanarum infelicitatum cumulum fatale aliquod principium malum influere? Si unius Dei infinite Boni, Sancti, Omnipotentis creaturæ existimus; æternam nos esse ægritudinum, frigoris, caloris, famis, sitis, doloris, tristitiæ prædam? Ab ipsamet Bonitate infelicem esse creaturam? Si in Deo & omnipotentia, & erga homines Benevolentia est; opusne suum perenni felicitate non cumulare (*)? Nostra igitur mortalium conditio, atque miseriæ præter Deum Bonum ab alio nos etiam esse principio malo demonstrant. Resp. Hæc argumenti propositio, utcumque sensum vivida imagine percellat, a nostrarum idearum evidentia dispellitur. Fateris interim principium malum a claritate idearum, demonstrationibus *a priori* demonstrari impossibile: quidquid hisce demonstrationibus opponitur, est certo falsum: rem igitur, hoc est, non esse principium malum, ab eo non esse humanas calamitates, demonstramus: unum ergo rei modum adducta difficultas attingit; quem etsi ignoraremus, nihil inde adversus propositionem inferretur. Sed ne ipsum quidem rei modum ignoramus: adducta difficultas nos etiam non terret. Deus infinite Bonus, omnipotens, sanctus hominem infelicem non creavit: si contrarium contenderes, proba, atque eo pacto in quæstionem facti, in modum rei descendimus. Hominem effecit liberum: libertatis veritatem in loco demonstrabimus: homo libertate præditus, milleque aliis beneficiis a Deo donatus, voluntario libertatis abusu sese flagitiosum, & contra impositam sibi legem injustum, & criminosum reddidit. Hæc una est humanarum omnium calamitatum origo: hic unus ille modus rei ad quæstionem solvendam adhibendus.

478.

(*) Si l'homme est l'ouvrage d'un seul principe souverainement bon, souverainement saint, souverainement puissant, peut il etre exposè aux maladies, au froid, au chaud, a la faim, a la soif, a la douleur, au chagrin? .... La souveraine bontè peut elle produire une creature malheureuse? La souveraine puissance

478. Ab homine igitur, pergit *Bayle*, est tota mali origo? Maxime, respondeo: qui tamen id? opus ne caussæ infinitæ sanctitatis, atque potentiæ potest esse malum? potestne esse non bonum? R. Quidquid in homine est aut fuit opus Dei, homo a Deo creatus existebat bonus, totum hominis malum ab dati hominibus a Deo boni, hoc est, liberi arbitrii abusu originem duxit. Mali, & primam calamitatum originem intra hominem quære. Principium petis, reponit *Bayle*; cum Manichæo agis, qui hominem a duplici contrario principio esse contendit, & perinde ut a Bono Bonum, ita a Malo Malum accepisse: ut Manichæi argumenta solvas hominem ab unico principio optimo factum supponis & nonnisi a se ipso malum evasisse contendis: manifestam enimvero petitionem principii (*). Resp. Nego in data a me responsione aliquam Principii petitionem committi: en idearum ordinem. Est in rebus infinita malorum colluviens bono permixta: convenio de effectu. Duplicis hujusce effectus omnino contrarii, inquis, duplex est principium æternum; Malum nonnisi a Malo, Bonum a Bono tantum esse potest. Circa caussam mali dissentior, in regulam philosophandi peccas *effectus nonnisi caussa certo existens, & sufficiens statuatur*. Malum fatemur, hoc est, existit effectus: quæ ejus sit caussa, examinemus: illam esse dicis *Principium malum*: antequam id statuas ejus

---

jointe a une bontè infinie ne comblerat'-elle pas de biens son ouvrage, & n'eloignerat elle point tout ce qui le pourroit offenser, ou chagriner? *Bayle* Diction. hist. Art. Manicheens.

(*) Par quelle voie le mal est venu au monde? Vous respondez qu' il y est venu par l'homme:mais comment la; quisque selon vous l' homme est l'ouvrage d' un etre infinement Saint, infinement puissant? l'ouvrage d' une telle causse,ne doit il pas etre bon?Peut il etre que bon?.. Il ne faut pas chercher le mal, que tdans l' interieur de l' homme (respondes vous): mais qui est ce, que l' y a mis? l' homme meme abusant des graces de son createur, qui etant la souveraine bontè, l' avoit produit dans ut etat d'innocence. Si vous respondez cela, vous don-

ejus existentiam confice. Principium enim malum æter num nego: de veritate existentiæ rei, hoc est, principii mali agitur: impossibile illud esse ab idearum evidentia, atque a priori demonstro: de demonstratione convenis. Quandoquidem igitur in quærenda, atque assignanda existentis effectus ratione falsam prius caussam demonstratione tuomet judicio clara rejeci; nonnisi unicum est principium bonum. Si unicum est principium bonum; malorum origo non a Deo, seu principio æterno, sed ab ipsomet agente creato libero repetenda superest: a primo igitur ad ultimum citra ullam petitionem principii Manichæi hominis argumenta solvo. Principium non peto, sed duplicem quæstionem solvo, existentiam mali principii, & præsentium malorum originem: priorem demonstratione rejeci; priori confecta, tantum superest secunda, *quænam est origo Mali?* Uno verbo, malorum existentia, atque veritate posita, illorum quæritur caussa. Triplex in scænam producitur, principium malum, principium bonum, caussa creata. In adstruenda caussa constare primo debet ejus existentia, atque sufficientia: hæc autem duo demonstro, principium malum non existere; principium bonum non esse ad effectum illum sufficiens; ex regula igitur philosophandi utramque caussam rejeci. In eandem vero regulam peccas; nisi propositi effectus assignatam a te caussam prius existere demonstres, aut illa tanquam datum ab omnibus admittatur. Manifeste hæc omnia demonstrant, principii petitionem me non committere, in philosophandi regulam a te peccatum. Alia tibi non superest promovendi argumenti ratio; nisi ut expositum a me effectus modum, atque rationem falsam esse conficias.

479.

---

donnez dans la petition du principe. Vous disputez avec un Manicheen, qui vous soutient, que deux createurs contraires ont concouru a la creation de l' homme, & que l' homme a receu du bon principe ce qu' il de bon & du mechant principe, ce qu' il a de mal; & vous respondez a ses objections en supposant, que le createur de l' homme est unique, & souverainement bon. *Bayle.* Diction. Critique Art. Pauliciens.

479. Ut rem aggrediaris, animadvertas primo oportet, sequentia omnia a me demonstrari, 1. principium a se malum esse impossibile, nullumque proinde effectum a chymerica hac caussa existere: 2. unum esse Deum optimum, maximum. 3. a Principio optimo nihil mali potuisse creari. 4. Homines tamen, seu substantias cogitantes liberas inter possibilia, & certa principii omnipotentis, atque infinite boni effecta numeramus, atque demonstramus: libertas enim per se non est malum: unde ergo id Deo negabitur? Dei tantummodo erit substantias materiales, & spiritus non liberos creare? 5. Libera quæcumque creatura ob communem rerum omnium finitarum conditionem est imperfecta; potuit igitur identidem peccare: existit enimvero libertas, existit liber ejusdem abusus; en malorum omnium caussam *sufficientem*, atque *certo existentem*. Simili, amamo, idearum claritate, & connexione sensum tuum proba: allatam a te caussam existere confice, ne in philosophandi regulam turpiter pecces.

480. At impossibile plane est, pergis, malum esse ab homine; si ab unico principio bono homines sumus. Si unius Dei infinite boni, atque sancti opus existimus; non modo sine ullo malo, sed sine ulla etiam propensione ad malum nos ille creasset: est scilicet etiam hujusmodi propensio malum, quod ab hujusmodi principio esse non potest (*). Resp. Hominem non modo citra omne peccatum, sed præterea citra omnem ad malum inclinationem fuisse a Deo optimo maximo creatum, & convenimus, & ratum habemus. Unde tamen ex eo *dato* probas, non potuisse hominem peccare, quod in argumento ponis? Ad peccandum sufficit libertas, non opus est inclinatio, seu propensio, ut ex humanis moribus, atque nostrarummet actionum analysi quotidie edocemur. Nihilne unquam commisit Dominus *Bayle*, aut Manichæorum aliquis, ad quod naturali, atque innata pro-

pen-

(*) Si l'homme ètoit l'ouvrage d'un principe infiniment bon, & saint; il auroit etè creè non seulement sans aucun mal actuel, mais aussi sans aucune inclination au mal; puisque cette inclination est un defaut, qui ne peut pas avoir pour cause un tel principe. Bayle loc. cit.

pensione ejus voluntas non inclinaret? Bonum autem per se est libertas, datum a Deo hominibus donum; malum accepti illius boni abusus, quod humanum est.

481. Homo igitur, infert *Bayle*, a Deo quidem non malum, non propensionem ad malum, sed vim tantummodo ex se ipso malum patrandi accepit: quod cum ageret, ipse sibi suarum omnium calamitatum caussa existit (*): at idea concipere non possumus, caussam per se non existentem, per se tamen agere. Resp. Etsi darem, concipi id ab humana mente non posse, quid inde inferret homo philosophus? Si quidquid non perci pis, inficiari merito posses; nega te ipsum, te existere, habere animam, & corpus unitoj & totam hanc rerum universitatem. Res igitur est homine cogitante indigna, ab humanæ mentis ignorantia, atque defectu ad rerum ipsarum essentias negandas argumentum desumere. Sed neque rem ipsam Manichæo damus. Aut unum ens a se caussam agere potest, nihilque a creaturis quibuscumque agitur, aut res ab alio existens nomine tandem suo agere valet. Creaturas reapse proprie agere, quantumvis entia ab alio existant, inferius adstruemus: qui contrarium admittunt, libertatem omnem e medio tollunt.

482. Etsi res ita esset, ulterius pergit *Bayle*, per Deum tamen infinite bonum stare non posset, hominem ita creare, ut in malum laberetur. Hominis peccatum ab æterno prævidit; faceret igitur, ut ab homine libero semper vitaretur. Caussam enim infinite sanctam, infinite bonam, malum, quod vitare facillime possit, prorsus non impedire, maxime cum, ob committendum malum, hominem a se creatum infinita malorum, infelicitatum colluvie puniendum sciret; id, inquit, natu-

(*) Il reste donc, que l'on dise, que l'homme sortant des mains de son createur avoit seulement la force de se determiner de lui meme au mal, & que s'y etant determinè, il est seul la cause du crime, qu'il a commis, & du mal moral que s'est introduit dans l'univers. Mais premierement nous n'avons aucune idee distincte, qui puisse nous faire comprendre qu'un etre, qui n'existe point par lui meme, agisse pourtant par lui meme. Bayle ibidem.

turali idearum ordini penitus opponitur (*). Resp. Infinitæ Bonitati, atque sanctitati Dei tantummodo opponi aliquid mali creare, aut injusti agere: Bono enim, & sancto aliud non opponitur, quam malum, & injustum. Si libertas agendi nihil in se mali, atque injusti continet, ut res est; illius sane productio Bonitati, & Sanctitati Dei non opponitur; ob omnipotentiam vero est necessario possibilis. Alius in libertate non est defectus, nisi imperfectio, generalis & necessaria omnium creaturarum conditio: aut igitur nihil creaturarum fieri a Deo potest, aut substantiam cogitantem liberam inter creaturas omnipotentiDeo possibiles statuere oportet. Quidquid creaturarum est, aut concipi potest, est imperfectum, & infinito intervallo a summa perfectione distat.

483. Esto, reponis, (nihil enim dissimulandum est, Manichæorum argumenta toto in lumine proponamus, & longius, quam sit a *Bayle* factum, rem promoveamus): Esto, possibilis est libertas, sit homo liber: Deus tamen infinite Bonus hominem a se creatum liberum ad bonum morale agendum perinde semper ex propriæ bonitatis, atque sanctitatis ratione flecteret, & statueret, ut ad bonum physicum caussas omnes statuit (**). Respondeo. Neque homo ad malum physicum, neque ad malum morale in ratione mali eligendum libertatem habet: nullum malum in ratione mali potest amari, neque bonum in ratione boni odio haberi. In humana libertate ad utrumque bonum physicum, atque morale paria existunt omnia, quantum vim eligendi attinet. Humana voluntasad physicum æque, atque ad morale bonum, & malum libera, vim a Deo acceptam habet unum aut alterum eligendi, atque patrandi. Si de mechanicis caussis, de rebus materialibus statuta naturæ lege agentibus loquaris; ad rem argumentum non est.

484. Bene est, prosequeris; aut igitur nos Deus liberos non effecerit, aut taliter de mediis, & remediis ad non

(*) Car les idees de l'ordre ne souffrent pas, qu' une cause infiniment bonne, & sainte, qui peut empecher l'introduction du mal moral, ne l'empeche pas: lors sur tout, qu'en le permettant, elle se verrà obligee d'accabler de peines son propre ouvrage. Bayle ibid.

(**) Il auroit determinè l'homme au bien moral, com-

non peccandum caveret, ut a peccando semper liberaremur. Si paternæ hominum benevolentiæ est, collati a se filiis beneficii abusum, quantum per humanam liceat facultatem, impedire; idne ab infinita Dei optimi maximi Bonitate non esse peractum? (*) Resp. Cum libertatem ex sese bonum esse, jam superius demonstraverimus, neque id a Manichæo in dubium vertatur; cum præterea substantiam cogitantem liberam substantia cogitante non libera potiorem ex conceptu suo esse, res ipsa per sese demonstret; potuisse hominem a Deo creari liberum per Dei ipsius Omnipotentiam, atque Bonitatem constat: & hoc primum. Quid tamen de mediis ad malum evitandum necessariis? Adeo Deus hominis liberi saluti, atque felicitati invigilavit, ut innocentem, justum, sanctum ad bona agenda pronum creaverit: iis insuper donis, & mediis instruxit, ut ab universo patrando malo cavere facillime posset, nulla in tentationibus quibuscumque superandis difficultate premeretur. Iis beneficiis, donis, atque mediis creatum a se hominem cumulare, eoque modo cumulatum suarum actionum ita liberum efficere dominum, ut a patrando malo summa facilitate retraheretur, ad bonum peragendum pari facilitate genio suo, gratiæ donis, singularibus providentis Dei auxiliis, atque beneficiis adduceretur, magnam meritorum vim ipse sibi apud Deum compararet, & ad summam, perennemque felicitatem citra ullam mortis pœnam, aut necessitatem pro libitu transiret: hoc, inquam, modo, hominem condere, statuere, creare, paternæ Dei Optimi Maximi benignitatis argumentum non est?

485.

---

comme il l'a determinè au bien physique: il n' auroit laissè dans l'ame de l'homme aucune force pour se porter au pechè: non plus qu'il n'y en a laissè aucune pour se porter au malheur entant que malheur. *Bayle* ibidem.

(*) Si une bontè aussi bornee, que celle des peres, exige necessairement, qu'ils previennent, autant qu'il leur est possible, le mauvais usage, que leurs enfants pourroient faire des biens, qu'ils leur donnent; a plus forte raison une bontè infinie, & toute puissante previendra-t-elle les mauvais effects de ses presens. Au

 lieu

485. Hisce tamen non obstantibus, creandum, aut creatum a se hominem in mala lapsurum prævidit (*). Concedo: Potuit sane (ut quo fieri tandem potest, argumentum promoveam); potuit sane, dices, homo creari, constitui, & relinqui liber, & tamen ita semper ad bene agendum trahi, ut in vehementissima tentatione ad peccandum sollicitamur, & trahimur: posset hominem ita liberum constituere Deus, ut perinde cum ipso ageret, atque cum iis, quos in gratia confirmatos dicimus: liberi ii sane fuerunt, in peccata labi potuere: taliter tamen Deus eorum saluti, omnibusque lapsibus providit, & cavit, ut quantumvis possent, in peccatum nihilominus nunquam laberentur; unde & meritum libertate apud Deum compararent, & peccandi periculum reapse non esset. Respondeo. Possibilia hæc omnia omnipotenti Deo fuisse, admittimus: id tamen solummodo probat, possibilem alium esse rerum ordinem, atque Providentiam, in quibus major, & major humanæ salutis, atque felicitatis securitas statueretur. Nullus hæc inficiatur: teneturne tamen Deus ad optimum, quia est infinite Bonus? teneturne etiam ad perfectius? Aliorum igitur rerum ordinum, atque perfectioris, & perfectioris Mundi possibilitate asserta, stat

---

lieu de donner le franc arbitre, elle veillera toujours efficacement pour empecher qu'elles ne pechent. *Bayle* ibidem.

(*) Dieu, qui connoissoit toutes les pensees d'Eve a mesure qu'elles se formoient, ne pouvoit pas douter, qu'elle n'allat succomber: il a donc voulu la laisser pecher: il l'a, dis-je, voulu dans le temps meme, qu'il prevoioit ce peché avec certitude. Le peché d'Adam a eté encore plus certainement prevu: car l'exemple d'Eve donnoit des lumieres pour mieux prevoir la chute de son mari. Si Dieu avoit eu a coeur la conservation de l'homme, & celle de l'innocence, & l'expulsion de tous les malheurs, que devoient etre la suite infallible du peche, n'eut-il pas du moins fortifiè le mari, apres que la femme fut tombeè? Ne lui eut-il pas donnè une autre femme saine, & entiere au lieu de celle, qui s'etoit laissèe seduire? Bayle ibid.

stat tamen, quod præsens rerum ordo, primitiva hominum conditio, qualem modo dedimus, paternæ Dei Optimi Maximi Benignitatis, Providentiæ atque Bonitatis evidens argumentum existat. Paternæ forsan hominum benignitati vitio datur, quod filios non semper comitentur parentes, illos intra vitrea receptacula ab aeris injuriis non custodiant, milleque id genus alia majora, & majora paternæ curæ argumenta non prodant? Leibnitianos tantummodo optimismi assertores argumentum premeret, qui ejusdem declinandi gratia præsentem rerum ordinem, hoc est, malorum, atque bonorum complexionem inter possibilia omnia optimum esse statuunt. Quare tria hæc in argumento ponuntur, aut tacite indicantur, 1. Deum Adami peccatum prævidentem media ad prævisum lapsum evitandum necessaria non dedisse: 2. Deum prævidentem, & non caventem peccati ipsius caussam extitisse: 3. Ob prævisionem teneri Deum ad prævisum peccatum cavendum. Sed omnia hæc satis jam in superioribus diluimus. Dei prævisionem rei ipsius caussam non esse demonstravimus; Deum hominem creantem, & prævidentem non modo necessaria, sed & longe superabundantia multiplicis generis media ad lapsum evitandum dedisse, ad aliud nullo ex capite teneri, id efficiendo, paternæ erga homines benignitatis partes, atque munus egisse, confecimus: possibiles alios fuisse rerum ordines, quibus homines & crearentur liberi, & a lapsu servarentur semper immunes, non inficiamur: ad hujusmodi tamen ordines statuendos nullo ex capite tenetur Deus. Ad hæc omnia adstruendum naturalis nostrarum idearum connexio, atque claritas adducit. Aut Dei omnipotentiam nega, aut hominem ab ipso creari potuisse liberum fatearis.

486. Oppones iterum: Melius sane homini fuisset ratione atque libertate carere, a quibus tot mala originem ducunt. Etenim ut *Tullius* nomine *Cottæ* argumentatur; *nec vero scæna solum referta est his sceleribus, sed multo vita communis pæne majoribus, sentit domus uniuscujusque, sentit forum, sentit curia, campus, socii, provinciæ, ut quemadmodum ratione recte fiat, sic ratione peccatur: alterum & paucis, & raro; alterum & sæpe, & a pluribus; ut satius fuerit nullam omnino nobis a Diis immortalibus datam esse rationem,*

quam

quam tanta cum pernicie datam (a). Quod libertatem attinet, *Funeste privilege de pouvoir pecher*, inquit Bayle (b). Resp. Qui ita argumentatur, bestiam sese potius, quam intelligentem, liberumque hominem esse mallet, aut præferre videtur. Bestiæ scilicet funesto illo carent privilegio. Rationem, atque libertatem esse perfectiones physicas oppositis extremis meliores, naturali mentis lumine edocemur; te ipsum parumper ratione destitutum, hoc est, inertem materiam, rem non cogitantem considera; tum vero rationem, si potes, cogitandi, percipiendi intelligendi facultatem inter humanæ naturæ defectus, atque imperfectiones recenseas. Neque ex ratione, neque ex libertate consequuntur per sese mala: intelligere igitur, posse peccare, quatenus hoc nomine humana libertas significatur, hominis perfectiones sunt, perinde ut Dei, immo & tui ipsius perfectio est, quod pro libito minimas etiam res agas, aut omittas, ab omni externa necessitate, alienoque imperio immunis.

487. Præcipuum hactenus Manichæorum argumentum diluimus, quod summam rei continet, rei totius cardinem, mali originem attingit. Alia ab ipsis opponuntur, quæ tamen adductæ potius difficultatis appendices, quam nova argumenta existunt. Primum a multitudine malorum petunt, quæ universum humanum genus, immo & totam globi superficiem obruunt. Mirum est, quantum sibi hoc argumento plaudant, atque nobis insultent Manichæi: Hæc videt Deus his omnibus malis remedium potest facillime afferre; non affert: unde hoc? Istane cum infinita Dei Bonitate, atque Providentia? 2. Malorum etiam spirituum tentationibus premimur: ii sunt Christianorum, & sacræ scripturæ testimonio perpetui ad mala perpetrandum instigatores. Satis hominibus non erat, a propriis passionibus tentari? cur externum etiam hostem addidit, aut permisit Deus? 3. A multitudine tentationum, passionum, occasionum, circumstantiarum argumentum desumunt. Laqueis plena sunt

(a) Cic. de Nat. Deorum. l. 3. c. 27.
(b) Dict. Critique Art. Manicheens

sunt omnia, ad mala diversissima & quamplurima semper fere, & ubique allicimur, adducimur, trahimur: ut difficillimum sit, peccata omnia vitare, a lapsu sibi semper cavere. Hæc, inquam, omnia illa sunt, quæ Manichæi contra *unius* Principii existentiam opponunt.

488. Respondeo. Post dilutum primum illud Manichæorum argumentum hactenus a nobis propositum, atque solutum reliqua in medium adducta nullius momenti amplius existunt, neque difficultatem continent novam. Etenim primum mali principium, originem, radicem non in principio malo, neque in Deo optimo Maximo, sed in homine ipso libero invenimus, statuimus, demonstravimus: mali autem radice semel statuta, reliqua omnia sunt puræ inventi principii consequentiæ, & malæ radicis surculi. Quandoquidem malum libera hominum voluntas commisit, quin illud ulli præter hominem tribui possit caussæ; unus ille sibi commissi mali, & pessimæ radicis fructus, consectaria, pœnas conscivit. Per paternam Optimi Numinis providentiam non stetit, quominus a lapsu sibi humana voluntas caveret, & immunis semper servaretur. Quid igitur? Homo cum facillime posset lapsum quemcumque, aut labendi periculum vitare, cum mediis ad id rei non modo necessariis, sed etiam affluentibus esset munificentissime instructus, cum nihil illi ad innoxiam vitam semper ducendam deesset; cum & Deum Optimum, Maximum, unicam sui caussam, atque parentem agnosceret, præsentem suimet statum, innocentiam, felicitatem sciret, impositam sibi legem, & legis non observatæ consequentem pœnam non ignoraret; si homo, inquam, in hujusmodi rerum, atque felicitatum statu malum nihilominus ex se se patravit; omnem mali pœnam sibi uni tribuat.

489. Hæc adeo per sese manifesta sunt, ut ipse *Petrus Bayle* ingeniosus, studiosissimus, atque elegans pessimæ caussæ Patronus in primo illo Manichæorum argumento promovendo nervos omnes intenderit; reliqua omnia aut omisit, aut nonnisi leviter attigit. Unum hic superesset, de peccato originali aliquid etiam dicere, & quod inde peti potest, argumentum solvere. Id tamen duplici de capite prætermitto: 1. quia

quia peccatum originale, hoc est, primi parentis culpæ in posteros transfusio malum jam in rebus supponit, Manichæo propriè non favet: 2. Hujusmodi argumentum revelatæ Theologiæ proprium existit, ad naturalem non spectat. Atque dicta hucusque satis sint pro prima Metaphysicæ parte absolvenda: ad secundam modo pari animo aggrediendam accingamur.

Finis Partis Primæ.

